

14
VII
32

REAL ACADEMIA ESPAÑOLA

1 — 3

11 175-89

D. 9. 5.

DISPUTATIONES.
THEOLOGICÆ
DE
DEO UNO ET TRINO
PRIMOQUE RERUM OMNIUM
CREATORE.

Auctore

D. JOANNE DE FERRERAS.
Parochialis S. Andreæ Matritensis Rectore, Toletani Archiepiscopatus Synodali Examinatore, nec non Tribunalis Sacræ Nunciaturæ, Supremæ Inquisitionis Consultore, Regiæ Accademiæ Decano, Regiæque Bibliothecæ Præfecto.

OPUS
IN DUAS PARTES DIVISUM.
PARS PRIOR.

MATRITI, Typis Joannis Stunicæ,
Anno M.DCC.XXXV.



PRESENTACIONES
THEOLOGICAS
DE UNO DE LOS
TRINOS
TRILOGIE REFORMATORIA
CREATOR



De la Real Academia Española.

M. DCLXXXVII. 25.
TARS PRIOR.
MARTÍI. Tabris Jotnus Simeonis
anno M. DCCXXXVII.

GENERICI DEDICARII ORDINIS
D. D. R. G. G. G. G.
D E O
OPTIMO MAXIMO
PATRI, ET FILIO,
AC SPIRITUI SANCTO,
SANCTÆ TRINITATIS
UNICO RERUM
CREATARUM PRINCIPIO.
D. O. C.

Joannes de Ferreras.



D E O
OPTIMO MAXIMO
PATER ET FILIO
AC SPIRITU SANTO
SANTAE TRINITATIS
UNICO REBUM
CREATORUM PRINCIPIO.
D. O. C.

103

CENSURA ORDINARII ORDINE

Doct. D. Petri Gonzalez Garcia, quon-
dam in Sanctæ Mariæ Theologorum Com-
plutensi Collegio, post varias præfecturas
Parochialium, Parochialis S. Nicolai
Matritensis Rectore, ac Regiæ Academiæ
Alumno.

Tra statutus hosce Theologicos, & afabré elaboratos à D.
D. Joanne de Ferreras, Parochialis Ecclesiæ Matriten-
sis Sancti Andreæ Apostoli, dignissimo Curione, Regiæ Bi-
bliotheçæ magno Præfecto, hujus Archi-Diocesis Examina-
tore Synodali, Suprema Inquisitionis Qualificatore, &c. Iussu,
& præscripto D. D. Bernardi Froylani de Saavedra Almæ
Primatis Toletanæ Ecclesiæ Canonici Doctoralis, hujusque
Curiæ Sedèvacantè Vicarii, jucundissimè, magnaue captus
admiratione perlegi. Cum enim typis publicis plusquam qua-
draginta abhinc annis strenuum pugillem in studio, & stadio
Theologico omnibus se ipsum exhibuisse constiterit, posteä-
que sexdecim præclara volumina Hispanæ Historiæ in lucem
ediderit, non solum in alterutra facultate virum consumma-
tum Auctorem sciebam, quinimo indefesso labore consump-
tum quoque putabam. Jure igitur mirabitur quisquam, ho-
minem octogenaria senectute virescere, & fœtus hos Theolo-
gicos insolita maturitate in lucem educere; Sed quo (1) ma-
jus est animal, diutius formatur in utero: & diutius gestan-
tur, quibus longiora sunt vitæ spatia.

Nullius Scholæ theserâ Auctor astrictus progreditur: Quia
(2) nullam disciplinam cum servitute liberum hominem dis-
cere convenit. Nosque (3) ipsi redargui, refelli que patimur;
quod quidem fecerunt animo iniquo, qui assertis quibusdam,
destinatisque sententiis, quasi addicti, & consecrati sunt, ea-
que necessitate constricti, ut etiam, que non probare soleant,
constantia causa cogantur defendere. Nos qui sequimur proba-
bi-

(1)
Plinius
lib. 10.
Histor.
cap. 63.

(2)
Plato,
dialog.
7.de Re
publ.

(3)
Cicer. 2
Tuscul.

bilia, nec ultra id, quod verosimile occurrit, progreedi possumus,
Et refellere sine pertinacia, Et refelli sine iracundia parate

(4) sumus. Non (4) quia legem dixerim (ajebat Seneca noster)
Seneca, nihil contra dictum aliorum committere; sed quia res ipsa pa-
li.deVi-
titur me ire in aliorum sententiam, quam si quis semper unius
ta beata sequeretur, non id vitæ, sed factioñis esset. Neque (5) enim
cap 10.

(5) quorundam disputationes, quamvis Catholicorum, Et laudato-
S. Aug. rum hominum, veluti Scripturas Canonicas habere debemus, ut
tom. 2. nobis non liceat (scriptis magnus Parens Augustinus) salva
epist. 3. honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum
scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod
alitèr senserint, quam veritas habet, Divino adjutorio, vel ab
aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum;
tales esse volo intellectores meos.

In eundem scopum collimat gravissimus Fr. Alphonsus de
(6) Castro, (6) Franciscanæ Religionis alumnus, & columen, &
Fr. Al- inter Tridentinos Patres cooptatus, dicens: Ego enim misser-
phonsus rimam hanc dicerem servitutem, sic esse humanæ sententiae ad-
de Cal- dictum, ut non liceat ullo modo illam repugnare: qualem pa-
tro lib. tiuntur, bi qui se tantum B. Thomæ, aut Scoti, aut Okam dictis
1, adver subiiciunt, ut ab eorum placitis, in quos jurasse videntur, no-
hæreses mina sortiantur, quidam Thomistæ, quidam Scotistæ, alii Ok-
cap. 7. avistæ appellati. Paulus quidem jussit captivare intellectum
nostrum, sed in obsequium Christi, non tamen in obsequium
hominis. Et prosequitur: Nec tamen ista sic a me dicta velim,
ut quispiam putet me his verbis omnes illius instituti, aut Or-
dinis homines velle mondere. Novi enim ex eis plures doctos,

(7) (7) Ruper- Et cordatos, ac verè pios, quibus cum ista aguntur, aut ab aliis,
tus Ab- ut plurimum indoctis, dicuntur, valde displicant: valde enim
bas in disiplacet etiam mihi, quod Et nostrum sodalitum in verba Sco-
Joan. in ti ferè jurasse videatur. Ego quidem B. Thomæ sanctitatem
Prolog. veneror, ejus doctrina multum tribuo, quod multum Eccle-
cijusdæ. sianam illustraverit: non tamen puto, adeo esse illi favendum, ut
per omnia oporteat cum illo sentire.

(8) Cajeta- De maximo Ecclesiæ lumine licuit dicere magno Ruper-
nus in to: (7) Velut grandis Aquila pervolavit magnus DoctoR Au-
Præfat. gustinus: Nos eadem quidem via, sed non omnino eisdem ves-
ad Pen- tigiiis, subsequi enitemur. Solis enim (8) Sacrae Scriptura Au-
tacheuc- cto-

etoribus (dixerat Eminentissimus subtilitate, & purpura Ca-
jetanus) reservata est auctoritas haec, ut ideo credamus sic esse,
quia ipsi ita scripserunt. Illosque (9) probare non soleo (asse-
ruit Dominicanæ Familiaæ Hispanique nominis dignissimus (9)
Theologus, & in Tridentino Concilio maximè notus Magister lib. 12.
Cano) qui velut Sacramento rogati, vel etiam superstitione de Loc.
constricti, ut Fabii verbis utar, nefas ducunt, à suscepta se-
mè persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuius-
quam jurare leges. Majus enim est opus, atque præstantius ad
quod ipse tendit, ut Magistri debeat semper vestigiis insistere,
siquidem est futurus Theologie laude perfectus.

Pro libri, Auctorisque sui in docendi, defendendi vè me-
thodo, satis hæc sumpto. At vero Censoris muneri incum-
bens, verissime dicam, quod alias de alio opere Petrus Ble-
sensis (10) enunciavit: *Nihil in ejus scriptis residet, quod Le-
ctorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non
exerceat, quod non adiudicet fidem, quod non sapiat honestatem.* Sic sentio, sic judico. In ædibus meæ Parochialis Ecclesiæ
Matritensis Sancti Nicolai Episcopi, die 13. mensis Julii anno
1734.

Doct. D. Petrus Gonzalez
Garcia.

Cano
in Proœ-
mio.

(10) Petrus
Blesen-
sis epist.
87.

LICENTIA ORDINARIL

PRESENTIUM tenore Nos D. D. D. Bernardus Froylan de
Saavedra, Almæ Tolteranæ Ecclesiæ Canonicus Doctora-
lis, & in Sedevacanti hujus Matritensis Curiæ Generalis Vi-
carius, concedimus licentiam D. Joannis de Ferreras, Recto-
ri Parochialis Sancti Andreæ ejusdem Curiæ, ac Regio Biblio-
thecario, ut Typis mandare possit Disputationes Theologi-
cas de Deo Uno & Trinb, rerum omnium Creatore, quatenus
ex præscripto nostro, revissum, & inspectum, nihil contineat
contrarium orthodoxæ fidei, & bonis moribus disonum. Da-
tum Matriti die 16. mensis Julii anno 1734.

Doct. D. Bernardus Froylan
de Saavedra.

De mandato ejusdem,
Joseph Fernandez.

CEN.

CENSURA R. P. ANTONII DE LOS
Reyes & Heredia, Primariæ Sacræ Theo-
logiæ Cathedræ in Collegio Murciano So-
cietatis Jesu Moderatoris, Diocæsis Car-
taginensis Examinatoris Synodalis, &
Imperialis Collegii Matritensis Magis-
tri Theologiæ.

JUSSU Regis, Supremique Castellæ Senatus in meas manus
devenit Liber, cuius titulus est: *Disputationes Theolo-
gicæ de Deo Uno & Trino, & Creatore*, Auctore D. Don
Joanne de Ferreras, Parochialis Sancti Andreæ Matritensis
Præsuli; & fateor, priusquam ejus folia evoluere licuisset, me
in admirationem raptum, ex solo Auctoris, & Libri sonitu:
Licit enim ex tot scriptis & factis, undique alis famæ voli-
tantibus, Auctoris nomen latere me non potuerit: tamen in
admirationem non potui non rapi. Quis enim non mirabitur;
octogenarium quæstiones Theologicas pertractare? Subtilia
& implexa Sanctissimæ Trinitatis arcana evolvere elucidare,
& inostenso pede percurrere, & disputare? Pauci inī & ra-
ri sunt, qui ad tam grandevam ætatem pervenient; sed hi
pauci ferme deficiunt sensibus, judicio titubant, senescunt
viribus, tam corporis, quam animæ; sed inter hos, noster
Doctor veluti Phenix illa (sive vera, sive commentitia) in
tam longeva ætate, viribus animæ pollet, memoria firma, &
rerum omnium tenaci, judicio integro & perfectissimo & ju-
benili ingenio, ad res tam subtilem, & difficiles scholastica
methodo pertractandas. Verè, & verissimè, illi Doctoris no-
men, & officium convenit; cui sæpe, imo, & sæpiissime,
Christus Dominus lucis & lucernæ similitudinem attribuit:
Lucis; quia lux non senescit tempore: *Lucernæ*; quia hæc illu-
minare non desistit, quo usque mortis consumpta finiatur, sic
noster Doctor: *Lux fuit mundi*. (juxta Domini præceptum
Matth. cap. 5.) Quia nunquam destitit suis sciptis, multi-
for:

formiter , mundum illuminare. *Lucerna fuit supra montem posita*: Quia omnibus exemplo & doctrina illuxit. Imo & vox quædam præclarissima , & magna : Quia ut ait Doctissimus P. Salmeron tom. 5. tract. 28. Per similes esse studeant faci accessæ, quæ quo vento plus agitur , eo magis accenditur.

Fateor in his disputationibus Theologicis , multa esse brevissime attacta , & quæ forte longiorem desiderare tractatum; sed cum de his , & eorum quolibet , sint plura volumina; Auctor solum discipulis , & incipientibus indicare voluit in multis , quid judicet tenendum , & amplectendum ; & quid simili ter fugiendum : Hoc enim est lucis munus sive parvæ , sive magnæ: & sicut lux, illa diei 4. quæ semper juxta Dei beneplacitum fuit : *Et vidie Dominus lucem, quod effet bona.* Genesis cap. 1. die 4. in varia , & inæqualia retraxit , & congesit luminaria , ut omnes mundum illuminarent ; sed alia intensiori , & alia remissiore luce; sic Auctor noster omnibus his disputationibus mentes hominum illuminat ; ignorantia tenebras eliminat , & sugat ; jam intensiori , jam remissiori luce : quin in eis omnibus disputationibus tenebrae ullæ , vel umbra aliqua reperiatur , bonis moribus, aut puritati nostræ fidei contraria. Sic judico in hoc Collegio Imperiali Matritensis Societatis Jesu, die 2. Septembris anni Domini 1734.

Antonius de los Reyes O' Heredia.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguel Fernandez Munilla , Secretario del Rey
nuestro Señor , su Escrivano de Camara mas antiguo, y
de Govierno del Consejo : Certifico , que por los Señores de
él se ha concedido Licencia al Doctor Don Juan de Ferreras,
Cura de la Iglesia Parroquial de San Andres de esta Corte, pa-
ra que por una vez pueda imprimir , y vender un Libro que
ha compuesto , intitulado : *Disputationes Theologicae de Dea-*
Uno , & Trino , con que la impression se haga por el original ,
que v à rubricado , i firmado al fin de mi firma , y que antes
que se venda se trayga al Consejo el Libro impresso , junto
con su original , y Certificacion del Corrector de estar confor-
mes , para que se tasse el precio à que se ha de vender , guar-
dando en la impression lo dispuesto , y prevenido por las Le-
yes , y Pragmaticas de estos Reynos : Y para que conste lo fir-
mè en Madrid à diez de Septiembre de mil setecientos y trein-
ta y quatro.

D. Miguel Fernandez Munilla.

FEE

FEE DE ERRATAS.

Pag. 2. lin. 14. Theologicæ, *lege* Theologicæ. Pag. 3. lin. 29. diligere, *lege* diligere. Pag. 5. lin. 20 lumino, *lege* lumine. Pag. 9. lin. 21. disipianus, *lege* disipiamus. Pag. 46. lin. 23. retione, *lege* ratione. Pag. 47. lin. 27. y 28. incorporeo, omniscio, Sancto, *lege* incorporeum, omniscium, Sanctum. Ibidem lin. 31. & Dei, *lege* & Deo. Pag. 57. lin. 27. constitutuam, *lege* constitutam. Pag. 72. lin. 20. organum, *lege* organo. Pag. 80. lin. 13. ex Notris, *lege* ex Nostris. Pag. 88. lin. 11. libeta, *lege* libera. Pag. 95. lin. 17. anosminos, *lege* Anoméos. Pag. 104. lin. 34. responder, *lege* respondere. Pag. 133. lin. 3. ver, *lege* vel. Pag. 152. lin. 26. lumines, *lege* lumine. Pag. 176. lin. 19. opificis, *lege* opifices. Pag. 178. lin. 3. indefectibiles, *lege* indefectibilis. Pag. 179. lin. 34. id doce-ret, *lege* id docere. Pag. 217. lin. 24. peccato, *lege* peccator. antea lin. 14. Ecclesiasticæ, *lege* Ecclesiastici. Pag. 220. lin. 8. sic, *lege* si. Pag. 240. lin. 23. præmaret, *lege* præmiaret. Pag. 247. lin. 20. paccatori, *lege* pec-catori. Pag. 251. lin. 4. erroris, *lege* errores. Pag. 253. lin. 32. Patripa-niani, *lege* Patripasiani. Pag. 254. lin. 19. lonium, *lege* longum. Pag. 256. lin. 2. ventarus, *lege* venturus. Pag. 312. lin. 20. Constitutionum, *lege* Constitutionem. Pag. 318. lin. 30. ordinem ab, *lege* ordinem ad. Pag. 332. lin. 16. Quæritur IV. *lege* Quæres II. Pag. 333. lin. 1. Ceaclarius, *lege* Cerularius.

Disputationes de Deo Uno, & Trino, in duos Tomos nunc pri-mum in lucem editam a D. D. Joanne à Ferreras C. M. Primario Bi-bliotheuario perlegi, quæ quidem si hæc excipias menda, earum ori-ginalibus sunt conformet. Matriti die 27. mensis Januarii, anni 1735.

Lic. D. Emman. Garcia Alesson,

C.M. Generalis Corrector.

GA

¶¶ 2

SU.

SUMA DE LA TASSA.

T'Affaron los Señores del Consejo Real de Castilla este Libro , Primera , y Segunda Parte, intitulado *Disputationes Theologicae de Deo Uno , & Trino , &c.* su Autor D. Juan de Ferreras, Bibliothecario mayor de su Magestad , y Cura de la Iglesia Parroquial de San Andrès de esta Corte , á seis maravedis cada pliego , como mas largamente consta de su original , despachado por Don Miguèl Fernandez Munilla. Dada en Madrid à siete de Febrero de mil setecientos y treinta y cinco.

D. Miguèl Fernandez Munilla.

AD

AD L E C T O R E M.

PAUCIS te morabor, Lector, non enim scribo per doctis Magistris, qui in Scholis magisteria, & Cathedras jure optimo edocendis junioribus operam impendunt. Etenim Junior fui, & novem annis Scholas frequentavi; ast cum mecum penderem, plura mihi difficultia apparere, tam in Schola Thomistica, quam Scotica, ac aliquantulum Jesuitica, cum dubia mente vagarer, decrevi per ipsa principia Theologica, id quod probabilius mihi videretur querere; semper venerando Thomistarum, Scotistarum, ac Jesuitarum opiniones, sua pollere vi & auctoritate, ac consultissimum censeo in Regularibus suos quisque Auctores sequi: quippe cum præcipuum studium sit charitas, & concordia, cum plerumque Disputationibus Scholasticis scandescant ingenia, congruum est, ad unam Magistri recurrere sententiam.

Ast nos, qui libertate pollemus judicij, noluimos hanc servitutem imponere, illudque solum subjicere ponderi auctoritatis,

&

& rationis, sicuti fecimus Historiam Hispanicam struentes, cuius studium non obfuit Theologicæ meditationi, & immitationi Recentiorum Theologorum Parisiensium. En tibi do, quæ ante quadragessimum annum elaboraveram; sed post annum octogessimum melius decocta, & depurata; solum enim est animus Juniores instruendi in tam vasta materia, qualis est Theologia Scholastica. VALE.

DIS-



DISPUTATIONES
DE DEO UNO,
TRINO,
ET RERUM OMNIUM
Creatore.

PROLOGUS.



Heologiae vox, quæ ex Græca lingua transvecta est in Latinam, sicuti plurimæ aliae: idem est, ac Sermo de Deo; cæterum jam usus obtinuit, ut significet notitiam, & cognitionem Dei, quatenus est principium, & finis creaturarum omnibus modis, quibus naturaliter comparari potest, quæ cognitio, si est ex principiis certis, & evidenter, dicitur, scientia; si vero ex principiis certis; sed non evidenter, dicitur scientia logice, propter certitudinem consequitur ex præmissis: sed non absolute, & simpliciter talis, propter defectum evidentiarum præmissarum.

A

Ex

2 Ex his facilis resolutio questionis, qua discutitur. An Theologia sit vere scientia? Theologia enim plures conclusiones deducit ex præmissis certis, & evidentibus, & tunc assensus conclusionis est scientificus, ut in hac: Quod non est corpus, non est divisibile: sed Deus non est corpus, ergo non est divisibilis. Ast alias deducit ex præmissis certis, sed ex his una non est evidens, sed revelata à Deo & forte utraque: tunc assensus elicitus ex illis est certus; sed non evidens: & quia discursus est legitimus, dicitur scientificus logice. Ex quo patet, quæstionem esse de voce: nec ea, quæ non cadunt sub certitudine, mereantur nomen scientiæ Theologicæ: qualia sunt ea omnia, quæ sunt sub Theologorum opinione.

3 Quantum ad objectum, dimissis innanibus distinctionibus: certum est Theologicæ objectum esse Deum O. M. quatenus per discursum cognoscibilem: nam objectum scientiæ est id, de quo tractat scientia, uti Phisicæ, ens naturale, Metaphysicæ ens, ut sic: sed Deus est de quo primo, & per se pertractat Theologia: ergo Deus primo, & per se, est ejus objectum. Ast cum Deus, prout est, & cognoscitur à nobis, possit considerari prout prima causa, & principium creaturarum, & illarum ultimus finis; alia omnia, quæ in Theologia tractantur solum pertractantur per respectum ad ipsum; atque idcirco, non pertinent ad objectum primarium Theologicæ, sed solum ad objectum secundarium.

ARTIC. I.

*An Theologia sit Speculativa, aut Practica,
vel utraque simul?*

4 **S**ciencia speculativa ea dicitur, quæ solum ultimate ordinatur ad cognoscendum objectum; practica vero, quæ ultimate ordinatur ad operationem, uti Aristoteles docet 2. Metaph. cap. 1. idque habet communis consensus, quia cognitio aut ordinatur ad operandum, aut non operandum: si non ordinatur ad operandum, sicut in se ipsa, perindeque est me;

mere speculativa ; si autem ordinatur ad operandum , dicitur practica.

5 Theologorum aliqui docuere Theologiam esse simpliciter practicam. Per plures tenent esse simpliciter speculativam , & secundum quid practicam ; totidem vero docent ex parte esse speculativam , & ex parte practicam , & hæc sententia communiori usu videtur recepta : nam Theologia Moralis pars est Theologiae ; ast hæc est absolute practica , ut per se patet : ergo Theologia est ex parte practica. Conf. quia ad Theologiam pertinet traditare de Deo , ut ultimo fine creaturaræ rationalis assequibili ab ipsa : ergo cognitio , quæ ordinatur ad ejus assequitionem , non potest non esse practica.

6 Quod vero Theologia , nec ex parte sit speculativa prob. quia licet Theologia naturalis possit elicere plures cognitiones speculativas , erga Deum ; Theologia tamen Christiana , quæ procedit ex revelatis , nullam cognitionem elicit , nisi ad colendum , & amandum Deum : ergo est simpliciter practica. Prob. ant. ad id ordinantur per se conclusiones , ad quod ordinantur principia : sed principia Theologiae Christianæ ordinantur ad amandum , & colendum Deum : ergo & conclusiones. Prob. min. quia principia illius sunt veritates revelatae : sed hæc ordinantur ad colendum , & amandum Deum , ergo & ipsæ conclusiones ad id ordinantur. Min. constat ex Apost. 2. ad Timoth. cap.3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum , ad arguendum , ad corripiendum , ad erudiendum in iustitia :* Ac per consequens Theologia Christiana simpliciter practica est.

7 Sed dices , & si homo sit ordinatus in Deum ut finem supernaturalem , & ipsum debeat diligire super omnia amore supernaturali , prout est naturæ auctor potest cognosci pariter ergo Theologia Christiana , licet ordinetur ad colendum , & amandum Deum , id non ob est , ut eliciat plures cognitiones ex revelatis , ut pure sistat in cognitione Dei.

8 Resp. dicendo , quod aliud est , quod permittit Theologia Christiana , & aliud ad quod ordinatur : permittit quidem cognitiones pure speculativas de Deo , sicut permittit cognitionem naturalem Dei , cæterum per se non ordinatur , nisi ad cognitiones , quæ animum deferant ad Deum colendum,

dum, amandum, & consequendum: cognitiones autem, quæ ab hoc scopo recedunt, non sunt verae Theologiae Christianæ.

ARTIC. II.

An Theologia sit Scientia supernaturalis?

9 **T**HOMISTARUM ALIQUI CENSENT SUPERNATURALEM: quia assensus Theologicus ex duabus præmissis de fide, habet certitudinem supernaturalem, atque adeo supernaturalis est: quippe eius certitudo, non est alia, quam præmissarum, certitudi nem autem supernaturalem, habere non potest assensus Theologicus, nisi supernaturalis sit.

10 COMUNIS TAMEN SENTENTIA DOCET THEOLOGIAM MINIME ESSERE SCIENTIAM SUPERNATURALEM. RATIO EST quia id quod acquiritur humano labore, & studio, non est supernaturale: nam supernaturale id dicitur, quod est supra omnes naturæ vires: ait experientia docemur Theologiam humano studio, & labore acquiri: ergo non est supernaturalis.

11 FUNDAMENTUM OPOSITUM NULLIUS EST MOMENTI, nam assensus Theologicus, sicut non est immediate de fide, esto præmisæ sint de fide immediate; ita esto præmisæ habeant certitudinem supernaturalem, ipse tamen solum habet certitudinem naturalem; quia solum participat illam certitudinem mediante discurso naturali, quo naturaliter cognoscit, quod ea, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: qua propter præmisæ cognitæ supernaturali modo, & certæ supernaturali certitudine: non influunt in conclusionem, nisi quatenus cognitæ, & subsunt regulæ sylogisticæ; quod totum subest naturali acumini ingenii humani: qua propter assensus Theologicus supernaturalis non est.



ARTIC. III.

*An Theologia sit scientia subalternata
scientiæ Beatorum?*

12 **P**hilosophi dividunt scientiam in subalternan-
tem, & subalternatam: scientia subalternans
est, quæ sub se habet aliam scientiam, quatenus ejus conclu-
siones sunt principia scientiæ subalternatae, uti conclusiones
Phisicæ sunt principia Medicinæ: nam per hoc Medicina est
sub Phisica, & ideo Phisica est scientia subalternans Medi-
cinam, & hæc subalternata Phisicæ.

13 Dicendum igitur: quod Theologia viæ, non est
subalternata scientiæ Beatorum vere, & proprie. I. Quia
scientia Beatorum non est discursiva; sed unica, & indivi-
sibilis visio omnium, quæ sunt in Deo: ergo in scientia
Beatorum non sunt præmissæ, & conclusiones deductæ per
discursum: ergo hæc scientia non potest esse subalternans;
ergo nec Theologia viæ potest esse illi subalternata.

14 II. Quia principia Theologiæ viæ sunt ipsissimæ ve-
ritates Theologiæ patriæ: quamquam diverso lumine cogni-
tæ: nam Theologiæ viæ cognoscuntur lumine fidei; Pa-
triæ lumino gloriæ: hoc autem non sufficit ad subalterna-
tionem; ut patet in scientia supernaturali infussa, Philo-
sophia, & aliis quarum pleraque principia eadem sunt di-
verso modo cognita, quod ad veram subalternationem non
sufficit.

ARTIC. IV.

*Qui sunt Loci Theologici, ex quibus Theo-
logia proprias deducit conclusiones.*

15 **S**eu aliis vocibus. Quæ sunt principia, ex quib-
us Theologi discursus eliciuntur de quo plures,
sed nullus, potior Melchiore Cane, libro de hoc argumen-

to. Dicendum plures esse locos , seu principia Theologica. Primum , & principalissimum est , Verbum Dei contentum in Sacris Scripturis , quas , ut Canonicas tenet Ecclesia : vel conservatum in Ecclesia universalis sacra traditione: quod principium est omnino infalibile: quippe Deus loquens nec falli , propter infinitam scientiam : nec fallere potest propter suam veritatem : cum sit essentialiter verax , & mentiri non potest. Sacra autem Scriptura accipi debet in sensu literali , non vero in sensu alegorico : nisi in his , quæ ipsa alegoria , sit expressa in ipsa Scriptura , vel sit juxta positivam aprobationem Ecclesia : ut illud Pauli ad Galatas cap. 4. *Quæ sunt per alegoriam dicta , & illud Canticorum cap. 4. Tota pulchra est amica mea , &c.* de Conceptione B. Virginis dictam.

16 II. Est Ecclesia definitio , facta per Romanum Pontificem , ut Pastorem universalem illius , aut facta à Concilio Generali legitime congregato , universalem Ecclesiam representante , & aprobato à Romano Pontifice : & hoc principium est omnino infalibile. Tum quia , ut ait Apost. ad Timoth. cap. 3. *Ecclesia est columna , & firmamentum veritatis :* ergo sub esse errori aut mendacio non potest. Tum ex promissione Christi. Math. cap. 16. *Portæ inferi non prævalent adversus eam :* ex Mathæi , cap. 28. *Ecce ego vobiscum sum , usque ad consumationem sæculi :* prævaleret autem Actus Dœmonis contra eam , si in ea posset inducere errorem , foretque à Christo deserta , si Dœmonum malitia , posset in ea falsitatem invehere : unde ex promissione Christi errare non potest , ejusque decisio est infallibilis.

17 III. Est in rebus historicis Universalis Ecclesia traditio , quantum ad ea , quæ connexionem habent , cum his quæ ad fidem spectant , aut Christianam disciplinam , quippe Universalis Ecclesia in his errare non potest. Cæterum traditiones Ecclesiarum particularium non subsunt eidem certitudini : quia per plures repertæ falso uti traditio Ecclesia Africana de nullitate Baptismi ab hæreticis collati , sub debita materia , forma , & intentione , supetunt quæ alia exempla.

18 Quantum autem ad Origines Ecclesiarum , & earum pri-

primos Episcopos earum traditiones , si sint antiquæ , nulla-que subsit dubitandi ratio , quæ prudentem retardet assen-
sum , recipi debent ; si vero non sint antiquæ ; sed recentioris
Evi , omnino despiciendæ : quippe censendæ mero arbitrio
confectæ sine ulla auctoritate . Exempli gratia : Quis primus
in Africa , vel Gallia , Christianam Religionem induxerit ?
Traditiones autem populares sub eadem debent stare regula:
quia plerumque eisdem de causis anilibus fabulis merentur
accenseri , nulloque habentur prætio ; esto populares stri-
deant : quia in Ecclesia Catholica , veritas semper præ habita
est ; ideoque semper puniti , qui miracula , & revelationes fin-
gunt : nam veritates Christianæ potius obscurantur fulcimen-
tis mendacii , nec est ulla conventio lucis ad tenebras .

19 Ecclesia autem aliquando indulget , ut in Officio Di-
vino legantur Lectiones particularium Ecclesiarum , de qua-
rum veritate Viri pietate , & eruditione pollentes , sub dubi-
tent , vel resputent sciente , & consentiente S. Romana
Ecclesia : unde commiseratione sunt digni Theologi , qui illi-
co , ac audiunt , legunt ve quidquam contrarium Lectioni-
bus Breviarii , Theologica inviunt censura : non habentes
præ oculis Breviarii Lectiones sæpe correctas Summorum
Pontificum auctoritate ; nec eis voluere aliam adhibere fi-
dem , quam per se merentur : contenti eis nihil contrarium
contineri fidei speculativæ , aut practicæ . Hæc advertere li-
cuit Theologis illis , qui sunt non pauci , qui non egesi
Scholæ cancellos , Ecclesiasticam Historiam nec alimine sa-
lutarunt .

20 IV. est communis consensus PP. de ré aliqua ad fi-
dem , aut mores pertinente : præsertim erga sensum Sacræ
Scripturæ : quia cum juxta Paulum . Posuerit Deus in Eccle-
sia Doctores , merito suaderi debemus , non nisi Divino
Spiritu , in unam conspirasse sententiam : unde communis PP.
consensus in rebus Theologicis , argumentum est grave . Ex
quo fit quod unius Patris auctoritas , non facit rem Theolo-
gice certam : nec facit auctoritas plurium , quoties alii plures
stant ex adverso : quia ibi non adest communis PP. consensus .
Præ oculis tamen frequenter habendum , quod in PP. &
Theologorum assertionibus , plerumque earum subinfertur

ratio : quando non subinfertur , tum prævaler auctoritas: quia non est præsumendum Doctissimos PP. ut Hieronimum , aut Augustinum , sine ratione aliquid asseruisse ; ast quando ab afferente subinfertur ratio assertionis, tunc auctoritas tantum valet , quantum valet ratio afferendi : hacque nutante , auctoritas evanescit.

21 Addunt alij Philosophica principia ; sed cum tot sit Philosophorum nostro tempore , solum hunc gradum obtinere possunt ea principia , quæ à nullo eorum , nisi desipiat amentia , negari possunt. Ex. g. Corpus finitum spatio finito continetur , & alia huiusmodi. Eorumque gradu , repnonenda est Historicorum consensus ad nitente legitima Critica : nam experimur Historicos unum ex alio transcribere , eosque cæteros imitari ; & plerumque adhibita legitima crisi à veritate alienos. Legitimas , autem Crisis regulas , pluraque ex Jurisprudentia de promptas , & naturali Logica , non est nostri instituti designare : contenti solum indicere perfectum Theologum esse non posse , qui aliquantulum non caleat Crism.

22 Ex his fit , quod is , qui asserit contrarium verbo Dei contento in Sacris Scripturis , sive in Sacris Traditionibus ; sive explicato per Summum Pontificem , tamquam organum Spiritus Sancti , sive explicato à Conciliis Generalibus Ecclesiam universalem representantibus , est formaliter hæreticus. Qui vero negat aliquid , quod legitime deducitur , ex his , quæ sunt de fide: errat in fide : Sunt præterea plures aliae Censuræ Theologicæ , quibus sub esse possunt propositiones à debita regula deviantes : de quibus , & alio loco , Theologi debent esse aprimæ instructi , qui Sanctæ Inquisitionis Calificatorum , honore , & munere gaudent.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA DEI, ET EJUS
atributis.

DEUS O. M. est ens per se existens cæterorum entium causa: hæc est clarior notio ipsius, non solum apud sapientes, sed etiam apud rudissimos: etenim cum nullus homo sit mentis compos, sitque oculis præditus, qui non appetiat Cœli speciem, Sole, Luna, Astris, sideribusque ornatum, varios ejus motus, valles, campos, arbores, fructus, bruta in terra, in mari pisces, & altilia in aere, &c. nemo est, cui non occurrat: quæ sit horum causa; auctor, & principium? Omniumque horum causam dicimus Deum, qui necessario debet esse per se existens ab æterno; quia est omnium aliorum, quæ ab ipso distinguntur causa: ideoque cætera sunt causata, producta, ipseque causa, & principium improductum per se existens. Hoc ipsum innuit Moysi, Deus ipse illis verbis: *Ego sum qui sum: Qui est, misit me ad vos.*

ART. I. Unde constat Deum existere cæterorum entium causam?

REPLICA. Ex tripici potissimum capite: 1. Ex humana fide, cui ni disipianus, credere debemus. 2. Ex irrefragabili testimonio animæ, cui repugnare non possumus. 3. Ex clarissimo testimonio naturæ; cui omnes collimant. Philosophorum, & Theologorum ratiocinationes, pro demonstranda Dei existentia.

3. 1. Ex humana fide: quia id, quod docent fere omnes gentes, sapientesque fere omnes, ut verum tenendum est: est enim humana fides, vitæ humanæ pædagogus: ea scimus, qui sint nostri parentes, quo loco nati sumus, & alia, quæ per nos meti ipsos, nec scire potuimus, nec eorum memoriam

habere : per ipsam dum pueri sumus noscimus conservatio-
ni vitæ proficia , & noxia , & in adolescentia sub esse imperio ,
alias esse Regiones , Provincias , loca plurimaque alia , de qui-
bus nemo , nisi demens , dubitare queit , ac denique , sine
humana fide nutat convictus humanus ; etenim humana pru-
dentia dicit , nec omnes posse fallere , nec unum omnes .
At qui omnes fere gentes , sapientesque fere omnes , tenuere
Deum esse , ut constat longissimè , ex Gentium Historia , &
ex Philosophis earum : ergo tenendum est ut verum Deum
esse , nisi velimus esse , insani .

4 Dices : Fuere olim plures Athei , & (proh dolor) sunt
plurimi nunc . Resp. 1. hos fuisse dementes , sicuti nunc sunt
plures insani , circa determinatas materias : fuereque olim
plures sapientium nomine , qui se ipsis interemere ; sicut er-
go hi in hac dementia laborarunt , ita Athei insani , veniunt
censendi , veluti cum infantes , admovent manum ignis fla-
mis . Sicuti enim in administranda justitia , imprudentissimus
esset judex , qui non præferret centum testes , tribus , vel qua-
tor , dementissimusque æger , qui centum Medicorum vota
non præferret , votis trium , aut quator , ac denique iter
agens , qui non præferret fidem centum afferentibus , illud
esse rectum iter , tribus , aut quator contendentibus eo ab-
errare : sic non potest , non esse imprudentissimus , demens
insanus , aut stultus , qui non credit nationibus ; gentibus , &
sapientibus earum , edocentibus Supremi numinis veritatem ,
dimisis paucissimis Atheis , qui sunt quasi duo comparatio-
ne unius milliaris .

5 Resp. II. Neminem unquam , nec fuisse , nec esse
Atheum interiori cognitione : quia divinitatis lumen ipsis
invitis , seque ipsis fallere volentibus Deum ipsum clarissime
manifestat : de quo postea .

6 II. Ex animæ testimonio ; nam quisque rationis est
particeps , experitur intra semetipsum interiorum legem , de-
non irrogando alteri malum , quod nobis nullumus irrogari ,
de venerandis , & honorandis parentibus , & populorum gu-
bernatoribus , aliisque hujusmodi , delinquentibusque subiit
timor futuri mali : sed nemo est sibi Legislator , nec habet
quid à se timeat : ergo necesse est alium esse Legislatorem ,
quem

quem quisque timeat facinore patrato , & possit malum inferre : sed una est idea naturalis omnium hominum : ergo est unus Legislator , qui est , qui dicitur Deus , ens per se existens , & cæterorum entium causa : quippe , nullatenus concipi , potest , qua ratione sit Legislator , nisi quia causa humani spiritus , & cæterarum rerum : admodum quo pater Legislator est familiæ , quia filiorum principium est causa : cum hoc imperium non sit delatione creaturarum , aut cæterorum entium , sicut est pœnes Reges , Principes , & Magistratus inter homines .

7 III. Ex testimonio naturæ : nam hæc universi machina , prout Cœlum , & terram , & quidquid est in eis complectitur , vel est quid factum , quod cum prius non esset , posse fuit : aut est quid non factum , quod semper fuit ? Si est quid factum , quod cum non esset , cœpit esse , necesse est quod cooperit esse per aliquam causam : & hæc Deus est , qui est ens per se : ergo si machina universi est quid factum , est necessario Deus , qui est illius causa . Hæc consequentia patet ; nam si causa universi , est etiam facta , necesse est , quod sic facta ab alia causa , & hæc ab alia , quosque deveniatur in causam non factam , & hæc est necessario Deus , prima causa omnium aliorum per se existens , vel debet esse reprogresus infinitus causarum à parte ante : Ex quo evincitur mundi machinam , numquam potuisse fieri , quod est contra Theosym , quia , ut fieret erat necessario , pertranscendus infinitus progresus causarum : hoc autem est impossibile ; nam infinitum in quo liber genere pertransiri nequit : ut videre est in Linea infinitæ longitudinis , quæ nec mente pertransiri potest : ergo si machina universi est quid factum , necesse est , quod sit illius causa per se existens , quæ dicitur , est que Deus .

8 Si autem machina mundi non est quid factum : necesse est afirmare esse ens per se existens : ac proinde dare ens per se existens cæterorum causa : ex quo sequitur : difficultate vacare , concipere , & esse ens per se existens , quod causa sit cœli , & terræ : cum machina universi concedatur ens per se existens cæterorum causa .

9 Ulterius , nam si mundi machina , est quid non factum ;

necessæ est quod ipsa corpora , quibus constat sint , quid non factum : unde Cœlum , Sol , Luna , Stellæ , aer aqua , & terra , erunt quid non factum ; perindeque negando unum factorem cœli , & terræ , constricti sunt Atheismo tincti , ad struere innumerabilia , quid non facta ; nam Stellæ sunt innumerabiles , quo nihil stultius .

10 Deinde , quia , Sol , Luna , & Stellæ suos peragunt ordine mirabili , motus ; ut anni efficiant Stationes , terra que producat frutus , homini , & reliquis animalibus necessarios , & dementis circuitionibus , iterum atque , iterum easdem repetunt : sicque annorum summa conficitur : uti magistra docet experientia . Si ergo sunt quid non factum , vel necessario hos peragunt motus , vel libere ? Si necessario : sequitur evidenter , quod hi motus sint infiniti aparte ante , & hæc infinitas , sit emensa , & pertransibilis : quod est contra esentiam infiniti : si autem dicatur voluntarie peragere suos motus ; contradicit experientia , cum doceat : semper eodem modo operari : unde quia ignis semper calefacit , & nix incutit frigus , operari necessario dicimus ; atque adeo de primo ad ultimum : si Sol , Luna , & Stellæ sunt quid non factum , & operantur necessario , infinitas motum eorum aparte ante erit emensa , & transacta ; quod est evidentissime contra rationem infiniti ; qua propter asseri debet orbes cœlestes , Solem , & Lunam , ac Stellas , esse quid factum , darique factotem , qui dicitur , & est Deus .

11 Demum ex tali positione Atheistarum : si Cœli , & plantæ , necessario suos peragunt motus , & sunt quid non factum , sequitur aperte , quod infinito possit esse majus : id autem notioni infiniti clarissime repugnat : consequentia autem veritas , patet ad sensum , nam infinitas hodierna notuum cœlestium orbium Solis , & Lunæ aparte ante fiet major motu subsequentis diei , & semper major , & major subsequentibus : quia prædictæ infinitati semper aliquid superaditur : ergo fiet major , & major : cumque hoc sit contra ratione infiniti , & contra rationem agentis necessario ; fatendum est orbes cœlestes , plantasque esse quid factum , darique horum factorem , & creatorem .

12 Idem argumentum militat in motibus terræ , esto
adG

adstruatur Systhema Galilei de terræmotu, & cœlorum immobilitate, nam pari modo, si terra necessario peragit motus, & est quid non factum: ejus motus erunt infiniti à parte ante: & hoc infinitum erit pertransibile, & quotidie fiet major, & unum infinitum erit altero majus. Unde eum hæc sint ex prima notione, repugnantia, necesse est ea facta fateri.

13 Ex dictis non restat Atheis aliud efugium, quam asserere cœlos, planetas, astra, aerem, aquam, & terram libere suas operationes peragere, & cursus suos ciere, consequenterque in hanc mirabilem dispositionem coaluisse libero, & voluntario modo: hoc autem imaginari stultissimum est: *Tum*, quia si hanc concordiam, voluntarie iniere, tot & tam diversa corpora, timeri poterit, quod voluntarie disrumpant, & omnia inferiora, simul pereant: *Tum*, quia voluntarie operantes, precibus, votis, & aliis hujusmodi moveruntur: hoc non contingit in corporibus cœlestibus, & elementis: ut patet experimento: ergo non sunt agentia libero modo. *Tum*, quia corpora elementaria, uti experimur, sepissime violentissime se se movent, uti terram aer, ejus visceribus reclusus, mare autem ventorum furia: cum autem omnia quietem apetant, sic se moveri, & agitari non permitterent, si ratione, & voluntarie agerent, cum id esset contra innatam concordiam, unde concludendum apparet, hæc corpora, nec esse voluntate, nec ratione prædicta, sed agere necessario.

14 Demum nequid omitamus ex generatione hominis, & aliorum animantium perfectorum, evincitur Dei existentia; nam Atheorum Sententia cœlorum, & elementorum, Systhema idem nunc est ac antea: sed à Systheme cœlorum, ac elementorum quod nunc est, numquam productus est homo, aliquod ve ex perfectis animantibus; ergo nec ante productus est à Systheme cœlorum, aut elementorum homo, aut aliquod ex perfectis animantibus: cum autem nemo se ipsum producere possit, & omnes homines, & animalia perfecta producta experiamur: necesse erit ultra cœlorum, & elementorum Systhema, fateri hominum, & animantium perfectorum conditorem distinctum ab omni Systheme cœlorum, & elementorum. Ex his apparet facile, quantis deliriis locum dederint Gentiles, qui tenebris ignorantia voluntarie ob-

obexcitati, non agnovere Deum hominum, & perfectorum animantium conditorem, sicuti coeli, & terræ: putantes homines sponte sua terram produxisse, uti de Atheniensibus, Arcadibus, & Thesalibus, docent Herodotus, Plato, Strabo, & plerique Poetarum, de quo alias scripsimus.

DE UNITATE DEI.

15. **O**b hac Gentes ignorantia culpabili plurimos colluisse Deos proprios, vel ascititos aliunde, vulgare est, apud Sacros, & profanos auctores. Libri sapientiarum auctor satis edocet cap. 13. quæ, & qualia adoravere, & habuere pro Diis gentes plurimæ, eo dementiæ progressæ, ut in numerum Deorum censerent etiam animalia novia, ut loquens de Ægyptiis eos taxat Juvenalis.

16. Græcorum turbam Deorum, Saturni, scilicet, Iovis, Junonis, Minervæ, &c. satis constat Deos non fuisse, ex eorum Theogonia; nam eorum opinione aut fuere homines, tempore Adelon, aut Mythico, & sic Dii non fuere; aut solum significabatur, illis nominibus naturæ, vis, & efficacia, reposita cœlis, & elementis, proinde apud Sapientiores, Diana nihil aliud erat quam Luna, Juno, Aer, Neptunus Mare, Apolo Sol, Ceres Terra, Saturnus Cœlum, aut tempus, & sic de aliis; quæ omnia cum sint orbis partes, ex proxime dictis patet, nihil Deitatis habere.

17. Solum ergo disceptandum, & cum Platonicis, & Hereticis, qui duo posuere rerum principia. Platonici ultra Deum causam per se omnium rerum activam, posuere materiam Deo coevam, ex qua fierent omnia: quippe judicabant, ex nihilo nil fieri potuisse; quamquam non defuerint, qui Platonem ab hoc errore purgare conati sunt; sed quidquid sit de Platone, in hoc errore fuit Hermogenes ad finem II. saeculi Christiani, uti fidem facit Tertullianus lib. contra ipsum cap. 14.

18. Seculo II. Christiano, ex Cerdonis Schola emersit Marcion Ponticus, filius catholici, & pii Episcopi, qui ipsum propter stuprum ab Ecclesia communione se movit. Hic inter hereticos primus duos edidit Deos, bonum unum, al-

terum malum : mundi conditorem : malorum , quippe assertebat. Deum bonum authorem esse non posse ; uti docent S. Ireneus lib. 1. cap. 29. Tertulianus lib. 1. contra ipsum cap. 21. & alii PP. Marcionem Magistrum Appelles secutus est, & Seculo III. Manichæi in eodem heresim luto , à quibus prognati alii heretici sequentibus saeculis.

19. Dei unitatem contra gentes , & hereticos multis modis demonstravere PP. ascilentes suffragia præcipuorum Philosophorum , & Poetarum. I. que clarissime evincitur, ex ipso Dei conceptu : nam repugnant ens per se cæterorum entium causa , & quod cætera entia ab illo distincta , non sunt ab illo causata , & effecta , sed quod est causatum , & effectum. Deus esse non potest : ergo quidquid est distinctum ab ipso, Deus esse non potest : ergo necessario est solus , & unicus Deus , qui est ens per se causa cæterorum entium ab ipso distinctorum.

20. II. Quia infinitum in aliquo genere , non potest non esse unicum in illo genere : quippe infinitum in ratione talis continet , quidquid pertinet ad illam lineam , ac proinde majus esse non potest ; si autem id non contineret, posset additio fieri , non contento , & consequenter posset fieri majus : quod est contra rationem infiniti : sed Deus ex conceptu suo , est in linea essendi infinitus , ut postea evincemus : ergo non nisi unicus esse potest : cum debeat continere quidquid pertinet ad lineam Deitatis : proinde nihil super esse potest , ut sit alter Deus : admodum quo; si omnes lapides mundi insumerentur in uno edificio , nullus superesset lapis , ex qua aliud ædificium fieri posset.

21. III. Quia fictis duobus Diis , vel unus est superior alio , vel essent omnino æquales ? Si unus est alio superior, inferior Deus esse non potest : quia Deus est , quo nihil est majus , nihilque æquale : ergo Deus inferior re vera Deus esse non potest. Fingamus autem æquales esse natura , sapientia , potentia , voluntate , & libero arbitrio : vel unus posset operari , sine alio vel non ? Si unus sine alio operari non posset : neuter esset Deus : quippe Deus sicuti debet esse , per se existens , & necessario , independens in esse , & consequenter in operatione , cum operari sit consequens ad esse , ac ad na-

turam. Si autem essent aequales: vel unus posset ob sistere alii perfecte, & adequate, vel non posset? Si non posset ob sistere, hic Deus non esset, & alter per necessariam consequen-
tiam esset potentior, cum huic Deus A. ob sistere non posset;
& consequenter Deus non esset: si invicem sibi ob sistere pos-
sunt, sequitur nullum ex his esse Deum: quia nullus ex illis
potest absolute aliquid facere, unde necessitas Divinitatis, est
etiam unitatis necessitas, ut docte disservere SS. PP.

22 Hinc facile dispellitur Platonis, & Hermogenis era-
ror. I. Quia si ea Deus ens per se, & ceterum causa, est etiam
causa materiae; quia haec non est Deus, & consequenter cau-
sata à Deo: quia omne quod est, Deus non est, à Deo habet
esse, ac perinde non potest esse Deus. II. Quia nulla apparet
implicatio in ponenda materia creata, & producta: quia eodem
modo fierent, ac consisterent res, sive materia esset in-
creata: alias nulla apparet necessitas adstruendi materiam in-
creatam: ergo rationabiliter increata adstrui non potest.

23 Dicere forte poterant, quod cum ex nihilo fieri pos-
sit nihil, esse necessariam primæ causæ efficienti materiam
coevam, ut ex ipsa possit aliquid facere. Atamen, vel prima
causa efficiens potest facere aliquid, quod non sit materia,
vel id non potest? Si potest facere aliquid quod non sit ma-
teria, vel corpus, ut animam nostram: id ex nihilo necesse
est fieri, ac proinde assumptum est falsum, poteritque prima
causa etiam ex nihilo facere materiam. Si nihil potest facere,
nisi ex materia præsupposita; vel producit re vera aliquid dis-
tinguum, à materia, & corpore, vel non producit; sed so-
lum dat materiae, novam figuram, ordinem, & dispositio-
neum? Si primum, jam illud quod producit erit ex nihilo;
ac proinde labitur per se fundamentum erroris. Si secundum
sequitur, quod Deus ens per se existens, & prima causa, so-
lum se habeat sicut figulus, qui ex luti massa vasa efficit, &
nihil possit efficere, nisi materiale, & corporeum: qui error
est crassissimus, licet Saduceorum votis fulcivus, qui non esse
spiritus affirmabant, de quo alias.

24 Marcionista, & Manichæi aliique hujus facis hæreti-
ci, si vellint censeri nomine Christiano, facilime evinci pos-
sunt, ex Veteri, & Novo Testamento, in quibus perspicua est
uni-

unitas Dei. Audi Israel. Dominus Deus noster, Dominus unus est. Deutheron. cap. 6. & Paulus ad Rom. cap. 3. Quoniam quidem unus est Deus. Si autem inter Philosophos velint ad numerari : cum nulla substantia sit per se mala , non est necesse excogitare , primum principium mali ; unde malum absolute nullum est , nisi peccatum , quod originem habet ex libero arbitrio creaturæ intellectualis. Deinde Deus malus est per se repugnans , uti dicemus loquentes de Dei bonitate : estque repugnans Deus , qui non sit omnium rerum causa : ut omittam Theomachiam , seu pugnam diversorum Deorum , mille que deliria , quæ ex tali errore emanant.

25 Sed quia Antichristiani , possunt nobis obiicere , quod argumenta , quæ evincunt unitatem Dei , excludunt pluralitatem personarum : quia data una persona infinita , cæteraque , quæ de potentia , sapientia , & voluntate , differimus personis adaptari posint : unde , si statuitur unitas Dei , regleganda est Trinitas Personarum.

26 Ad hæc tamen respondemus : nos confitemur Trinitatem Personarum esse unicum Deum ; quia in illis est eadem deitas , essentia , & natura , Sapientia , voluntas , & Omnipotencia ; unde inter Divinas Personas nulla discordia esse potest ; sicuti esse posset ; si duo possent esse Dii diversa voluntate , libertate , & potentia prædicti : nam ad discordiam requiritur diversitas voluntatum. Infinitas autem Dei est infinitas absoluta , & necessario excludens alium Deum , sicut quantitas infinita excludit aliam quantitatem infinitam ; atamen infinitas Personæ Divinae qua talis , est infinitas relativa ; nam relatio non potest esse , nisi inter diversa extrema ; proinde infinitas Personæ , Patris necessario exposcit Personam Filii : unde ex infinite naturæ Divinæ recte infertur necessario Deum unicum esse , & non infertur hunc unicum Deum , non posse esse Trinum in Personis ; sicuti ex infinite quantitatis , non recte posset inferri , quod in illa tres modi , aut qualitates , non possent esse.

27 Atheismo , & Gentilismo profigato , restat querere : Art. an existentia Dei sit per se nota , hominibus , seu an hæc propositio : Deus existit , sit per se nota : Disentиunt Thomistæ , & Scotistæ , diversis modisque explicant propositionem

per se notam , & secundum se , & quoad nos ; sed cum nos
tio sit intellectus cognitio , juxta modum quo objectum re-
presentatum , per apprehensionem , determinat intellectum ad
assensum convenientia prædicati cum subjecto , sic propositio
erit nota , vel cognoscibilis. Objectum autem , vel per se
immediatè , explicatis terminis , determinat intellectum ad
sui notionem ; vel non determinat , sed solum mediante alio,
hoc est , conexione extreborum , & mediante discursu , & hoc
objetum non potest dici per se noscibile. Exemplum primi
modi cognoscendi , conspicitur in hac propositione : *Ego exis-
to* ; quæ immediatè determinat intellectum , ad assensum , &
notionem meæ existentia : *Quodlibet est , vel non est ; omne
totum est majus sua parte* , & alia hujusmodi. Exemplum sea-
cundi , est hæc propositio : *Homo est admirativus* , quia po-
test cognoscere effectum , & ignorare causam.

28 Dicendum est , quod hæc propositio *Deus est* , seu
Deus est existens , non est nobis immediatè , & per se nota.
Ratio est ; quia propositio immediatè , & per se nota ea dici-
tur ; cujus objectum immediatè , & per se determinat intel-
lectum ad sui assensum , & notionem ; at objectum , & enun-
ciatum per hanc propositionem : *Deus existit* ; immediatè , &
per se non determinat intellectum , ad sui assensum , & no-
tionem : alias nullus posset negare , aut dubitare de illa : er-
go non est hominibus immediatè , & per se nota , hæc propo-
sitio *Deus existit*.

29 Confirmatur : quia Dei existentia , non est immediatè ,
& per se cognoscibilis , per sensum corporalem : cum Deus
sit extra , & supra omne sensibile ; alias objectivè , & ratione
sui , non determinat intellectum ad sui assensum : ergo nullo
modo est immediatè nota. Confirmatur ulterius : quia con-
venientia subjecti , & prædicati , vel se ipsa determinat , in-
tellectum ad assensum , vel non determinat ? Si se ipsa deter-
minat , erit per se nota ; secus si non determinat : at hæc pro-
positio *Deus existit* , non sic determinat intellectum : ergo non
est per se nota , nec per se noscibilis. Ex quo facile diduntur
argumenta aliarum sententiarum : quia propositiones solum
sunt noscibles , per ordinem ad notionem , & cognitionem
intellectus nostri.

ART. II. An possit dari ignorantia invincibilis Dei in homine compote usus rationis?

30 **C**ertum omnino est, pueros ante rationis usum, fatuos, & amentes, ignorare posse Deum existere; cæterum de homine, qui discretione pollet dubitari queit. 1. An subterfugere possit ejus apprehensionem Dei existentia? 2. An apprehensa possit habere ignorantiam invincibilem illius? Ignorantia autem invincibilis ea dicitur ad quam vincendam nullum, pro tunc supetit medium, juxta circumstantias temporis, & loci.

31 Dicendum cum communi Theologorum sententia, quod nullus homo rationis compos, potest subtergere Dei apprehensionem, saltim sub conceptu Legislatoris: quippe homo rationis compos, non potest non experiri interiorem Legem; juxta quam operari tenetur: ergo non potest, non apprehendere Legislatorem: quia lex, & Legislator sunt correlative, quæ sunt simul natura, & cognitione, sicut nemo potest experiri, se esse servum, quin apprehendat rationem dominii: unde cognita lege interiori, quam nemo compos rationis potest ignorare, Legislator non potest subterfugere ejus apprehensionem.

32 Cæterum, quia exterminis non videtur aparere, quod qui est interioris legis auctor; sit ens à se, & cæterarum rerum causa, quæ est præcipua ratio Dei ut distincti à creaturis; queritur: an sub hac ratione possit invincibiliter ignorari ab aliquo homine?

33 Dicendum quod per aliquid breve tempus potest aliquis habere ignorantiam invincibilem Dei subconceptu formalis entis à se, & causæ cæterorum entium. 1. Quia existentia Dei sub hoc conceptu, non est immediate, & exterminis nota, nec est immediate, & exterminis nota identitas Legislatoris interni, & entis per se causæ cæterorum: ergo non potest esse nota, nisi mediately, & per discursum. Tum sic: sed ad dif-

cursum proprium, vel alienum, requiritur aliquod tempus maius, vel minus juxta aciem, & vivacitatem ingenij: ergo illo tempore, quo discursus perficiatur evincens existentiam Dei, & ejus identitatem cum Legislatore interno, potest quis habere ignorantiam invincibilem Dei, esto cognoscat ratione legis Legislatorem cum consequenter sit moraliter operans. Mihi videtur hoc præsertim posse contingere, in puer, & homine inter barbaros, enutrito, & ab humana politia separato.

34 Sed dices: si per aliquod tempus, quo homo laborat discurrendo, ut noscat existentiam Dei, non habens à quo de hac veritate certus fiat, pollet ignorantia invincibilis illius, si tunc moreretur, quæ illius fors? Resp. Quod tunc homo ille ante mortem illuminaretur à Deo, sive per se, sive per alium, ex vi providentiae hujus status, ut posset salvare, & à Deo cooperaretur illuminanti, salutem consequaretur; secus si respueret Dei illuminationem, de quo longior sermo alio loco.

35 Sed dices ulterius: si per aliquod breve tempus posset esse in homine ignorantia invincibilis Dei entis à se, & causæ cæterorum entium; per illud breve tempus posset dari, peccatum pure philosophicum; quippe ea temporis brevitate, posset operari contra legem sibi noram; nam hoc est, pervenire ad usum rationis: & cum nosceret Deum primam causam; peccatum illud esset pure philosophicum: at hoc dari non potest: juxta damnationem Romani Pontificis: ergo nec pro brevi tempore potest dari in adulto ignorantia invincibilis Dei.

36 Resp. Quod homo adultus in aliqua materia, is diciatur, cui nota est lex de modo operandi in illa materia; consequenterque est notus Legislator: quia lex, & Legislator sunt correlativa, simulque sunt cognitione: unde hoc ipso, quod peccatum sit contra legem, est simul contra Legislatorem, qui est Deus, atque adeo repugnat peccatum, quod non sit contra Deum, & repugnat pure philosophicum, hoc est, pure contra rationem; sicque dignissime damnata est sententia illud propugnans.

37 Dicendum ulterius, quod longo tempore non potest dari

dari in homine adulto ignorantia invincibilis Dei , ut creatoris. Hæc est communis Theologorum sententia ; quia regulatiter loquendo , nullus est adultus , qui non excipiat longo tempore , illuminationem à Deo , ut possit salvare : quippe vult omnes homines salvos fieri : hæc autem illuminatio , non potest non esse in ordinem ad ejus notionem , ut creatorem ; cum sine ejus cognitione salvare nemo possit : ergo longo tempore , non potest dari in homine adulto ignorantia invincibilis Dei , ut creatoris.

38 Ulterius quia homo adultus visu pollens longo tempore appareat impossibile , quod non admiretur cœlorum , & elementorum fabricam , ac proinde excitetur ad notionem Auctoris , sed cum hac excitatione culpabilis , est Auctoris ignorancia : ergo adultus visu pollens per longum tempus , non potest inculpabiliter pollere ignorantia Dei. Hac de causa . Job. cap. 36. v. 25. dixit. *Omnes homines vident eum , & Paulus ad Rom. cap. 1. v. 19. & 20. Quod notum est Dei , manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit : Invisibilia enim ipsius à creatura mundi , per ea quæ facta sunt , intellecta conspicuntur : ad hæc :* quod notum est hominibus de Deo manifestum est ex ejus operibus , & per illa Deus ipse hominibus manifestavit , ea enim quæ sunt in ipso invisibilia , oculis corporeis à mundi ex ordine per ea , quæ fecit atente considerata conspicuntur , & apparent: unde cum nullus adultus , qui oculis polleat , per longum tempus , non possit non considerare mundi creaturam dispositionem , & ordinem , fit inde , quod nullus longo tempore , possit laborari ignorantia invincibili Dei ut creatoris.

39 Diximus consulto adultum visu polentem , nullatenus per longum tempus posse laborare ignorantia invincibili Dei : nam potest dari adultus à nativitate cœcus ex Joanne cap. 9. v. 1. qui cum conspicere non possit ordinem , & dispositionem mundi , nec ideam formare de præcipuis ejus partibus , ut experientia compertum est : fit inde , quod longiori tempore , potest inculpabiliter ignorare Deum sub conceptu primæ causæ omnium entium , quæ sunt ab ipso diversa.

Idem dicendum de mutis à nativitate quia eodem defectu tenentur.

DISPUTATIO II.

*DE HIS, QUÆ POSSITIVE
de Deo dicuntur, & suo modo de
creaturis.*

1. **P**riusquam discutiamus de ijs, quæ pertinent ad divinas perfectiones, ut propias Dei, ut distincti à creaturis, oportet differere de his, quæ suo modo etiam convenient creaturis, & primo qualis sit Dei unitas? Nam ex ea facile fit transitus ad demonstranda aliqua de Deo, ut creaturis communia.

ART. I. Qualis sit Dei unitas?

2. **D**icendum 1. Quod Deus est unus unitate omnimodæ simplicitatis. Probatur: nam ens primum cæterorum causa, non potest non esse maximè unum, unitate simplicitatis; talis est Deus: ergo non potest non esse, maximè unus unitate simplicitatis. Minor prob. nam major, est ipsa Dei notio: ens primum non suponit aliud ens: sed quod non suponit aliud ens, est maximè unum unitate simplicitatis: ergo. Min. probatur: quod non suponit aliud ens, non habet aliud ens, ex quo componatur; quippe quod est unum per compositionem, suponit partes ex quibus resultat: ergo si Deus, est primum ens nullum suponens, & cæterorum causa, non potest non esse maximè unus unitate simplicitatis.

3. Confirmatur ex Concilio Lateran. sub Innocencio III. qui cap. 2. substantiam Patris confitetur, omnino indivisibilēm, & omnino simplicem: quo nihil dici clarius potest. Ex his sequitur 1. quod Deus non est quid corporeum, ut Aduiani censuere, & aliqui rudissimi Monachi: missis Gentilibus, qui creaturas corporeas Deos censuere, nam quod non habet partes, non est quid corporeum; sed Deus cum sit unus uni-

unitate simplicitatis omnimodæ , partes non habet : ergo non est quid corporeum : unde Joannes cap. 4. *Spiritus est Deus.*

4 Nec refert : quod in Sacra Scriptura humana membra Deo tribuantur , ut facies , oculi , manus , &c. quia solum tribuuntur metaphorice , non rei pròprietate , ad modum quo tribuuntur Ira , pœnitentia , & alia : quibus metaphoris utitur Scriptura , ut rebus sensibilibus aliquo modo Dei invisibilia noscamus : nam ea quæ agimus corporeis membris , exequitur seipso Deus : unde quia oculis videmus divina cognitio , qua omnia intuetur oculorum nomine significatur , & sic de aliis membris. Nec etiam refert quod Tertullianus Deo corpus adscribat : nam vindicat eum Pamelius dicens , hujus Auctoris phrasí , solum nomine corporis exprimitur , quidquid vere , & realiter est , & existit : qua ratione , & Angelos , & animam corporeos dixit.

5 II. Sequitur quod Deus , non est compositus ex forma , & materia , sicut sententia Aristotelica composita phisica , quia quod est essentialiter unum , unitate simplicitatis , non potest esse compositum , ex materia , & forma , at Deus est unus unitate simplicitatis , ergo non potest esse compositum ex materia , & forma , quippe simplicitas est quid repugnans compositioni cuilibet. Ex quo , & elicitur , quod non est compositus , ex substantia , & accidenti : quia quælibet compositio repugnat summa simplicitati. Qua autem causa Deus non sit capax accidentium seu modorum , postea docebimus.

6 III. Sequitur quod Deus sit omnino indivisibilis : quia quod non potest in partes dividi , est omnino indivisible ; sed Deus non potest in partes dividi : ergo est omnino indivisibilis. Consequentia tenet , & maj. est per se nota. Min. prob. quia quod non habet partes , non potest in eas dividi ; sed Deus nullas habet partes ratione summa simplicitatis : ergo non potest in eas dividi.

7 IV. Sequitur , quod Deus sit substantia omnino spiritualis : partes duas habet illatio : prima prob. nam ens quod seipso formaliter existit , & nulli substat , est formaliter substantia : hæc enim est ejus notio , & essentia : sed Deus seipso formaliter existit cum sit ens per se ; & nulli substat ; cum sit primum ens : ergo est substantia. Secunda prob. nam substantia

tia indivisibilis ; corporis expers , est omnino spiritualis : sed Deus est substantia indivisibilis corporis expers : ut constat ex dictis ; ergo est substantia spiritualis omnino. De aliis autem perfectionibus Dei , quibus suo modo comunicant creaturæ , locis agens suis , uti de vita , scientia , voluntate , sanitatem , & virtutibus ipsius.

8 Hæc enim præfacta , quæ de Deo dicuntur , dicuntur etiam de Angelo , & anima rationali suo modo , nam Angelus (& idem de anima rationali) est substantia spiritualis indivisibilis corporis expers , & materiæ , & formæ , uti suo loco dicemus.

ART. II. *De Aeternitate Dei.*

9 **N**unc erit nobis dissertatio de his , quæ de Deo dicuntur , & nullatenus de creaturis possunt dici , & primum de æternitate , cuius notio , & cognitio necessario præmitenda : quam etsi verbis variis descripserint Theologi , & Philosophi , omnes sensu coherent.

10 Duratio ut à notioribus procedamus , nihil aliud est quam permanentia in esse : unde instans durationis continua instans existentia : res namque quæ existit instanti A. & non existit in instanti B. non potest dici durans , ut est per se manifestum. Rerum alia incipiunt esse in tempore , & eodem finiuntur ; ut plantæ earum fructus , animantia , & homo : in quibus est designabile , quando non fuerunt : quando extiterunt , & quando esse desierunt : alia incipere esse in tempore , & semel existentes , nunquam finem sunt experturæ , uti Angelus , anima rationalis , & alia , uti cœli , quæ æterna dicuntur à parte post , quorum duratio ævum dicitur unde sicut Angelus , & anima rationalis dicuntur æterni à parte post , perfecta æternitas non potest non esse , nisi duratio necessaria , cui non sit designabilis finis à parte post ; nec designabile principium à parte ante in omni excogitabili duratione ; unde æternitas nostro concipiendi modo , est duratio necessaria sine principio , & fine.

11 Dicendum igitur Deum esse perfectissimè eternum . I. Quia id quod nunc est necessario existens , existensque simili-

liter, pro omni duratione interminabili, & excogitabili, tam à parte ante, quam à parte post, est perfectissime æternum; sed talis est Deus: ergo est perfectissime æternus. Min. prob. quia Deus est essentialiter per se existens, cum sit cæterorum causa: ergo est existens necessario pro omni duratione interminabili, & excogitabili, tam à parte ante, quam à parte post. Patet consequentia: quia id quod convenit alicui essentialiter, convenit illi pro omni duratione interminabili, & excogitabili; unde quia homini convenit essentialiter esse animal rationale, in nulla duratione potest concipi, quin sit animal rationale: ergo si Deus est ens per se, & per se existens: alioquin non esset Deus, & hoc ei convenit essentialiter, nulla duratione concipi potest, ut non existens, sed in omni debet concipi, ut necessario existens, ac proinde est necessario æternus.

12. II. Quia id quod necessario fuit sine principio, & necessario existit pro omni nunc, existitque necessario pro omni cogitabili, & interminabili duratione, est perfectissime æternum: sed talis est Deus ut pote existens sine principio necessario, alias Deus non esset, necessitas autem existendi sine principio, est necessitas existendi pro omni duratione: ergo Deus est necessario existens. Mitto aliis id ipsum probare ex PP. & Theologis; & confirmatur, ex Sacra Script. Genesis cap. 21. n. 33. *Abraham invocabit ibi nomen Domini Dei æterni.* Baruch. 4. n. 7. *Exacerbastis Deum æternum.* Ad Rom. 16. n. 26. *Preceptum Dei æterni.* Suntque in hac Sententia Platonici, & Peripatetici; sunt etiam Judei, & Mahometani. Nec refert, quod in Scriptura aliquando dicantur, aliqua permansura in æternum, quæ principium, & finem, habuere, ut Genesis 17. n. 8. & alibi: quia ibi æternum accipitur pro longa duratione, ac proinde impropriè; de Deo autem debet accipi, cum omnimoda proprietate: Tum ex præmissis demonstrationibus; Tum ex aliis Script. locis, quibus firmatur Dei existentia ante sæcula, & in sæcula, ut Psalm. 87. n. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a sæculo usque in sæculum tu es Deus.* Ex his infertur: quod æternitas solum potest dici mensura Dei, quæcunus est ipsa existentia indivisibilis, & necessaria ipsius, in

qua non est invenire prius , & posterius ; sed indivisibiliter est tota simul , ut dixit Boetius .

ART. III. An aliqua creatura possit existerre ab æterno à parte ante?

13 **C**ertum est quod nulla creatura potest esse ab æterno , ex se , & per se ; alioquin Deus esset : unde quæstio solum versatur , an possit produci à Deo ab æterno , ita ut ab æterno existat ex libera Dei productione , & cum dependentia ab eo in existendo . In qua affirmantem partem teneant plures , similiterque plures negantem .

14 Dicendum nullam creaturam posse ab æterno existere . Probant plures : quia ex PP. æternitas est propria Dei , & inde ex æternitate Filij probant Deum esse , contra Photinianos , & Arrianos : ergo id non potest competere creaturæ nam si posset convenire creaturæ æternitas , licet Dei productione , hæc esset mala consequentia : Filius est æternus , ergo non est creatura : cum non repugnet creatura , quæ sit ab æterno : Potest tamen dici quod PP. non ex sola æternitate probarent divinitatem Filii : sed ex ea ut conjuncta cum alia propositione de fide , nempe : quod de facto nulla creatura est æterna , sed omnis habuit principium in tempore reali , vel imaginabili : hoc modo quod est æternum , non est de facto creatura ; sed Filius est de facto æternus : ergo de facto non est creatura .

15 Sed hoc misso prob. efficaciter nostra sententia : quia implicat creatura æterna à parte ante : quæ non intelligatur existens , pro omni duratione intelligibili , & imaginabili ; sed implicat creatura existens pro omni duratione intelligibili , & imaginabili : ergo implicat creatura æterna aparte ante . Maj. est certa ex natura æternitatis à parte ante , & ex paritate æternitatis à parte post . Min. autem prob. quia implicat creatura , quæ non transeat de non esse ad esse : quippe de non esse transit ad esse , & hoc est essentialie omni creaturæ : ergo implicat creatura existens pro omni duratione intelligibili ,

&

& imaginabili. *Prob. conseq.* nam repugnat creatura, quæ in duratione imaginabili non existentia, priori ad durationem imaginabilem existentia, sit existens: quia implicat pro eodem indivisibili durationis simul non existere, & existere: sed omnis creatura pro aliquo indivisibili durationis debet intelligi non existens; ergo repugnat creatura, quæ pro illo intelligatur existens; ac proinde in omni duratione intelligibili existens, ac consequenter æterna à parte ante.

16 *Confirm.* quia repugnat creatura, quæ non sit producita: ergo quæ non transeat de non esse ad esse: ergo quæ in indivisibili non esse existat; ergo quæ à parte ante sit æterna; nam ad hoc est necessarium, ut existat in omni duratione imaginabili. Hoc fundamentum est S. Athanasii Orat. 2. contra Arrianos.

17 *Sed dices:* Deus ab æterno est potens producere creaturas, cum ab æterno sit omnipotens: ergo creaturae possunt produci ab æterno. *Prob. conseq.* quia potestas activa producendi est correlativa potentia passiva esse productæ: ergo si in Deo ab æterno est potestas activa producendi, & ab æterno in creatura potestas passiva ad esse productam, & consequenter ad existendum ab æterno.

18 *Confirm.* quia Deus non est minus potens producere ab æterno, quam nunc: sed nunc est potens producere creaturam: ergo potuit illam producere ab æterno.

19 *Resp. arg.* quod licet Deus ab æterno possit producere creaturam, quatenus est ex parte actus primi pro duratione, non repugnante creatura; non potest ab æterno producere creaturam exercitè, & pro duratione illi repugnantib; cumque æternitas à parte ante sit duratio repugnans creatura, non potest pro illa sese exercere omnipotentia in productione creatura; ad modum quo, & si Deus ab æterno sit potens producere tempus & motum, hi ab æterno esse non possunt propter repugnantiam successionis, quam essentialiter important, ut fatentur plerique adversariorum: similiter ergo propter transitum essentialis omni creatura de non esse ad esse, est repugnans quod possit exercitè produci ab æterno. Ex quo facilis est satisfactio formalis argumento.

20 *Ex quo ad confirm. resp.* quod licet Deus eodem

modo sit ab aeterno, ac nunc ex parte potentiae ad producendum creaturas, sed non ex parte termini, & pro duratione repugnanti omnimodo termino: quod non est defectu potentiae in actu primo sumptae; sed defectu termini: sicut & si Deus ab aeterno sit immensus, non est ab aeterno positive in creaturis; quia creaturae non erant positive ab aeterno: ita licet Deus sit ab aeterno Omnipotens, quia creaturae repugnat esse ab aeterno, defectu termini, repugnat exercitium omnipotentiae ab aeterno: sicut repugnat exercitium omnipotentiae, respectu impossibilium ex defectu illorum.

21 *Dices* II. non repugnat creatura infinita in suo genere, nec immensa: ergo nec aeterna a parte ante. Resp. quod licet antecedens defendant Theologorum aliqui, Theologis communiter, & nobis falsum est, uti postea dicemus capitulo sequentibus: unde non est quod laboremus investigando discrimine.

22 *Ex his infertur contra aliquos Theologos* quod non est possibilis creatura connaturaliter exigens existere ab aeterno a parte ante: quia nulla creatura potest connaturaliter exigere quod est illi repugnans; sed existere ab aeterno a parte ante, est repugnans creaturae, ut probatum est: ergo nulla creatura potest connaturaliter exigere ab aeterno a parte ante existere.

ART. IV. *An futura sint realiter praesentia, & realiter existant in aeternitate Dei?*

23 **F**uturum qua tale est id quod pro nunc A. exempli gratia, non existit, existet autem postea pro B. aut C. aut sequentibus, uti Antichristus, & Judicii dies: notareque oportet quod aliud est existere realiter objectivè, & aliud existere realiter a parte rei: possibilia namque, & impossibilia existunt realiter objective in scientia Dei, quia verè, & realiter sunt objecta, quæ scientiam Dei terminant, esto non existant realiter a parte rei: futura autem realiter objectivè existere ab aeterno respectu Scientiæ Dei, quia ab aeterno ea cognoscit, Theologorum nemo dubitat; unde quod

venit in questionem, est: An alio modo distincto sint realiter præsentia in æternitate; vel realiter coexistant æternitatis?

24. Thomistæ communissime tenent, quod futura præter præsentiam realem objectivam sunt realiter præsentia in æternitate, & illi realiter coexistunt; oppositum tamen tenent communiter nostri Scotistæ, Jesuitæ, & plures alii.

25. *Dicendum* quod futura præter præsentiam & existentiam objectivam, non habent ullam præsentiam, aut existentiam realem ad æternitatem, aut in æternitate. Missis pluribus fundamentis, quæ videre est in Auctoribus nostræ sententiæ. Prob. quia implicat aliquid esse præsens, vel coexistere alicui realiter, & à parte rei, nisi realiter, & à parte rei sit existens; sed futurum, uti Antichristus, realiter, & à parte rei non est existens: quippe futurum ex sua essentia pro nunc realiter, & à parte rei, non est existens: ergo implicat quod futurum realiter, & à parte rei, sit præsens in æternitate, vel sit illi coexistens. *Maj. est certa*: nam implicat, quod propositio de secundo adjacenti sit vera, nisi subiectum prædictæ propositionis sit existens realiter & à parte rei, uti videre est in hac propositione: Petrus est albus, quæ vera esse non potest, non existente realiter à parte rei Petro: unde cum esse præsens, & coexistere sit quid adjacens existentiæ, quantum ad modum significandi, coexistentia, & præsentia realis à parte rei, non potest non supponere existentiam realem à parte rei, ex parte subjecti. *Min. constat* ex essentia futuri, & consequentia tenet.

26. *Respondent* Auctores contrarii, quod aliud est rem existere realiter à parte rei in propria mensura, & duratione; & aliud existere realiter, & vere in aliena mensura, præser-tim infinita, qualis est æternitas, quæ indivisibilis est, futu-ra autem non sunt præsentia realiter à parte rei in propria mensura, & duratione; alias futura non essent, sed hoc non obstat, ut sint realiter à parte rei præsentia, & coexistentia mensuræ infinitæ & indivisibili æternitatis.

27. Sed hæc solutio, meo iudicio, verborum est: I. quia futurum existere realiter à parte rei in æternitate, ut aliena mensura, vel est existere realiter propria existentia, vel aliena existentia: nam Thomistarum sententia effectus formalis, sine

sine forma repugnat: unde repugnat quod aliquid existat realiter, sive impropria duratione, sive aliqua vera, & reali existentia: sed futurum non existit realiter in mensura aeternitatis, propria, vel aliena existentia: ergo non existit realiter a parte rei in mensura aeternitatis, licet aliena, & propria Dei.

28 *Conseq. tenet: Et min. prob.* quia in primis ipsi Thomistæ fatentur, quod futurum non existit in aeternitate propria existentia: alias non esset futurum; nam quod existit realiter a parte rei propria existentia, futurum non est: ergo futurum non potest existere realiter a parte rei, nisi aliena existentia: tenet consequentia. Tum sic: sed futurum non existit realiter in aeternitate aliena existentia: ergo nullo modo existit in aeternitate, ut aliena mensura. *Prob. min. subsumpta*, quia in primis non existit aliena existentia reali creata. Tum: nam nostra Sententia existentia creata, non distinguitur realiter ab entitate creata. Tum propter immediate dicenda: deinde non aliena increata: ergo futurum nullo modo existit in aeternitate, realiter a parte rei aliena existentia.

29 *Prob. min. quoad secundam partem*: quia si futurum existeret in aeternitate existentia aliena increata, existeret existentia divina: sed hoc est falsum: ergo non existit in aeternitate existentia increata. *Prob. min.* nam si futurum existeret existentia divina, vere, & realiter a parte rei existeret, ita ut non esset futurum nullo modo: sed hoc implicat, ut patet ex terminis: ergo non potest existere existentia divina: *Prob. maj.* nam Sententia Thomistarum humanitas Christi existit per existentiam divinam, ita ut per illam nullo modo sit futura: quia per illam transit de non esse ad esse: ergo si futurum existeret in aeternitate per existentiam divinam, esset a parte rei vere, & realiter existens, & nullo modo futurum.

30 *Confirm.* quia si futurum existeret vere, & realiter aliena existentia, vere & realiter a parte rei extra suas causas, sicuti Sententia Thomistarum existit humanitas Christi: nam eorum sententia sicuti implicat effectus formalis sine forma, ita implicat forma, sine effectu formalis: quippe effectus formalis est ipsa forma communicata: sed existentia sive propria, si-

ve aliena, habet pro effectu formaliter constituere essentiam existentem, & extra causas destruendo statum futuritionis: ergo si futurum existeret in æternitate existentia aliena, existeret vere à parte rei, & extra causas, & nullo modo esset futurum.

31 Ex quo sequuntur plura in convenientia: I. quod humanitas Christi eodem modo existebat ante Incarnationem, ac post illam; quod nullatenus dici quit; nam ante Incarnationem existebat in æternitate per existentiam divinam; sed simili modo existit post Incarnationem sententia Thomistarum, ergo humanitas Christi eodem modo existebat ante Incarnationem, ac post illam.

32 II. Quod futura existentia in æternitate vera & reali existentia simpliciter produci non possint: quod est absurdissimum: nam quod est vere & realiter existens, absolute & simpliciter produci non potest: cum productio sit translatio rei de non esse ad esse verum & reale: sed futura adversariorum sententia sunt verè & realiter existentia in æternitate, & consequenter ab æterno: ergo absolute & simpliciter nequeunt produci: ad modum quo Sent. Thom. si humanitas dimitteretur à Verbo, & inciperet existere propria existentia, non diceretur produci. Hujus generis inconvenientia plura alia deduci possent ex opposita Sententia, quæ brevitatis causa mittimus.

33 Sed nequid prætermitamus ad summovendam obscuritatem oppositæ sententiaz notare est: quod in futuro pro hoc instanti, v.g. A, & est considerare: ipsum futurum, v.g. Antichristum, & durationem, qua futuras est, scilicet tempus proximum conflagrationi mundi, & judicio universali: tempus non coexistit realiter æternitati Dei: nec futurum ipsum ratione præmissa: unde nullo modo possunt futura realiter existere, & coexistere in æternitate.

34 Confirm. ulterius nostra sent. nam, ut plerique adversariorum fatentur, & si immenitas Dei sit infinita, non existit actu, & realiter, in spatiis imaginariis, nec in rebus futuris, anima v. g. Antichristi; ergo, & si æternitas sit duratio infinita, non coexistit actu, & realiter Antichristo futuro, nec eius futuræ durationi.

35 *Sed contra nostram sent. Arg. I.* Quia æternitas est mensura infinita indivisibilis , & tota simul : ergo indivisibiliter , & tota simul realiter coexistit omni durationi præteritæ præsenti , futuræ , & imaginariæ : ergo duratio futura , & futurum , quod illa mensuratur , coexistunt realiter æternitatit. *Prob. consequentia:* quia implicat , quod unum extreum coexistat realiter alteri , nisi hoc coexistat realiter illi : ergo si æternitas coexistit realiter futuro , hoc non potest non coexistere realiter æternitati.

36 *Confirm.* quia immensitas Dei est infinita , non potest non indivisibiliter , & simul realiter coexistere in omnī loco , esto sint loca inter se summe distantia : ergo cum æternitas sit infinita in ratione durationis , non potest non coexistere realiter durationi futuræ.

37 *Resp. ad arg. concessio ant.* sed in illatione involuitur æquivocatio ; æternitas enim licet coexistat realiter inadæquate omni durationi juxta modum suum ; quia simul , & indivisibiliter coexistit præteritioni existentia , & futuritioni ; realiter adæquata non coexistit ; nisi rei realiter existenti : est enim coexistentia realis adæquata , mutua & simultanea duorum existentia realis : æternitas autem ex se , & intrinsece semper est tota simul , & indivisibiliter realiter ; atque adeo indivisibiliter coexistit præteritioni diluvii , futuritioni Antichristi : quia est verum dicere. Nunc est præteritio diluvii : nunc est futuritio Antichristi : sed hæc coexistentia non est coexistentia vera realis adæquata : quia licet æternitas vere , & realiter existat ; futuritio , & præteritio solum existunt realiter obiective ; non vere , & realiter à parte rei ; nec propria ; nec aliena existentia : nam id est contra eorum essentiam : unde futurum suo modo coexistit æternitati ; & hæc futuro : sed ex hoc non sequitur , quod hæc coexistentia sit adæquata realis ex parte utriusque extremi ; hoc autem non est ex defectu Dei , aut æternitatis ; sed quia omnes denominationes , quæ Deo convenient per respectum ad creaturas , non possunt ei convenire realiter , nisi existentibus realiter creaturis , ut patet in denominatione creatoris , & aliis : & cum hujusmodi sit denominatio coexistentis realiter creaturaræ ; cum hæc non existat realiter aliquo modo , uti futurum , intelligi à nobis non

non potest, quod futurum aliquo modo existat, & coexistat realiter adæquate in æternitate, vel per æternitatem: Ex quo faciliter resp. in forma.

38 *Ad conf. resp.* quod potius oppositum probat: nam plures ex oppositis Auctoribus tenent Deum ratione immensitatis non esse actu exercitè & realiter in spatiis imaginariis, nec in creaturis, quæ nondum sunt, ut anima Antichristi; licet sit in omnibus creaturis de facto existentibus, ita nos dicimus, quod Deus ratione suæ æternitatis, realiter coexistit omnibus durationibus realiter existentibus & rebus, prout realiter existentibus in illis; sed non potest coexistere realiter adæquate rebus & durationibus nondum realiter existentibus.

39 *Sed dices:* Deus aliter coexistit rebus futuris & eorum durationibus, ac Angelus creatus à principio duraturus in æternum à parte post: sed Angelus ratione suæ durationis æternæ, à parte post coexistit realiter successive futuris, quando sunt realiter præsentia: ergo Deus ratione æternitatis debet coexistere realiter futuris, esto ea non sint in se realiter existentia.

40 *Resp.* quod coexistentia Dei respectu rerum est diversa ex parte principii à coexistentia Angeli creati in principio mundi: quia Deus coexistit illis per æternam, & indefectibilem, & invariabilem sui existentiam; Angelus autem per sui existentiam destruibilem à Deo, & ab ipso participatam; cæterum in modo coexistendi realiter adæquate, nulla est differentia: quia hæc est denominatio, quæ resultat ex simultanea existentia reali unius, & alterius A. v.g. & B. quæ eodem modo verificatur in omnibus rebus simul existentibus.

41 *Arg. II.* Quia ex mente plurimum PP. futura, ita sunt præsentia Deo, ut respectu illius nihil sit futurum; negantque Deo præscientiam respectu futurorum, quia habet omnium illorum intuitionem; sed hæc verificari non possunt, nisi habeant aliquam realem præsentiam respectu Dei, præpter realem objectivam: ergo habent ultra præscientiam objectivam, aliam realem præsentiam respectu Dei. *Min. prob.* quia cum sola præsentia objectiva componitur, quod futurum respectu Dei sit futurum, & habeat illius præscientiam; & noti-

tia intuitiva non potest stare sine existentia reali rei : ergo prædicta verificari non possunt , nisi futura , præpter præsentiam objectivam , habeant aliquam præsentiam realem respectu Dei ; quæ alia nequit esse nisi in æternitate.

42 *Resp.* Quod PP. non negant futura esse futura respectu Dei , nec illorum præsentiam , hoc enim esset contra Scripturam , & apertissimam illorum mentem , uti dicemus tractantes de scientia illorum , nec Aut. contrarii id possunt asserere , loquendo saltem de futuris in propria mensura. Unde cum asserunt nihil Deo futurum , solum loquuntur de futuro objectivè sumpto : quia ut sic ab æterno est objectum præsens divinæ cognitioni , & ratione hujus præsentiae , videntur negare ejus præscientiam , & ratione certitudinis adstruunt in Deo ejus intuitionem , humana phrasi , qua exprimitur major certitudo per claram intuitionem oculorum. Per hunc respectum loquuntur PP. agentes de Deo , ut cognoscente futura ; non autem quia futurum habeat aliquam existentiam realem , præter objectivam in Dei æternitate.

43 *Ex dictis sequitur* : quod Deus est essentialiter indefectibilis: I. quia quod est essentialiter æternum deficere non potest ; at Deus est essentialiter æternus : ergo deficere non potest: II. quia quod est de essentia alicujus rei , non potest ab ea deficere , sicuti esse animal rationale ab homine : at esse est essentiale Deo : ergo ab eo deficere non potest.

ART. V. *An Deus sit immutabilis?*

44 **N**on est idem esse æternum & indefectibile , ac esse immutabile : Angelus enim à parte post est æternus & naturaliter indefectibilis , & non est immutabilis: mutare enim est rem aliter se habere , ac antea ; & esse mutationi obnoxium , est posse aliter se habere , ac antea.

45 *Dicendum* Deum esse immutabilem : I. ex Num. cap. 23. v. 19. *Non est Deus , ut filius hominis , ut mutetur.* Malach. 3. v. 6. *Ego Dominus , & non mutor.* Epist. Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non est trasmutatio , nec vicissitudinis obumbratio.* II. *Quia Deus non potest aliter se habere , ac antea:*

er-

ergo mutari non potest : *Ant. prob.* quia Deus non potest aliter se habere , aliquid deperdendo , aut aliquid acquirendo: ergo nullo modo potest aliter se habere. *Ant. prob.* quia in primis Deus non potest aliter se habere aliquid amittendo; nam quidquid est in Deo est ipse Deus , qui est spiritus simplicissimus , & indivisibilis ; unde si aliquid deperiit, totum deperiit ; sed Deus deperire non potest : ergo nihil de Deo deperire potest : & consequenter non potest Deus aliter se habere taliter amittendo.

46 *Deinde* non potest Deus aliter se habere aliquid acquirendo : *Tum* , quia Deus , est infinitas in essendo , & infinito nihil addi potest : cum majus esse non possit. *Tum* , quia si Deo aliquid addi posset, non esset omnino simplex , & indivisibilis ; cum ficeret unum cum additamento , & consequenter esset compositus , & divisibilis. *Tum* , quia Deus habet à se , & per se plenitudinem essendi : quod autem habet plenitudinem in aliqua linea , præsertim infinita , nihil acquirere potest.

47 *Ulterius* , quia Deus nec potest acquirere aliquid divinum , nec aliquid creatum; non divinum : quippe quidquid divinum est præsupponitur in illo, ut pote perfectio Deo, qui talis concipi non potest , nisi omni perfectione imaginabili , & subjectum , quod acquirit aliquam entitatem, præsupponitur ad illam : ergo Deus nihil divinum potest de novo acquirere , nec aliquid creatum : nam omne creatum est posterius Deo , ut pote causa illius: ergo pro priori supponitur Deus cum omni perfectione congruenti ipsi constitutus : ergo cum repugnantia ulterioris perfectionis , quia perfectio , quæ non est absolute & aliquo modo possibilis , est illi repugnans : ergo Deus non potest acquirere aliquid creatum.

48 *Hac probant* Deum non posse physice mutari : sed libet ulterius monstrare Deum nullo mutationis modo mutari posse: I. quia non potest mutari in esse , eo quod necessario est , ut monstratum est. II. quia nullum esse acquirere de novo potest , uti iam dictum. III. quia non potest mutari de loco in locum : nam omnia replet , & est in omni loco , uti postea dicemus. IV. quia nec mutari agendo , nam ejus actio quoad entitatem est æterna , & Deus ipse ; uti post dicemus , agendo

de Deo , ut creatore & primo rerum principio : ac tandem nec mutari potest moraliter de bono in malum : quippe est essentialiter sanctus; nec in promissis, cum sit essentialiter fidelis : nec mutare potest propositum & voluntatem , ut constabit agendo de divina voluntate : nullo ergo modo mutari Deus potest.

49 *Ex his liquet* , quantum delirarint , Apollinaris hæreticus , & Eutychiani aliqui , qui , ut adstruerent unam natu-ram in Christo , asseruere divinitatem mutatam , & eonver-fam in carnem : Vorstius Calvinista , ut aliqui referunt , qui Deum secundum voluntatem mutabilem esse asseruit. Præci-pui autem Philosophorum , solo naturali lumine agnovere divinam immutabilitatem.

50 *Verum* , quia contra præmissam veritatem aliqua ar-gumenta militant , quæ aliquantulum negotii facessunt ex-cerpta ex aliis Theologiæ tractatibus , ea indicabimus suis lo-cis dissolvenda , ne hic importune divagemur.

51 I. *Ex creatione* , *¶ productione rerum* : Deus enim est creator & rerum causa in tempore , cum talis non fuerit ab æterno : ergo aliter se habuit , ac ab æterno. Hoc arg. *tract. de Deo creatore* solvitur. II. ex eo quod Deus Verbum , cum ab æterno non esset , homo in tempore factus est , & aliter se habuit. Hoc arg. *tract. de Incarnat.* discutitur. III. ex moti-bus animi , amoris , & odii erga eandem personam , pœnitentiæ , & iræ , &c. Hoc arg. *Tract. de Divina Voluntate* : ac IV. Ex locorum mutatione de quo agitur *tract. de Divina im-mensitate*.

52 *Ex præmissis sequitur* : I. proprium esse Dei mutari non posse de esse ad non esse:quia est essentialiter suum esse: & hoc repugnat creaturæ , quippe libere producitur , & conser-vatur à Deo : & sic subjacet potentia passivæ , ut destinat esse; & non sit : ac proinde repugnat creatura indestruibilis à Deo; quidquid cavillis se excrucient aliqui recentes Theologi. De aliis mutationum generibus in discursu.

53 *Sequitur II.* Deum esse immortalem : quia est vivens , & non potest mutari ; ac proinde est necessario vivens: Unde i. ad Thimoth. cap. 6. v. 16. dicitur : *Qui solus habet immortalitatem.*

**ART.VI. De infinitate, & immensitate Dei
Eiusque perfectione.**

54 **E**SSE finitum nihil aliud est, quam termino, & limite circumscribi & arctari; ita ut ultra terminos & limites non sit: unde à contrario esse infinitum nihil aliud est, quam nullis terminis, aut limitibus coerceri, seu vulgari phrasi *termino carere*: qua propter statuta Dei duratione infinita, de ejus esse, essentia, & entitate, qua ratione Deus est, queritur. An sit infinitus.

55 *Dicendum* Deum simpliciter, & omnimodo esse simpliciter infinitum. I. ex Psalm. 144. v. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Id enim, quod finem non habet, est infinitum, idest non finitum. II. ex communi consensu Ecclesiae, & PP. nec non Philosopherum Basilius, hom. in principium Joannis, Nazianzenus, Orat. 2. in Pasch. Nyssenus, Orat. 1. in 1. Genes. III. ex Dei attributis, & perfectionibus, uti scientia, potentia &c. quæ omnes sunt infinitæ simpliciter, uti suis locis dicemus. Proprietates autem excedere nequeunt naturam cuius sunt perfectiones & attributa; sed attributa & perfectiones Dei sunt infinitæ simpliciter: ergo ejus essentia quidditas, & natura, non potest non esse infinita simpliciter. IV. quia Dens per suam essentiam est id quo melius, & altius excogitari non potest, uti docent Aug. & Anselmus; in dicta eademmet excellētia Dei; sed melius est esse infinitum, quam esse finitum; ergo Deus est simpliciter infinitus.

56 Desudarunt plures in invenienda ratione à priori infinitatis Dei: ex his multi suspicati sunt se demonstrasse ex ratione entis à se: quia non habet causam efficientem à qua limitetur; sed his Auctoribus & probandum restat, quod nihil creatum possit esse infinitum in aliquo genere, ut corpus, qualitas, & alia hujusmodi: & quod unica causa limitationis sit causa efficiens: quod hucusque non est demonstratum: nam qui adstruunt corpus & qualitates posse esse infinitas, aut possibile esse infinitum secundum quantitatem,

& qualitatem, docent aliquas res creatas, natura sua posse esse finitas, aut infinitas: & simul asserunt nullam posse esse creaturam, quæ causam efficientem non habeat.

57 *Misso* An Philosophorum aliqui Deum censuerint finitum: Vorstius Calvinista in hoc fuit errore, teste Becano; sed quibus momentis, pudet scribere: I. quia in Scriptura non legitur Deum esse infinitum, ergo non est infinitus. II. quia nulla creatura est infinita, ergo nec Deus. III. quia Deus est hoc aliquid, quod est autem tale, non est infinitum, ergo. IV. quia Deus videtur quidditative à creatura: infinitum auctem à creatura sic videri non potest: ergo, &c.

58 His aranearum telis irretitus est Vorstius. Ad 1. *resp. neg. ant.* ut constat ex verbis adductis Psalm. quidquid sit de consequentia illata ex falsissimo axiomate hæreticorum, nihil credendum, nisi Sacris Libris scriptum. Ad 2. *concessio ant. neg. conseq.* ex clarissimis instantiis: nulla creatura est aeterna à parte ante: ergo nec Deus: nulla creatura est omnipotens: ergo nec Deus: similis est illatio Vorstii. Ad 3. *neg. subsumpt. minor.* quia esse infinitum, est quod constituit Deum hoc aliquid, ut distinctum ab omni creatura: sicuti si ratio entis à se constituit Deum, hoc aliquid, & ex hoc inferretur non esse infinitum: Ad 4. *concedimus* Deum videri à creatura, sed finito modo: negamus autem, quod infinitum finito modo videri non potest: ad modum quo mons magnus, Sol & astra, et si longissime excedant magnitudinem oculi corporei, ab ipso videri possunt.

ART. VII. *An sit possibile corpus, qualitas, vel modus infinitus?*

59 **Q**uestiones sunt philosophicæ, & satis spinosæ: quoad præsens attinet, restabat disquirere: An ita sit proprium Dei esse in substantiam, & esse infinitum, ut nulla sit possibilis substantia creata infinita in proprio genere? Qui docent infinitatem solum, & potissimum Deo convenire ex ratione entis à se: facilime inferunt nullam esse possibilem creaturam, quæ in esse, & entitate sit

infinita, quippe repugnat creature esse ens à se; quia tamen de hoc supra sermo; & à possibilitate rerum mens nostra longissime distat, suademus nullam esse possibilem creaturam in proprio genere infinitam, licet id sit difficilis demonstrationis.

60 *Fundamentum nostrum est:* quia nulla creatura est comparabilis Deo, nec in esse, nec in aliqua ejus perfectio-
ne, ut sepe testatur Scriptura, & docent PP. At si Angelus in propria natura esset spiritus infinitus, intellectus infiniti,
& infinitæ cognitionis esset: ergo, quantum ad hæc, compara-
bilis esset Deo: Nec valebit dicere, quod Angelus ille non
esset comparabilis Deo: quia non esset cognoscens per cog-
nitionem identificatam secum, uti est Deus. Nam restat sic
excogitanti, ut demonstret, quod repugnet creatura imme-
diate se ipsa cognoscens, & non per actum à se distinctum:
unde firma persuasione tenemur infinitatem, in essendo esse
Dei proprietatem, quæ nullæ creaturæ est possibilis, eo quod
nulla creatura, est ipsi comparabilis.

ART. VIII. An Deus sit immensus?

61 **S**TATUTA infinite in substantia, entitate & essen-
tia Dei, oportet discutere ejus extensionem, in
ordine ad locum, seu de ejus existentia in rebus creatis, im-
mediate, & se ipsa. Quæritur ergo. I. An Deus sit in omni
loco, & omnibus rebus? Philosophorum, Judæorum, & ha-
reticorum aliqui, ut Vorstius, & ex Catholicis Eugubinus
censuere: Deum circumscripsum, & coarctatum loco, uti res
creatæ, nec ubique esse, nec in creaturis, per intimam, &
immediatam præsentiam; sed posse ea de causa moveri de
loco in locum.

62 *Dicendum* Deum per suam entitatem, & essentiam
intime esse in omnibus rebus creatis & omni in loco: I.
Psalm. 138. *Si ascendero in Cælum, tu illuc es; si descendero*
in infernum ades: Jeremia 23. *Cælum, & terram ego impleo.*
Baruc 3. *Imensus est, & non habet finem:* si ergo Deus
est in Cælo, & in inferno, ac utrumque replet, estque im-
men-

mensus, ubique adest, est in omnibus creaturis. II. ex La-
teranensi cap. *Firmiter de Summa Trinitate*, & Symbolo
Athanasii dicto, ubi dicitur *Immensus Pater*. III. ex PP.
Athenagoras Apolog. Origines Homil. 12. Athanas. Orat.
contra Idola, Basilius in principio Joannis, Nyssenus, Chry-
ostomus, Cyrillus, Synaita, Damascenus, & alii Græcorum.
Cyprianus contra Idola, Hilarius 1. & 2. de *Trinitate*, Am-
brosius, Hieronymus, Augustinus, Eucherius, Gregorius
Papa, Isidorus, Auselius, & alii Latinorum.

63 Variis modis conati sunt Theologi demonstrare inti-
mam Dei præsentiam in omnibus rebus. *Thomistæ sic*:
Deus operatur, causat, & conservat omnia creata: ergo
in illis omnibus est intimè, & immediate: quia omne agens,
eget ad agendum, & operandum in distantia, immediatio-
ne, & coniunctione ad passum. Hoc tamen arg. pluribus
subjacet difficultatibus. I. quia sub opinione est. An Deus
immediate, & se ipso concurrat cum creaturis ad earum effec-
tus, & operationes; de quo alio differemus loco. II. quia
licet detur, quod causa creata non possit connaturaliter
agere in distans, de causa increata proper infinitatem suæ
virtutis, id non evincitur evidenter: quippe in creatione
Deus non fuit conjunctus antea passo, cum per illam res
creata esse acceperint. *Tum*, quia si Sent. Thomist. Ange-
lus potest transire de loco in locum, quin transeat per me-
dium, cur Dei omnipotentia non poterit in distans ope-
rari?

64 *Dices*: Apostolus (*Acta Apost. 17.*) docens Deum in
distantem à nobis causam affert: *In ipso enim vivimus, mo-
vemur, & sumus*: ergo operatio Dei demonstrat existentiam
ejus in omnibus rebus. *Sed dici potest*: Apost. docuisse inti-
mam præsentiam Dei in rebus, & concomitanter docuisse:
pendere nos ab eo in esse, moveri & vivere; non vero assig-
nasse causam à priori existentia Dei in rebus.

65 Potior ratio existentia Dei in omnibus rebus est:
quia esse in loco reali, vel imaginario est quid consequens
ad esse rei, & illi commensuratum: nam concipi non potest,
quod res existat, & non sit alicubi, per ipsammet entitatem,
qua existit: sed esse Dei est infinitum, ut dictum est: ergo
quan-

quantum est ex se, est in omni loco: & consequenter in omni creatura.

66 *Confirm.* Deus Spiritus purissimus, infinitus non habet determinatam sphæram ubicationis, & præsentia: ergo est ubique totus. *Conseq. tenet. Ant. prob.* nam Angelus, & anima rationalis, quamquam limitati sint, habent determinatam sphæram ubicationis, & præsentia, qua sunt totum in tota sphæra; & totum in qualibet sphæra parte; uti experimur in anima rationali, quæ cum indivisibilis sit, est tota in corpore, & tota in qualibet corporis parte: ergo Deus, qui est Spiritus infinitus, propter suam infinitatem, non potest habere determinatam sphæram ubicationis, & præsentia, consequenterque est in omnibus rebus, & locis.

67 *Dicendum II.* Deum non esse in loco, ut comprehensum, & circumscripsum à loco; sed ut illum complens, & super excedens: Hoc enim docent PP. præcitat, & evidenter sequitur ex dictis: nam quod est in uno loco, ac per hoc non coarctatur ad existendum in aliis locis, non est comprehensum, & circumscripsum loco; sed Deus ita est totus in omni loco, ut non sit coarctatus ad illum; sed potius existit totus in omnibus aliis locis: ergo non est in omni loco, ut comprehensus, & circumscripitus ab eo. In quo dogmate converniunt Judæi, & Mahometani.

68 *Nec refert quidem*, quod in Scriptura dicitur: Deum descendere, ambulare esse in Cœlo, & alia hujusmodi referatur: nam hujusmodi phrases sunt metaphoricæ: Deum enim descendere est operari in rebus inferne existentibus: ambulare, quia sub specie ambulantis se manifestavit, uti dicitur Genes. cap. 3. esse autem dicitur in Cœlo, quia ibi se ipsum Angelis, & Sanctis se manifestat, ibique eum facie ad faciem adorant; non vero quia determinatus locus ipsius sit

Cœlum; ita ut alibi non sit.

ART. IX. An Deus sit positive extra mundum?

79 **H**OC idem est ac querere: an Deus sit actu in spatiis imaginariis? Omnia quæ creavit Deus, tertissimum est cœlorum ambitu contineri: inde id quod imaginatur esse supra superficiem convexam Empyrei, re vera nihil est reale distinctum à creaturis & Deo, sed purum nihil; licet nos illud imaginemur per modum cuiusdam spatii infiniti, & interminabilis: asserereque illud esse quid reale positivum increatum, & infinitum, est manifestus error contra fidem.

80 *De hac re disceptant impune Theologi.* Plures asse runt Deum actu, & positive esse in prædictis spatiis, & consequenter, esse actu, & positive extra mundum; alii oppositum docent, asseruntque non esse actu & positive in di tis spatiis, sed aptitudine & potentia.

81 *Dicendum nobis:* quod Deus actu, & positive non est extra mundum, & consequenter non esse in spatiis imaginariis. Hanc sententiam tenere debent, qui docent Deum ratione suæ operationis esse in rebus: cum in spatiis imaginariis nihil operetur. *Prob. I.* quia plures PP. docent quod Deus ante mundi creationem solum erat in se ipso: ergo non erat in spatio imaginario, & consequenter nec modo est in spatio imaginario non occupato: cum idem sit modo, ac antea.

82 *Prob. II.* quia realis nonexistentia non potest resultare, nisi ex extremis realibus, sicut unio realis & relatio realis non potest esse, nisi inter extrema realia; sed spatiū imaginarium non est quid reale, sed purum nihil: ergo ex spatio imaginario & Deo non potest resultare vera & realis nonexistentia: ergo Deus actu, & realiter non est positive in spatio imaginario: alias resultaret in Deo vera & realis relatio nonexistentis in illo.

83 *Prob. III.* Quia nihil reale potest esse in eo quod non est quid reale: sicuti nulla subsistentia divina potest realiter

terminare naturam creatam, quæ non est quid reale: ergo Deus non est realiter in illo spatio: eadem rationeque qua Deus est in spatio imaginario, adversariorum sententia, esset actu & realiter in creaturis possibilibus, quæ actu sunt purum nihil: quod nemo hucusque, quod sciam dixit.

74 *Arg. I.* Deus ex mente PP. non solum est intra universum, illud complens; sed etiam est extra illud, & illo excelsior: sed extra universum nihil aliud est, quam spatium imaginarium: ergo in illo est actu & positive Deus. *Confirm.* quia PP. eodem verborum tenore docent: Deum esse intra universum, ac extra universum; sed intra universum est actu, & positive: ergo eodem modo est extra universum.

75 *Resp.* quod PP. non docent Deum esse extra universum actu, & positive; sed solum potentia: his enim loquendi modis solum docuere PP. Deum non esse universo coarctatum, & loco comprehensum; sed sua potentia omnia complecti: estoque eisdem verbis afferant esse intra universum, ac extra: loquuntur semper juxta distributionem accommodam: ad modum quo, esto in Scriptura afferatur omnia evenire volente Deo: tamen id afferere de ejus voluntate positiva, erga peccata, impium est; unde simili modo accipienda est existentia Dei in universo, & extra illud. Ex quo fit satis Confirmationi.

76 *Arg. II.* Deus actu, & positive existit ubi potest existere creatura; sed creatura potest positive existere in spatio imaginario: nam Angelum potest supra Cœlum Empyreum constituere: ergo Deus actu, & positive existit in spatio imaginario. *Maj. prob.* Tum quia esse de facto positive, ubi potest creatura existere, est perfectio simpliciter simplex; quippe melius quam ejus carentia; ergo id Deus necessario habet. Tum quia id quod creatura potest habere per suam entitatem, necessario, & actu habet Deus per immensitatem; nam immensitas occupat quod est occupabile à creatura: ergo ubi potest esse creatura, est positive Deus per suam immensitatem.

77 *Resp. ad hoc arg. neg. maj. ad I. probat. neg. ant.* quia repugnat Deo positive existere in nihilo: ad modum quo Omnis nunc non existit positive in nihilo spatii imaginarii; sed

pure in se; quin vere & proprie possit dici esse positive in loco: cum illud spatium imaginarium vere locus non sit: ita licet nostra conceptione apprehendatur esse melius existere in spatio imaginario, quam non existere: quia id nobis apparet repugnans, minime possumus concedere id esse perfectionem simpliciter talem; sicuti, esto per apprehensionem nobis appareat melius, quod omnipotentia extendatur ad impossibilia, quam quod non extendatur: quia talis extensio est quid repugnans ipsi omnipotentiae, & ipsi impossibiliis, nullo modo ponitur in Deo; sic pariter in praesenti.

78 *Ad II. resp.* quod creatura nullo modo potest esse actu, & positive in spatio imaginario, quia non potest habere realem, & positivam praesentiam ad illud, cum sit nihil: ex quo solum probatur quod Deus est necessario per suam entitatem, & immensitatem ubicumque potest esse creatura, vera, reali, & positiva praesentia; non vero ubi sic non potest existere.

79 *Arg. III.* Si daretur corpus infinitum, occuparet spatium imaginarium: ergo Deus ratione sua infinitatis occupat illud. *Confirm.* Deus ratione sua aeternitatis extenditur ad coexistendum temporis imaginario: ergo & ratione sua immensitatis, loco & spatio imaginario.

80 *Resp. neg. ant.* Corpus quippe infinitum non occuparet actu & positive spatium imaginarium, ratione jam dicta. *Ad Confirm. negata conseq.* Nam aeternitas est duratio infinita, est per se ipsam sine termino, & non includit respectum aliquem; & ideo coexistit temporis imaginabili; at vero immensitas licet per se ipsam sit repletiva loci imaginabilis; cum denominatio vere inexistens in loco dicat respectum locati & loci, seu rei existentis, & rei inqua res existit; quolibet a parte rei deficiente, non potest resultare vera & positiva relatio praesentiae, seu inexistentiae.

81 *Arg. IV. ab inconvenienti:* Nam si Deus non esset positive in spatiis imaginariis, sequitur: I. quod posset esse in se divisus, quia posset creare creaturam in spatio imaginario, poli Arcticci, & aliam creaturam in spatio poli Antartici, quae cum essent inter se distincte esset Deus divisus in illis, cum in spatio medio imaginario non esset, & esset in illis.

II. quod Deus posset moveri localiter: nam posset Deus creaturam in spatio imaginario correspondenti polo Arcticō creare , & eam movere per circunferentiam ad spatium imaginarium poli Antarctici , cumque ea spatia diversa sint, Deus vere moveretur localiter.

82 *Resp.* mirari nos his fidere argumentis oppositos Autores; cum I. inconvenienti teneantur satisfacere, si teneant, ut plerique tenent, posse idem corpus existere in duplice loco , omnesque teneamur : cum in triduo mortis Christi , fatigemus ejus animam separatam à corpore , ac loco dissitam, & non esse à se divisam ejus personalitatem , utrique unitam: & cum fatemur idem Corpus Domini Jesu Christi esse in diversis speciebus Sacramentalibus loco dissitis : sicut enim in his casibus persona Verbi, nec corpus ejus fuit in se divisum; ita Deus existens in diversis creaturis inter se dissitis in spacio imaginario , nullo modo esset divisus à se , licet illæ forent inter se divisæ: quia ratione ejusdem immensitatis esset in utraque creatura.

83 *Nec sequitar II. inconveniens.* Nam habet clarissimam instantiam in descensu Animæ Christi ad inferos , & in motu locali Hostiæ consecratæ : ad hoc enim ut aliquid possit moveri localiter , saltem per accidens requiritur , quod aliquo modo acquirat de novo locum: quod Deo non accideret in dicto casu, nam esto mutaretur illa creatura ; Deus semper , & eodem modo esset in illa.

84 *Ex his fit* quod Dei immensitas , nihil aliud est nisi ejus entitas & esse infinitum , quod ratione suæ infinitatis intime penetrat omne ens creatum , penetrareque potest omnem creabile: ad modum quo lux penetrat aerem; qua ratione quidam ex Poetis cecinit : *Fovis omnia plena.* Ac ex his sequitur ; quod , esto Deus non esset omni sciens , aut omnipotens , foret per suam entitatem in omnibus rebus creatis, & quod licet Deus sit in omni creatura , per scientiam & potentiam , quia omnia cognoscit , & conservat ; immensitas proprie solum convenit Deo , ratione suæ infinitæ essentiae.

85 Sed an sit possibilis creatura quæ sit ubique , seu replens locum infinitum, si talis locus daretur? Dicendum confor-

formiter ad dicta, repugnare talem creaturam existentem per se ipsam ubique, seu in loco infinito. Ratio autem est: quia existentia in loco, est quid consequens, & commensuratum entitati rei; sed repugnat creatura per se ipsam entitatis infinita: ergo repugnat creatura per se ipsam potens existere in loco infinito, & consequenter ubique. Major autem difficultas, licet salebrosa est: An Deus possit aliquam creaturam ubique constituere per modum supernaturalem praesentia ipsi superadditum, ad modum quo Corpus Christi potest esse in omni pane consecribili: nam si Deus potest unam creaturam constituere aliam creaturam praesentem, ratione praesentia supernaturalis: poterit sic constituere praesentem omni alii creaturam; quia poterit sine termino multiplicare praesentias: quod aliorum otio relinquimus.

ART. X. De Divina perfectione.

86 CUM esse perfectum nihil aliud sit, quam esse perfectione praeditum, oportet describere quid perfectio sit: est enim omnium consensu, quod convenit unicuique rei secundum propriam naturam, & ejus ratione est amabilis: ad differentiam peccati, cui sua praedicata convenienter juxta propriam essentiam; est tamen odibile: unde sicut imperfectum dicimus, cui deest aliquid quod pertinet ad ejus naturam, retione cujus est deformis & horribile: ita perfectum dicitur, cui nihil deest de his, quae pertinent ad propriam naturam, & ratione illorum est amabilis; ita communiter Philosophi, & Theologi, naturali ratione praevante.

87 Dicendum est Deum esse omnimodo perfectum in genere entis: Tum ex Math. cap. 5. v. 48. *Estate perfecti sicut Pater vester celestis perfectus est:* Tum quia Deus habet quidquid pertinet ad propriam essentiam, & naturam; ita ut nihil ex his ei desit, & omnium ratione est amabilis, ut patet discurrenti per rationem entis à fe, cæterorum causæ: at hoc est esse perfectum: ergo Deus est omnimodo perfectus in genere entis.

88 Ex his sequitur: Quod perfectiones Divinæ in proprio

prio genere sunt infinitæ : I. Quia divinæ perfectiones sunt commensuratae esse Dei ; sed hoc est actu infinitum : ergo & sunt actu infinitæ. II. quia Divinæ perfectiones non distinguuntur realiter ab essentia Dei , ut postea dicemus ; sed essentia Dei est infinita: ergo & Divinæ perfectiones.

89 *Sequitur etiam* : quod omnes Divinæ perfectiones sunt perfectiones simpliciter simplices, ut Theologi autumant ex Anselmo : nam perfectio simpliciter simplex ea dicitur, quæ melior est ipsa, quam non ipsa, & nullam involuit imperfectionem ; tales autem sunt Divinæ perfectiones, ut esse sapientem, immensem &c. ergo sunt perfectiones simpliciter simplices.

90 *Sed Quæritur I.* An omnes perfectiones creaturarum sunt in Deo! Perfectiones creaturarum aliæ sunt communes, & aliæ sunt specificæ & particulares, per quas aliæ ab aliis secernuntur, & distinguuntur.

91 *Dicendum I.* quod omnes perfectiones physicæ circa creaturam sunt in Deo virtute & potentia , tanquam in causa : Ratio est quia omnis causa continet in virtute suum effectum ; sed Deus est causa omnis perfectionis creaturarum : ergo omnem illarum perfectionem continet virtute , & potentia. II. Perfectiones creaturarum , quæ non dicunt oppositionem cum ratione entis à se infiniti , reperiri , & esse in Deo formaliter ; quia , quæ non pugnant cum ratione entis à se, sunt in suo conceptu perfectiones simpliciter simplices : sunt enim meliores ipsæ, quam non ipsæ; sed perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo , ut esse incorporeo , omniscio , sancto , &c. ergo perfectiones creaturarum , quæ non dicunt oppositionem cum ratione entis à se , sunt formaliter in Deo.

92 *Quæritur II.* An complexum ex creaturis & Deo sit perfectius quam solus Deus ? *Dicendum* : quod licet complexum ex creatura & Deo includat plura perfecta , quam Deus solus , quia includit numerum Dei , & creaturarum ; ceterum ex parte formæ , seu perfectionis non est perfectius Deo solo: *Ratio autem est* , quia perfectio Dei excedit infinite perfectionem omnium creaturarum , & eam modo jam dicto continet: ergo nihil addit perfectionis perfectio creaturarum : quippe

in-



infinito fieri non potest additio : & continenti omnem perfectionem perfectissimo modo , perfectio super addi nequit : ad modum quo merita Sanctorum & Christi non sunt quid maius simul sumpta in ratione movendi , quam sola merita Christi: quia tota vis movendi in meritis Sanctorum precontinetur in merito Christi.

93 *Ex dictis sequitur* : quod Deus est infinite bonus in linea entis , & physice : *Tum* quia quod est omnino perfectum inlin ea entis , est infinite perfectum : ergo in tali linea est Deus infinite bonus : *Tum* quia quod est infinite amabile , est infinite bonum : sed Deus est infinite amabilis propter suam infinitam perfectionem : ergo est infinite bonus : cum bonum Philosophorum & Theologorum consensu , sit idem quod amabile.

94 *Sequitur etiam* : quod Deus non solum est bonus in se , sed etiam relate ad creaturas : *Tum* quia est causa dans creaturis suam bonitatem : nam quidquid illæ sunt , ab illo est: *Tum* quia creaturis Spiritualibus Angelis , & hominibus suam bonitatem communicat per gratiam & gloriam , & omnium creaturarum est ultimus finis : quapropter David Psalm. 105. exclamat : *Confitemini Domino , quoniam bonus , &c.*

95 *De perfectione morali divina , & morali bonitate in operando* , quia eadem est , ac ejus sanctitas suo loco agemus.

96 *Sed queres* : An esse bonum per essentiam sit proprium Dei ? Videtur enim quod creatura per propriam entitatem formaliter est bona ; qua ratione dixit Paulus I. ad Thymoth. cap. 4. *Omnis creatura bona est* : Unde sicut anima rationalis per suam entitatem est formaliter intellectiva , consequenterque est intellectiva per suam essentiam : ita creatura , quod formaliter , & per suam entitatem sint bona , debent esse tales per suam essentiam formaliter : sicuti per suam essentiam habent unitatem , veritatem , & cæteras entis proprietates.

97 Attamen cum à Christo dicatur Lucæ 18. *Nemo bonus , nisi solus Deus* : necesse est fateri , alio modo esse Deum bonus per essentiam , ac per propriam essentiam sunt bona creatura. Est enim Deus per essentiam bonus , quia ejus essen-

essentia necessario includit existentiam, nec ab illa præscindere potest; at vero essentia creatura non dicit necessario existentiam, cum ejus existentia pendeat à voluntate Dei, quamquam semel producta, per propriam entitatem bona sit: cum omne ens sit verum & bonum, uti dictum est.

98 *Ex dictis infertur*, quod non est possibilis creatura per se mala, qualem censuerunt Manichæi, & plures hæreticorum: quia non potest dari creatura quæ non habeat sua prædicata, quibus conveniat, & differat ab aliis creaturis, sicutque in propria linea perfecta, & nihil illi desit de perfectione propriæ lineæ; sed hoc est esse perfectam & bonam: ergo non est possibilis creatura, quæ perfecta & bona non sit: qua ratione scripsit Moyses Genes. cap. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona.*

DISPUTATIO III.

De Essentia Divina.

ART. I.

1. **S**upponendum, quod omne id, quod in Deo est, essentia, natura, & substantia ejus, est realiter identice idem: est enim, ut jam diximus, ens primum omnino simplicissimum, nullam realem includens distinctionem: unde essentia divina est omnipotentia; & hæc est essentia divina: Paternitas est essentia divina, & essentia divina est Paternitas realiter & identice, ut postea probabimus.

2. *Ulterius*: quod essentia, & natura omnino sunt idem apud Theologos; licet aliqui perperam voluerint distinguere. Satis enim constat ex dissidio Catholicorum in Oriente, post Concilium Nicænum, & maxime circa annum 360: super vocem *Hypostasis*, possent ne dici in Deo tres *Hypostases*? uti Ariani asserebant, ut profliteremur diversam substantiam, essentiam, & naturam in Patre & Filio &c. & hac de causa negabant plures Catholicorum posse dici in Deo tres *Hypostases*; asserentes autem posse dici, insimulabantur Sabellii erro-

re conspersi: ex tunc tamen clarius, apud Catholicos essentia, & natura, & substantia pro eadem re significata accepta sunt, uti constat ex Epist. Synodica Concilii Alexandrini ad Antiochenos, Chalcedonensi act. 5. & ex Conciliis habitis adversus Eutychianos, & Monothelitas, PP. que qui contra eos scripsere.

⁸³ Cum ergo idem omnino sint essentia, substantia, & natura; secundum respectum considerari queunt: essentia enim, & substantia nullum respectum exprimunt, solumque dicunt id quo quid est tale diversum ab omni alio; natura autem non solum id dicit, sed etiam respectum ad operationem: quia uti Philosophi asserunt, natura est principium operationis; & hoc illis soleme est. Unde & potest esse questio de essentia divina in sensu physico & philosophico, & de illa in sensu Metaphysico, & prout à nobis Deus concipitur & nominatur, quem, ut pote incomprehensibilem, unico conceptu cognoscere non possumus.

4 Dicendum quod natura & essentia Dei, in sensu Philosophico, stat in omnibus praedicatis divinis, absolutis, & nullatenus relativis. Ita communiter Theologi, paucis demptis. *Prob. I.* quia natura Divina Philosophice accepta constituitur per id quod est commune tribus Divinis Personis, & quo sunt unus & idem Deus; sed tribus Divinis Personis solum sunt communia praedicata absoluta, & non relativa: Ergo praedicata absoluta, & non relativa pertinent ad constitutionem naturæ Divinæ.

5 *II. Quia* Pater pro priori ad relationem Paternitatis est perfectus Deus, ut docent Conc. PP. & Theologi: ergo relatio Paternitatis non potest pertinere ad constitutionem naturæ Divinæ, cum supponant illam adæquate constitutam pro priori.

6 *III. Quia* si relationes pertinerent ad constitutionem naturæ Divinæ, nulla Divina Persona esset perfectè Deus, nam cuilibet deficeret aliquid pertinens ad constitutionem illius; cum Patri deficiat Filiatio, & operatio passiva; Filio Paternitas & spiratio passiva; Spiritui Sancto Paternitas, & Filiatio: ergo si hæc pertinerent ad constitutionem naturæ Divinæ, nulla Divinarum Personarum esset per-

perfectè Deus. Plurima argumenta hujusce modi fieri possunt pro nostra Sententia ex Mysterio SS. Trinitatis.

7 *Sed arg. I.* Natura Divina constituitur per id quod est idem realiter cum illa ; sed relativa prædicata sunt idem realiter cum illa : ergo prædicata relativa pertinent ad constitutionem naturæ Divinæ. *Conf.* natura Divina est essentia-liter relations : ergo relations sunt de essentia naturæ Divinæ : quia prædicatum, quod convenit alicui essentialiter, pertinet ad constitutionem ejus naturæ,

8 *Resp. ad Arg.* quod licet natura Divina sit esse rei constituantur per omne id quod est idem realiter cum illa ; tamen consideratione Philosophica non constituitur per omne id, quod est idem realiter cum illa ; sed solum per id quod est idem cum illa adæquate , & ad convertentiam : cum autem Paternitas , licet sit idem cum natura Divina , non habeat identitatem cum omni cum quo identitatem dicit natura Divina ; cum Paternitas non dicat identitatem cum Filiatione ; inde fit quod natura Divina , philosophice considerata , non possit constitui per prædicata relativa : eo quod , licet Paternitas sit idem realiter cum natura Divina ; non est realiter idem , & ad convertentiam cum omni eo , cum quo dicit identitatem natura Divina. Ex quo facilis est solutio in forma.

9 *Ad Conf. Resp. neg. ant.* loquendo de natura Divina philosophice sumpta ; licet secundum rem necessario sit relations : pro quo adest suffragium decretorum liberorum Dei , quæ licet sint idem cum ipso quoad entitatem , nullius sententia pertinent ad constitutionem naturæ Divinæ.

10 *Arg. II.* natura Divina per se ipsam habet quod sit una & tria ; sed esse trinam habet formaliter à relationibus : ergo relations pertinent ad naturam divinam per se ipsam , & consequenter pertinent ad ejus constitutionem. *Conf.* Si Deus solum esset una persona , personalitas pertineret ad constitutionem naturæ Divinæ , ut pote indistincta ab illa : ergo & modo Divinæ personalitates pertinent ad ejus constitutionem : cum id efficiant quod faceret unica personalitas.

11 *Resp.* quod licet natura Divina per se habeat necessariò & secundum rem , quod sit una & tria ; tamen consideratione philosophica , licet per se habeat essentialiter quod sit

una indivisibiliter; non habet essentialiter quod sit trina; quantum ad modum subsistendi. Nam subsistentia in omni sententia est terminus naturam comprehensus, atque adeo supponens illam adaequate constitutam: quapropter Trinitas personarum non requiritur per se in Deo ad operationes ad extra, ut communius docent Theologi. Ex quo facile resp. in forma.

12. Ad Conf. resp. quod si Deus esset unica persona, adhuc personalitas non pertineret ad constitutionem naturae Divinæ philosophice acceptæ; esto non distingueretur realiter ab illa: nam si consideraretur ut quid positivum, consideraretur ut terminus comprehensus naturam in esse talis constitutam, atque adeò non pertinet ad eam constitutionem: si vero consideraretur ut quid negativum, scilicet ut modus negativus existentia in se, & non in alio, ex quo resultat sub se sistere; adhuc non pertineret ad constitutionem naturae Divinæ, cum illam supponeret adaequate constitutam. Ex quo facilis solutio in forma.

13. Arg. III. Pater Divinus non habet aliam essentiam, nisi Dei; sed Paternitas est de natura & essentia physica Patris: ergo pertinet ad essentiam & naturam physicam Dei.

14. Resp. probare argumentum quod Paternitas pertinet ad essentiam Dei metaphysice acceptam: cum Paternitas pertineat ad constitutionem metaphysicam Patris, quod nullus asseruit Theologorum. Resp. ulterius: quod Pater potest considerari ut Deus, & ut persona Divina talis, distincta à Filio & Spiritu Sancto. Si consideretur ut Deus, Paternitas non est de natura & essentia physica ipsius; si vero consideretur ut talis persona in concreto distincta à Filio & Spiritu Sancto, pertinet non solum ad constitutionem physicam illius; sed etiam ad metaphysicam illius, qua talis: quia qua talis habet etiam constitutivum metaphysicum, quo differt persona.

liter à Filio & Spiritu Sancto. Ex quo faciliter resp. in forma.

ART. II. *De essentia Divina metaphysice accepta.*

15 **M**ajor est quæstio de constitutione essentiæ Divinæ in sensu methaphysico (de quo solo loquemur) inter Theologos. Cum enim viatores Deum cognoscere non possint unico & adæquato conceptu, sed pluribus & variis: Quæritur qualis sit, quo exprimitur quidditas, & essentia Dei?

16 Pro cuius intelligentia breviter advertere est, quod essentia in sensu prædicto nihil aliud est, quam id quod primo intelligitur in aliqua re; ejusque ratione est talis, & distinguitur ab omni non ipsa, estque ratio eorum quæ dicuntur de ipsa. Etenim si non est primum, sed secundum, non potest esse constitutivum rei, quod est primum in tali re: & ratione illius est (*logice loquendo*) in propria specie, & distinguitur ab omni alio diversæ speciei, & est radix aliorum prædicatorum, quæ propriè, & peculiariter tali rei convenientiunt, ut patebit consideranti hominis essentiam.

17 *Ulterius*: & posse esse sermonem de essentia Dei ut distincta à Creaturis, aut de ea prout distincta per nostros conceptus ab ejus attributis & perfectionibus: & sub hac consideratione versatur disputatio.

18 Plurimæ in hac re sunt Auctori sententiæ; meo tamen judicio in subsequentium classes veniunt adscribendæ. I. tenet essentiam divinam sitam esse in collectione omnium Divinarum perfectionum, seu aliis terminis in ratione actus puri undique perfecti & infiniti. II. tenet sitam esse in ratione infinitatis. III. tenet sitam esse in gradu intellectivo. Cujus Auctores divisi: nam alii constituunt in gradu actualis intellectus, & alii in gradu intellectivo radicali: hæc est frequens Thomist. IV. tenet sitam esse in ratione entis à se, seu aseitate, quam sustinent plurimi, sed præcipue Nostri.

19 *Dicendum* I. essentiam Divinam metaphysice acceptam, non stare in aggregato attributorum, seu omnium perfectionum Divinarum. I. Quia si essentia Divina staret in col-

lectione omnium perfectionum Divinarum , nulla esset differentia inter essentiam , & attributa in Deo respectu nostri modi cognoscendi : cum attributa & omnes perfectiones Divinae pertinerent ad rationem essentiae ; sed hoc est contra doctrinam PP. distinguentium in Deo essentiam & attributa , ut constat ex Basilio lib. 1. contra Eunomium Chrysost. lib. de incomprehensibili Dei natura Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 6. Damasceno lib. 1. de fide cap. 4. & 12. aliisque : Ergo essentia divina non potest consistere in aggregato attributorum , seu Divinarum perfectionum .

20. II. *Quia* æternitas , & immensitas non possunt pertinere ad essentiam Dei : nam prius est esse , quam durare : & prius esse , quam esse in loco : ergo pro illo priori supponitur Deus essentialiter constitutus : consequenterque æternitas & immensitas , esto sint Divinae perfectiones , non possunt ingredi constitutivum essentiae Dei .

21. III. *Quia* id quod dicitur de aliquo & probatur ex alio , non potest esse constitutivum essentiae illius ; nam essentia est primum in unaquaque re , & consequenter non probatur à priori ex alia ; at aliquæ Divinae perfectiones probantur à priori de Deo , ex ratione entis à se , uti immutabilitas & æternitas , ut constat ex suo loco dictis : ergo prædictæ Divinae perfectiones non possunt constituere essentiam Dei .

22. IV. *Quia* conceptus volitivi , & intellectivi pertinent ad Divinam perfectionem ; sed hi conceptus , quomodo cumque sumantur , non pertinent ad constitutivum essentiae Dei : ergo non omnes perfectiones Divinae ad illud pertinent .

23. *Sed Arg.* I. Essentia Divina est plenitudo omnis perfectionis simpliciter talis ; sed talis plenitudo est aggregatum omnium attributorum : ergo in illo stat essentia Divina . *Conf.* *Quia* quidquid est prædicatum essentiale & prædicatur in quid de essentia , est constitutivum illius : sed omnia attributa sunt prædicata essentialia & prædicantur in quid de essentia Divina , ut docent PP. ergo omnia attributa sunt constitutiva illius .

24. *Resp. Arg.* Quod essentia licet physicè accepta , sit plenitudo omnis perfectionis ; accepta tamen metaphysicè , & secundum nostrum modum concipiendi , est solum plenitudo

om-

omnis perfectionis in propria linea formaliter , hoc est in linea essentiæ : & in alijs lineis virtute & radice, hoc est, quod sit radix aliorum prædicatorum: alias nostro modo concipiendi , non daretur distinctio inter essentiam & attributa. Unde hoc ipso , quod detur talis distinctio ; essentia Divina non petit quod sit plenitudo omnis perfectionis formaliter in tota amplitudine ; sed solum in linea essentiæ , & radicaliter & virtute in aliis lineis. Ex quo in forma facilis est solutio.

25 *Ad Confirm. Resp. concessa Majori , & distinguendo Min.* Omnia attributa predicantur in quid de essentia ; suntque prædicta essentialia secundūm rem , & physicè loquendo, *Concedo Min.* Secundūm nostrum modum intelligendi , & in sensu metaphysico : *Neg. Min. & Conseq.* Nam sicut corum quæ sunt realiter distincta , unum non potest esse constitutivum alterius , cum nulla res à suis constitutivis realiter distinguitur : ita quæ sunt distincta per rationem , unum non potest esse constitutivum alterius.

26 *Sed contra insistes :* Si attributa non pertinerent ad essentiam Dei formaliter , & constitutivè , in sensu metaphysico , sequeretur. I. quod attributa orirentur ab essentia Divina ; & consequenter essentia per participationem , & accidentia essentiæ Divinæ. II. quod perficerent essentiam Divinam : ac proinde esset perfectibilis ab attributis ; sed hæc nullatenus possunt dici : ergo formaliter , & constitutive pertinent ad essentiam Dei.

27 *Resp.* quod aliud est loqui de attributis secundūm esse rei ; & aliud de illis loqui prout à nobis concipiuntur , & secundūm conceptum explicitum : secundūm hunc conceptum explicantur , ut diversa ab essentia præcisè ; sed hac ratione non explicantur , ut entia per participationem , nec ut accidentia essentiæ : quippe ad hoc erat necessarium ut implicitè & explicitè conciperentur ut diversa : cum autem attributa in re , sint idem in re cum essentia , & inter se nosque id unum unico conceptu capere , & explicare non possumus ; stante cognitione hujus identitatis : solum possunt concipi ut diversa ; sed non ut accidentia , aut entia per participationem. Ex quo evanescit I. inconveniens.

28 *Ad II. Resp.* quod omnium sententia; qui distingunt essentiam Divinam ab attributis distinctione rationis, fatenturque attributa esse prædicata, quæ dicunt perfectiōnem, necesse est dicere quod Deus est perfectus ratione illorum, ut ratione sapientiæ sapiens: ratione omnipotentiæ omnipotens: & idem de essentia Divina: hoc autem nullum est inconveniens: quia id solum contingit pènes nostros conceptus, ex incomprehensibili eminentia Dei, & mentis nostræ limitatione & distantia.

29 *Arg. II.* quia si essentia Divina non constitueretur aggregato omnium perfectionum; ut metaphysice concepta, esset minus perfecta, quam physice concepta: cum sic stet in aggregato omnium perfectionum, & non stet in illo, ut metaphysice concepta. Ex quo & sequitur, quod essentia metaphysica foret dimidium essentiæ physicæ: ergo ad hæc vitanda necesse est dicere essentiam Divinam metaphysicè acceptam stare in aggregato omnium attributorum.

30 *Resp. ad Arg.* quod essentia metaphysicè sumpta, solum potest concipi per modum perfectionis radicantis primo & per se cæteras perfectiones: & in hac linea dicit completem & adæquatè suam perfectionem: nec hoc est esse dimidium essentiæ physicæ Dei, quia in esse physicæ nulla est distinctione essentiæ, & attributorum. Cum tamen, prout à nobis concipitur, essentia sit ab attributis distincta: essentia Divina solum potest dicere perfectionem propriæ linea; & non linea diversæ attributorum. Ex quo solum sequitur, quod essentia Divina metaphysicè concepta, non dicat explicitè & formaliter omnem perfectionem essentiæ physicæ: quod fateri tenentur omnes qui concedant distinctionem secundum modum intelligendi, inter essentiam & attributa.

31 *Dicendum est II.* quod infinitas non est constitutivum metaphysicum essentiæ Divinæ I. quia id quod est commune Divinæ essentiæ & attributis, non potest esse constitutivum essentiæ, prout distinctæ ab attributis; sed infinitas est communis essentiæ & attributis: ergo non potest esse constitutivum essentiæ, ut ab attributis distinctæ. *Min. est certa conseq. tenet, & major demonstratur.* Quia eo, quo aliqua conveniunt, differre non possunt: & constitutivum essentiæ ali-

cujus rei prout distinctæ ab alia , debet esse diversum, ut patet in ratione animalis respectu hominis , & bruti.

32 Dices : quod infinitas actualis est communis essentiæ Divinæ , & attributis ; attamen infinitas radicalis non est illis communis , sed est quid distinctum ab illis , & constitutivum metaphysicum essentiæ Divinæ . Sed contra stat : quod infinitas radicalis , vel dicit aliquid positivum , quod sit radix attributorum , vèl solum dicit quod explicat : Si dicit quid positivum , debet explicari , & tunc suberit examini : An possit ei convenire ratio essentiæ Dei ; atque adeò hæc solutio insolitam relinquit questionem : Si verò solum dicit quod explicat : simili modo poterit dici essentia Divina bonitas radicalis , æternitas radicalis , immensitas radicalis , &c. quia certum est quod id , quod radicat actualem æternitatem , immensitatem &c. est essentia Divina metaphysice concepta . II. Quia plurium sententia infinitas convenient Deo per rationem entis à se ; atque adeò non potest esse constitutivum essentiæ Divinæ , cum supponat ex quo probetur .

33 Dicendum est III. Quod intellectio actualis non est constitutivum essentiæ Divinæ . Prob. I. Quia intellectio actualis est operatio & actus naturæ intellectualis : ergo supponit pro priori naturam adæquatè constitutivam : cum operatio sequatur ad esse , quippe prius sit esse , quam operari . II. Quia ex doctrina PP. in VI. Synodo contra Monothelitas , in Christo sunt duæ voluntates , & operationes ; quia sunt in ipso duæ naturæ in una persona , scilicet divina , & humanæ ergo ex doctrina PP. operatio subsequitur naturam , & illam supponit adæquate constitutam . III. Quia intellectio , seu actus intellectuonis supponit objectum ; hoc autem respectu intellectuonis Divinæ , nihil aliud potest esse , nisi Divina essentia : ergo intellectio divina supponit essentiam Divinam constitutam pro priori .

34 Resp. Aut. adversi Divinam intellectuonem dupliciter posse considerari , & per modum operationis , & per modum purissimæ , & perfectissimæ actualitatis , in linea vivendi : ac proinde quod , licet intellectio divina sub conceptu operationis supponat naturam divinam constitutam ; sub concep-

tu tamen actualitatis, & vitæ perfectissimæ, est ipsum inter constitutivum naturæ Divinæ, seu ipsamet natura Divina.

35 *Sed Contra stat I.* quod hæc distinctio Divinæ intellec-tionis est prorsus voluntaria & adinventa ad defensandam hanc Sententiam: & in hac materia procedere debemus juxta humanum modum concipiendi, juxta quem operatio solum est actualitas, qua agens constituitur operans in actu secundo.

II. Quia viventia à non viventibus per hoc distinguntur, quod viventia à principio intrinseco se movent & operantur: ergo eorum operatio supponit principium intrinsecum: ergo intellectio Divina supponit principium intrinsecum, etiam sub conceptu vitæ actualis, & consequenter constitutum essentialiter.

36 *Dicendum IV.* Quod intelligere radicale, prout explicant prædicti termini ex mente suorum Auctorum, non est constitutivum essentia Divinæ. *I. Quia* intelligere radicale in Deo vel est ipse intellectus Divinus, per modum potentiarum & actus primi, ut distinctus formaliter ab actuali intellectione; vel id quod concipitur in Deo, ut radix cognoscendi & intelligendi: neutro modo potest concipi constituere essentiam Divinam: ergo illam non constituit. *Maj. prob.* quoad pri-mam partem: *Tum* quia esse intellectivum, est commune Deo, Angelis, & Hominibus; sed quod est commune Deo, & An-gelis non potest esse constitutivum essentiae Dei, qua ab An-gelo differt: ergo intellectivum, per modum potentiarum, non potest esse constitutivum essentiae Dei: *Tum* quia Thomist. sententia ex D. Thoma i. part. q. 14. art. 1. ratio cognosci-tivi, & intellectivi demonstratur de Deo per rationem imma-terialitatis; sed id quod probatur, aut demonstratur de ali-quo ex alio prædicato, non potest esse prædicatum consti-tuens essentiam illius: ergo esse intellectivum & cognosciti-vum non potest esse prædicatum, quo constituitur essentia Divina.

37 *Quoad secundam partem prob. maj.* Nam intelligere ra-dicale in Deo, si non est intellectus per modum potentiarum, ni-hil aliud potest esse, quam illud prædicatum, quod radicat esse intellectivum in Deo: hoc autem prædicatum restat expli-care, quid positive sit; idque erit essentia Divina: ergo per

per hunc modum dicendi non est positive ab his Aut^t. quæstio resoluta.

38 *Dices I.* Essentia Divina debet constitui per prædicatum dicens ultimum gradum perfectionis; sed talis est gradus intellectivus: ergo essentia Divina debet constitui in gradu intellectivo. *Resp.* quod essentia Divina debet constitui per prædicatum perfectissimum, quod sit primum & radix cæterarum Divinarum perfectionum, distinguens Deum ab omni alio distincto ab ipso, quod non convenit gradui intellectivo respectu Dei; unde, et si sit quid perfectissimum, non potest constituere essentiam Dei. Qualiter autem ratio entis à se sit illius radix, postea dicemus.

39 *Dices II.* Ratio essentiæ Divinæ debet constitui in curatione, qua Angelus & homo sunt ad imaginem Dei, & ejus perfectiorem similitudinem; at Angelus, & homo participant rationem imaginis, & perfectiorem similitudinem Dei, per gradum intellectivum: ergo per illum debet constitui essentia Divina. *Resp.* quod major est absolute falsa: quia essentia Divina, prout distincta per nostros conceptus à natura Divina, est id quo Deus constituitur in se tale quid, ut distinctum ab omni alio, & pertinet ad lineam essendi, quæ prior est linea operativa; ac proinde ratio Divinæ essentiæ nullatenus est participabilis à creatura; unde Angelus, & homo solum participant rationem imaginis, & similitudinis ad Deum secundum conceptum naturæ, non vero essentiæ; quia id quo Deus primo à creaturis differt, non potest cum illis convenire.

40 Nec etiam refert dicere, quod si essentia Divina non considereret in gradu intellectivo, Verbum ex vi processionis, non esset Filius p^ræ Spir. Sancto: cum procedat à Patre per intellectionem, quæ nec in actu primo, nec secundo pertinet ad essentiam Dei. Non inquam id refert: *Tum* quia si intellectionis actualis esset formaliter essentia Dei, processio Verbi esset per essentiam, & consequenter potius per naturam: quod improbant communiter Theologi tractatu de Trinitate: *Tum* quia Verbum dum procedit per intellectionem, per quam est similis Patri in natura, procedit ut genitus, & Filius, quod non convenit processioni Spiritus Sancti, ad quod

nihil refert constitutivum essentiæ Divinæ ex nostro modo concipiendi, dum modo ipsa essentia, & natura Divina sunt objectum paternæ intellectus, per quam procedit Verbum.

41 *Dicendum V.* Quod ratio entis per se, seu à se est constitutivum essentiæ Dei primo & per se, ut distinctum à creaturis. *Prob. I.* Quia id est primum, & formale constitutivum Dei, & ejus essentiæ, ut distinguitur à creaturis, per quod ab illis primo discernitur; sed per rationem entis per se, seu à se distinguitur primo Deus à creaturis: ergo per rationem entis per se, seu à se constituitur Deus, ut distinctus à creaturis. *Maj. est certa*; quia per id quo res constituitur, in se distinguitur primo ab omni alio. *Min. autem est manifesta*; quippe creaturæ conveniunt cum Deo in ratione entis, & prima illius differentia est ens per se, & ens ab alio: unde ratione entis per se distinguitur primo à creatura. *Prob. II.* *Quia nomen propriissimum significat essentiam rei*; sed esse per se, seu à se est nomen propriissimum Dei, ut distincti à creaturis, ut docent communiter PP. videndi apud Petavium lib. 1. Theolog. Dogm. cap. 6. Ergo esse per se, seu à se est constitutivum essentiæ Dei, ut distinctæ à creaturis.

42 *Dicendum VI.* Quod ratio entis per se, seu à se est constitutivum essentiæ Divinæ, ut distinctæ nostra ratione à perfectionibus & attributis. Hæc sententia communior est Nostris, & jure quidem. *I.* *Quia ratio entis per se, seu à se, est quod primo concipitur in Deo.* *II.* *Quia ratio entis per se, seu à se, est radix ceterarum Divinarum perfectionum, ut constat ex jam dictis.* Nam quia Deus, prout est ens per se, seu à se, est indivisibilis, incorporeus, Spiritus purissimus, simplicissimus, æternus, infinitus, & immensus, & insuper est intellectivus; quia hoc ipso quod Deus sit ens per se, non potest non esse perfectissimæ causa ceterorum: ac proinde non potest operari, nisi perfectissimo modo, qualis est per intellectum & voluntatem: ergo cum ratio entis à se, seu per se sit prima quæ in Deo concipitur à nobis, & aliunde sit radix attributorum, seu perfectionum Divinarum, cum apud nos hac ratione probentur de Deo, non potest ratio entis per se, seu à se non esse constitutivum Diuinæ essentiæ.

Nec

43 *Nec valet dicere* : I. Quod ratio entis à se est communis Divinæ essentiæ ; & attributis , ac proinde , non potest esse constitutivum Divinæ essentiæ , ut distinctæ ab attributis . Non , inquam , hæc *objectione valet* : quia licet ratio entis per se , seu à se , physice loquendo , sit communis Divinæ essentiæ , & attributis ; tamen metaphysice loquendo , & secundum nostros conceptus ratio entis per se solum convenit essentiæ , non autem attributis : quia nostro modo concipiendi , ex essentia oriuntur ; nec tamen ex hoc non Divina censentur , cum semper inducant identitatem physicam cum essentia Divina .

44 *Nec valet dicere II.* quod ratio entis à se solum dicte quid negativum ; nempe non esse ab alio ; & essentia Divina ex negativo non potest constitui . Non inquam , id valet ; quia , licet quoad nos ratio entis à se videatur explicari per non esse ab alio , quod videtur esse quid negativum ; tamen re vera ratio entis per se est primum , & perfectissimum positivum . Ex quibus facile est diluere reliquas objectiones .

45 *Dicendum denique*. Quod essentia Divina sub conceptu , seu expressione naturæ , constituitur formaliter per rationem principii cognoscendi & volendi perfectissime . *Prob.* Quia per id constituitur essentia Divina in ratione naturæ , per quod constituitur in ratione principii perfectissime operandi : cum natura sit principium operationis ; sed in Deo modus perfectissime operandi est per intellectum , cognitionem & voluntatem : ergo qua horum actuum principium constituitur essentia Divina in ratione naturæ . *Maj.* cum consequentia tenet . *Minor autem constat* . Nam in Deo non est aliis modis operandi , nisi ad intra & ad extra , quorum perfectior est modus operandi ad intra ; & talis est modus operandi per intellectum , & voluntatem : unde ratio naturæ Divinæ convenit essentiæ ad æquatè & perfæctè per rationem principii inlectionis & volitionis perfectissimæ . Ex quibus distincta per nostros conceptus essentiæ & natura divina , *fa* *De dñm* *non cunctim* *incile est objectiones diluere* .

**ART. III. An inter essentiam & attributa
sit aliqua distinctio?**

46 **N**ON disputamus in præsenti de distinctione essentiae Divinæ à relationibus, seu Divinis personalitatibus; sed solum de distinctione ejus ab attributis, & perfectionibus absolutis, quales sunt æternitas, sapientia, bonitas &c. De primo acturi Tract. de Trinit. Unde queritur: An inter hæc sit aliqua distinctio realis, vere talis ante omnem considerationem intellectus?

47 Pro dicendorum luce advertere oportet: quod omne id, quod vere & realiter existit à parte rei, est vere ens reale quomodocumque existat; sive existat, in se, sive existat in alio uti accidens, aut modus: quæ re vera res sunt, & consequenter entia realia à parte rei existentia: unde quotiescumque una res existit realiter à parte rei, & non est alia, quæ à parte rei realiter existit, datur inter illas vera distinctio realis, ut inter A. & B. Sed quia inter res quædam sunt omnino independentes in essendo, distinctio inter eas dicitur realis simpliciter talis; quædam autem pendent suo modo ab aliis, ut accidens à subjecto, & modus à re: quarum una potest existere sine alia: hæc tamen sine illa consistere non potest, ut natura potest consistere sine actione; non tamen actio sine natura; & hæc distinctio dicitur realis modalis.

48 Scoti Schola, ultra distinctionem realem simpliciter talem & modalem, statuit distinctionem formalem ex natura rei; quæ nec est realis simpliciter, nec realis modalis; sed cum harum negatione in eadem re, reperiuntur formalitates ex natura rei diversæ, ita ut una non sit ex natura rei alia: quæ ideo excogitata est, ut facilius occurri possit difficultibus occurrentibus in hac materia, & Tract. de Trinitate. De distinctione virtuali intrinseca adinventata Recentioribus, non est quod hic agamus, quia præsenti instituto non deseruit.

49 Antiquorum PP. aliqui, persensisse videntur essentiam Divinam omnino realiter à divinis attributis & perfec-

tionibus distingui : quo errore laborarunt aliqui posterioribus saeculis , ac præsertim Græci plures duce Gregorio Palama. Scotistæ Magistrum sequuti , docent inter essentiam Divinam , & attributa intercedere distinctionem realem , formalem ex natura rei. Cæteri vero Theologi , Nostri , Thomistæ , Jesuitæ , & alii uniformiter docent , inter essentiam Divinam , & ejus perfectiones , seu attributa nullam intercedere realem distinctionem , sed solam distinctionem rationis , & pure ex nostro modo concipiendi.

50. *Dicendum* : inter Divinam essentiam , & attributa , nullam veram , realem distinctionem intercedere , sive simpliciter talem , sive modalem. *Prob. primo* : ex communi consensu PP. apud Petavium lib. I. de Deo , cap. 13. & inter alios : sufficiat Augustinus , qui lib. 6. de Trinitate cap. 1. ait de Deo loquens : *Eadem ejus magnitudo , quæ virtus , & eadem essentia , quæ magnitudo.* Et lib. 15. cap. 5. & 6. *Non est aliud sapientia ejus , aliud essentia , cui hoc est esse quod sapientiam esse :* eodem modo loquuntur reliqui PP.

51. *Prob. II.* Ex Concilio Rhemensi contra Gilbertum congregatum , ubi Concilii PP. ajunt : *Credimus , & confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum ; nec alio sensu Catholico posse negari , quin Divinitas sit Deus , & Deus Divinitas.* *Credimus non sine sapientia , quæ est ipse Deus , sapientem esse :* non sine magnitudine , quæ est ipse Deus , magnum esse : non sine aeternitate , quæ est ipse Deus aeternum esse ergo . Sapientia qua Deus est sapiens , & similiter cætera attributa Dei nullatenus à Deo realiter distinguntur.

52. III. Quia si Attributa realiter distinguerentur ab essentia Divina ; Deus qua talis , non esset summe simplex , quod est contra definitionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. cap. *Damnamus de Summa Trinitate :* ergo attributa non distinguntur realiter ab essentia Divina. *Prob. Ant.* Nam id in quo sunt aliud , & aliud realiter distincta inter se , est quid compositum : nam hoc nihil aliud est , nisi distinctum unio : ergo si in Deo reperiuntur essentia , & attributa realiter distincta ; Deus , & ejus substantia non potest esse summe simplex. IV. Quia Deus est per se ipsum ens per se infinitè perfectum : ergo est incapax , ut per aliud distinctum

ab ipso realiter perficiatur; unde cum attributa sint Dei perfections, non possunt realiter distingui ab ipso.

¹⁵³ *Denuo:* Quia si attributa forent realiter distincta à Deo, aut essent entia à se, & per se; & sic forent tot entia à se; quot sunt attributa: quid repugnat rationi entis à se, ut evicimus agentes de unitate Dei; si autem non sunt entia per se; sequitur, quod sunt producta, & sic quid creatum, eaque omnia sunt creature, consequenterque Deus, nec ab aeterno sapiens, bonus, &c. quia implicat, ut diximus, creature ab aeterno. Ex quo & sequitur: quod Deus ante omnipotentiam non sit omnipotens; consequenterque nulla attributa possit producere; quæ absurdæ evidenter sequuntur ex reali distinctione attributorum à Deo & essentia Divina.

54. Argumenta, si qua sunt contra prefatam sententiam, post diluemus. Majus opus cum Scotistis, qui distinctionem realem formalem ex natura rei statuunt inter Divinam essentiam, & attributa: quæ distinctio realis formalis ex natura rei non est distinctio rationis; sed est distinctio, quæ ante operationem intellectus inest objecto: non realis simpliciter qualis, quæ intercedit inter ea quæ separatim existere possunt, sed solum secundumquid: quatenus in eadem re reperiuntur divisa formalitates realiter, & à parte rei, quæ sunt ex natura rei distinctæ, ut pote diversis definitionibus correspondentes: & hac ratione, quia horum formalitates sunt diverse realiter & ante operationem intellectus, distinctio illarum dicitur formalis realis ex natura rei.

55. *Dicendum:* quod essentia Divina non distinguitur realiter formaliter ex natura rei à divinis perfectionibus. Ita nostræ, Thomistæ, Jesuitæ, & alii. *Prob. I.* quia talis distinctio, nullatenus necessaria est inter Divinam essentiam, & attributa, ut constabit ex dicendis. II. quia formalitas ex natura rei essentia Divina, vel est quid reale objectivè sumpta ante omnem operationem intellectus: siveque erit verum ens reale, ut condistinguitur à non ente. *Insuper* formalitas ex natura rei sapientia Divina, vel est quid reale existens à parte rei, ut condincta à nihilo, objectivè sumpta, & ante omnem operationem intellectus; & ha formalitates, ex natura rei ita distinguuntur, ut una vere & realiter non sit altera: ergo inter ipsas in-

intercedit vera, & realis distinctio simpliciter talis, sicuti inter res vere, & realiter distinctas ante omnem operationem intellectus. *Ant.* est contrariorum doctrina. *Conseq. autem prob.* Quia inter entitates reales, quarum una realiter non est alia, intercedit distinctio realis absolutè, & simpliciter talis; sed formalitas ex natura rei essentiae Divinæ est ens quid reale, & formalitas ex natura rei sapientiae Divinæ ens est, & quid reale, quarum una realiter non est alia: ergo inter ipsas intercedit vera & realis distinctio simpliciter talis, qualis est inter duo entia realia.

56 *Resp. communiter Scotistæ:* argumentum non probare intercedere distinctionem realem simpliciter talem, qualis est inter rem, & rem; sed solum realem formalem, quæ non est realis simpliciter, & compatitur cum reali identitate inter essentiam Divinam, & attributa.

57 *Sed hæc solutio solum verborum est:* Quia formalitas essentiae, vel est quid rei existens in rerum natura; vel talis non est. Si talis non est, realem distinctionem efficere non potest: cum distinctio realis vera, non possit esse, nisi inter extrema realia, & sic habemus intentum; si autem formalitas essentiae est quid reale positivum, & ante operationem intellectus, non potest non esse res quædam, & ens: quia omne quod existit vere & proprie est ens & res quædam: ergo cum similiter se habeat formalitas Divinæ sapientiae; non potest non intercedere distinctio realis, & rerum inter formalitates Divinæ essentiae, & sapientiae.

58 *Nec valet dicere;* quod distinctio realis formalis entium, & rerum non est, sed solum formalitatum, quæ iden-tificantur in ratione entitatis, & rei, & non possunt à parte rei separatae existere: atque adeò talis distinctio est pure realis formalis.

59 *Non, inquam, id valet.* Quia nihil potest existere à parte rei, nisi sit quid determinatum in individuo, & in specie; quod autem taliter est determinatum, non potest non contineri sub generalissimo genere entis, unde vere est realiter est ens: ergo si formalitates Divinæ vere continentur sub generalissimo genere entis, non possunt non esse vere & realiter, & stricta significatione entia: ergo distinctio inter illas

non potest non esse entitativa , & realis : quia talis est distinctio , qualia sunt extrema : ergo si formalitates Divinæ essentia & sapientia sunt entia realia , distinctio inter eas erit entitativa , & realis.

60. *Nec oppositum prob.* ex eo , quod Divinæ formalitates separatae existere non possunt ; nam relativa , non possunt existere separatae , & distinguuntur realiter entitative : similiter modus à re , & realiter entitative distinguuntur : suntque hujusmodi plura alia exempla : unde inseparabilitas non probat indistinctionem realem entitativam.

61. Semel probato , quod Divinæ formalitates sunt entia realia , vere proprie res reales , facile pullulant alia argumenta superius prænotata . I. *Quia* si formalitates Divinæ sunt entitatis & vere res ; Deus non potest esse simplicissimus , sed compositus vere & realiter . Nam id in quo reperiuntur diversæ res & entitates , est compositum ex illis ; sed formalitates Divinæ sunt res & entitates diversæ : ergo Deus non potest non esse vere & realiter compositus ; ac pro inde non potest esse simplicissimus .

62. II. *Quia* si formalitas sapientia Divinæ est res & entitas diversa à formalitate Divinæ essentia ; Deus non erit sapiens , quia Deus est : quod omnino contrarium est doctrinæ PP. ut constat ex dictis . *Nec valet dicere*: PP. exaggerative loquitos , atque impetu zeli metam transgressos , ut appareat multoties in his , quæ contra hæreticos scribunt . *Non inquam* , *id valet* ; quia tempore Augustini , & aliorum PP. nulla erat in Ecclesia de his controversia ; ac proinde non sunt loqui tñ modo , quo contendunt contrarii ; sed absolute & simplie citer suam mentem expressere .

63. *Denique* : *Quia* ex opposita sententia obtruditur , præter difficultatem mysterii Trinitatis , difficultas mysterii Quarternitatis , & tot numerorum , quot sunt Divina essentia , & attributa : nam hæc sunt identificata in tertio , scilicet in essentia Divina , & re & entitate distincta inter se , ut Divinæ personalitates ; quod longissime à Theolgo abesse debet .

64. *Arg. I.* *Quia* de eadem re non possunt verificari prædicata contradictionia , nisi in ea intercedat aliqua distinctio realis , sed inter essentiam Divinam & attributa , tam respe-

& uo essentiæ, quam inter se verificantur prædicata contradictionia: ergo inter essentiam Divinam, & attributa, & hæc inter se intercedit aliqua realis distinctione, sed non simpliciter realis: ergo realis formalis ex natura rei: *Major videtur certa Min. autem prob.* Quia Deus vere, & realiter intellectu cognoscit & voluntate amat: ergo de intellectu & voluntate, verificantur in Deo prædicata contradictionia: ergo intellectus, & voluntas distinguntur in Deo realiter & formaliter ex natura rei. Idem argumentum fieri consuevit de essentia, & attributis; quia plura dicuntur vere & realiter de essentia, quæ de attributis non dicuntur.

65 *Resp.* In Deo respectu Divinæ essentiæ, & attributorum nullatenus verificantur prædicata contradictionia, nec respectu essentiæ & attributorum, nec respectu attributorum inter se. Nam & est considerare essentiam, & attributa objectivæ, & in se sumpta, & conceptive, & prout à nobis cognita. I. modo essentia, intellectus, & voluntas idem sunt entitative & indivisibiliter, eademque simplicitas, entitas, qua est, intelligit, & vult; quæ prout est, à nobis dicitur essentia: prout intelligit, intellectus: prout vult, voluntas: unde objective, & in se numquam de illis verificantur prædicata contradictionia; quia illa entitate, qua Deus intelligit, eadem vult: atque adeo propositiones negativæ non verificantur de Deo & attributis objectivè, & in se sumptis. Cum autem expressiones essentiæ, intellectus, & voluntatis sint actus nostri inadæquatè Deum attingentes, & sint inter se diversæ; prædictæ propositiones solum verificantur de Deo non objective, ut est in se; sed solum conceptive, & prout à nobis cognoscitur: ac proinde non sunt contradictioniæ, quia conceptive non sunt ejusdem de eodem.

66 *Simili modo respondendum est ad aliquas PP. propositiones*, quibus innuitur quod Deus non est, quo est sapiens, est bonus, misericors, & justus: quia solum loquuntur ex modo nostro concipiendi.

67 *Arg. II.* Quia ea quæ objective, vere & realiter essentia & definitione differunt; aliquâ reali distinctione distingui necesse est; sed essentia Divina, & attributa differunt essentia, & definitione: ergo aliqua reali distinctione distinguuntur;

sed non distinctione reali simpliciter tali : ergo distinctione formalis reali ex natura rei. *Maj.* certa videtur ; *Min. prob.* Quia secundum communem Theologorum consensum diversa definitione describuntur, essentia Divina, & attributa; nam essentia est, qua Deus est: sapientia, qua Deus est sapiens: justitia, qua est justus : ergo essentia, & attributa differunt definitione essentiali.

68 *Resp. omisis aliorum solutionibus*; quod ea, quæ differunt definitione objective, & à parte rei, realiter distinguuntur; at ea, quæ solum conceptive differunt, & ex ratione sunt aliud, & aliud propter modum concipiendi, non possunt realiter distingui; quia definitiones veræ sunt actus intellectus nostri habentes respectum ad objecta, secundum quod illi repræsentantur; quapropter cum in objecto possit esse identitas realis ad diversos effectus, & possit secundum illos diversimode res definiri; non inde sequitur distinctio aliqua realis in ea: nam unitas, vel distinctio prius est in objecto, & postea inconceptu: cum autem essentia Divina & attributa objectivè & adæquate concepta, non differant quidditate & definitione; vera & reali distinctione differre non possunt.

69 *Sed dices*: sapientia, ut talis, in Deo non est formaliter justitia ex conceptu communi sapientiae: alias etiam in creatis sapientia esset justitia: ergo sapientia & justitia, etiam in Deo differunt formaliter ex natura rei.

70 *Resp.* Quod sicut per nostros conceptus ratio entis abstrahit à creato, & increato, tamquam ratio communis; ita sapientia abstracta à creata, & increata, non dicit identitatem cum justitia; attamen, sicut ratio entis contracta ad rationem entis increati, dicit identitatem simpliciter talem, qualem fatentur Scotistæ, cum omnibus prædicatis, quæ de illo dicuntur: ita sapientia, licet abstractè concepta, non dicit identitatem realem cum justitia; tamen, ut contracta ad sapientiam Divinam, dicit necessario omnimodam identitatem realem cum Divina Justitia, absque aliqua prorsus realis distinctione.

71 Longam post hæc plerique prætexunnt disputationem. *De inclusione essentiae Divine, in attributis, & attributorum in essentia Divine, & inter se*: in quo vel possumus loqui de essen-

essentia Divina, & attributis, prout sunt in se, objective: & possumus loqui de illis, prout à nobis cognoscuntur inadæquate; & prout ratione, & intelligentia distincta. Si loquamur primo modo, certum est omnino essentiam & attributa se se mutuò includere: quia objective, & à parte rei sunt omnino idem: quippe non potest esse major inclusio realis, quam inter ea quæ habent realem identitatem. Si autem loquamur de illis prout distinctis per nostram rationem. Et ut inadæquate conceptis, unum non includitur in alio. Ratio est; quia ea quæ inter se differunt, ea ratione qua differunt, unum non includitur in constitutione formali alterius; sed essentia & attributa, prout concepta inadæquate ratione nostra, sunt distincta: ergo prout sic distincta, unum non est de constitutione formali alterius. *Min. cum conseq.* est certa, *Maj. autem probatione certa constat*: quia constitutivum formale alicujus rei ab ipsa non distinguitur, nisi ex verbis & modo significandi: ergo ea quæ sunt distincta, eo modo quo distincta sunt, unum non potest includi in conceptu formali alterius.

72 *Sed dices*: intellectus Divinus, & omnipotentia Divina non possunt concipi, ut Divina, nisi includant Divinam essentiam, qua talia sunt: ergo saltē in attributis essentia Divina includitur.

73 *Resp.* Quod ratio entis Divini, ex nostro modo concipiendi potest accipi, ut ratio communis, & quasi generica ad Divinam essentiam & ejus attributa & perfectiones; & hoc modo in omnibus illis includitur, tanquam genus in differentiis; attamen essentia Divina, attributa & perfectiones, prout distincta, non possunt se se includere ratione præfata. Nam ad hoc ut concipientur ut Divina, sufficit ut concipientur sub ratione Divina, ut genericā, & communi essentiā, & attributis.



DISPUTATIO IV.

De Invisibilitate, & Visione Dei.

1 **V**isio facilius experimento percipitur , quam describitur verbis : in quo necesse est communioribus vocibus uti : est enim , ut experientia edocet , notio , & perceptio objecti in se ipso immediate , qua animus informatur quid , & quale sit objectum : notitia enim quæ habetur de eo , non in se ipso , sed mediante alio , non est visio & intuitio illius , sed solum notitia illius abstractiva.

2 Duplex ergo visio à Philosophis agnoscitur , una sensibilis mediante organo oculorum , quo apte disposito , anima percipit corporum quantitatem & molem , colores & distantias eorum ; ita necessario , ut ambigere non possit de objecto , si nulla indispositione organum laboret : alia intellectualis , qua anima intellectu percipit objectum secundum quod quid est , & ejus proprietates ; ita ut nullatenus possit ambigere , ut in hac propositione : *Totum est majus sua parte , & aliis hujusmodi.*

ART. I. *An Deus videri possit immediate in se oculis corporis?*

3 **A** nthropomorphitæ , & qui censuere Deum corporeum , necessario assertere debebant Deum corporeis oculis videri posse. *Dicendum nobis* cum Catholica Ecclesia , cum qua convenient Judæi , Mahometani , & Philosophi recte de Deo sentientes : Deum oculis corporeis in se immediate videri non posse. *I.* ex Apost. I.ad Timoth. i. *Regi seculorum immortali & invisibili* ; sed Deus non est invisibilis oculis intellectualibus , ut infra constabit : Ergo est invisibilis oculis corporeis. *II.* *Quia* quod non est corporeum & coloratum , videri non potest oculo corporeo : quippe

pe hæc est sphæra, & objectum illius; sed Deus nec est corpus, nec colorem habet: ergo non potest videri oculo corporeo. *Min. cum conseq. tenet, Maj.* verò experimento constat ex cæteris sensibus, qui determinata habent objecta: auditus enim non potest percipere, nisi sonum: gustus non nisi saporem: quia hæc ejus objecta, & sphæra activitatis eorum, ultra quam extendi minime possunt: ergo corpus coloratum est objectum, & sphæra activitatis oculi corporei: quod & amplius constabit ex infra dicendis.

4. *Nec valet dicere: quod Job cap. 19. In carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt.* Nec quod dicitur de Moyse Exodi 33. quod Dominus loquebatur cum illo facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Nec quod Isaias cap. 6. ait: *Dominum exercituum vidi oculis meis:* ergo Deus oculis corporeis conspicere potest, cum ab actu ad potentiam conseq. valeat.

5. *Hac, inquam, non obstant.* Ad I. enim *Resp.* quod Job non sperabat Deum in se ipso videre oculis corporeis in resurrectione; sed solum videre Deum, qua hominem, & Redemptorem, in persona Christi: qua ratione oculis corporeis conspecturi sunt, quotquot in iudicio comparebunt: & ideo ait: *Credo quod Redemptor meus vivit &c.* Qua ratione Apostoli, & alii qui videre Christum in carne mortali oculis corporeis, Deum videre: quia Christus homo & Deus est.

6. Ad II. de Moyse *dicimus*, quod licet frequentissime cum Deo loqueretur, & ita familiariter, sicut solet amicus ad amicum loqui, quod innuitur solum phrasè illa *facie ad faciem*, id est, loqui ad Deum præsentem; tamen & contextu elicitur Deum in se ipso immediate non vidisse; cum à Deo expostularit ut faciem suam ipsi ostenderet; & Dominus responderit: *Non enim videbit me homo, & vivet.* Ad III. *Resp.* Isaiam non vidisse oculis corporeis Deum in se ipso, sed solum in sua imagine & maiestate, ut docent ibi communiter Interpretes.

7. *Sed Quaritur: An sit possibile quod Deus in se ipso & immediate sit visibilis mediante organo corporeo oculorum.* *Pro resolutione notandum:* quod anima rationalis sine lumine gloriae Deum in se ipso immediate videre, seu cognoscere non

non potest, ut constabit ex infra dicendis. Unde cum quæritur, an Deus oculo corporeo videri possit, necesse est quod in anima præsuponatur lumen gloriae, quia sine illo Deus videri non potest. Si enim in anima est lumen gloriae, necessatio Deum videbit, sicuti contingit in Christo Domino: ad quod de materiali se habebat organum corporeum oculorum. Ut ergo locus sit disputationi, necesse est ut nullo modo supponatur in anima lumen gloriae; & disquiratur: An Deus ita oculo corporeo representari possit, ut anima per illum possit ipsum Deum immediate conspicere?

8 Communis Theologorum sententia negat oculis corporeis Deum immediato in se ipso ab anima conspicere & videri posse: quod & intelligendum de qualibet creatura intellectuali. *Prob.* variis modis haec sententia; meo tamen judicio, in idem collimant, & comprehenduntur sequenti discursu. Intellectus creatus nihil potest percipere & videre immediate & in se, mediante oculorum organo; nisi sit ipsi representabile per organum oculorum; sed Deus non est representabilis per organum oculorum: ergo intellectus creatus nullatenus potest organum oculorum Deo immediate in se percipere & videre. *Maj. est certa*: quia, sicut voluntas creata nihil potest velle, nisi representetur ab intellectu: ita intellectus nihil potest percipere per sensus, nisi per illos fit illi representabile. *Min. autem prob.* Nam Deus essentialiter est spiritualis & incorporeus, & est essentialiter indistans ratione immensitatis ab oculo corporeo: adiunde organum corporeum in ratione talis habet determinatam essentiam in sua linea, cuius terminos transfilire non potest; sed ejus essentia nihil aliud potest esse nisi instrumentum, quo intellectui creato corporalia representantur: quippe organi corporei oculorum non potest nobis subesse alia definitio: ergo cum Deus sit spiritus, & intime præsens organo oculorum, cum medio illo non represententur immediate in se intellectui creato: non alia ratione id contingit; nisi quia per organum corporeum representari non potest, nisi corporeum; non verò incorporeum & spirituale, qualis est Deus.

9 Hac etenim ratione asserunt Philosophi, & Theologi quod anima rationalis per organum oculorum non potest

per-

percipere sonum, nec per organum aurium percipere colorēm; & sic de reliquis sensibus: alias frustra essent sensus plures, si uno & eodem omnia sensibilia percipi possent: quorum omnium ratio est, quia organa corporea habent, sicuti omnia creata, suam determinatam essentiam, & extra ejus terminos repugnat extendi.

10. *Ulterius*: quia organum oculi corporei solum potest concipi, ut potens Deum in se repräsentare animæ, luminis additione, vel dispositione organi reborata; neutro autem modo potest Deus illi repräsentari: *Tum* quia lumen organi corporei, est lumen materiale, quo spiritualia manifestari non possunt: *Tum* quia dispositio organi oculorum, quantumcumque perfectissima concipiatur, necesse est quod materialis & corporea sit: ergo Deus immediate in se non est repräsentabilis intellectui creato, organo oculi corporei.

11. *Dices I.* Oculus corporeus potest supernaturali lumi- ni affici, quia in hoc non est repugnantia: ergo illo potest Deus videri. Non enim alia ratione potest Deus videri ab intellectu creato, quem naturaliter videre non potest. *Resp.* quod similiter potest Deus ponere lumen gloriae in voluntate in organo auditus, & lapide; cum tamen per voluntatem, aut auditum Deus videri non possit, sicuti neque per lapidem; diversa autem ratio est in intellectu naturali, quia est inadæquate potens ex se ad Deum cognoscendum in se ipso: unde adjutus lumine gloriae potest Deus videre, quod non contingit in voluntate, auditu & lapide.

12. *Dices II.* Ignis Inferni, qui est corporeus, potest a Deo elevari, ad torquendum spiritum: nam sic torquet Dæmones & animas daminatorum: ergo & oculus corporeus potest elevari ad videndum Deum, esto spiritus sit. *Resp. neg.* *conseq.* Ratio discriminis est: quia ignis corporeus solum est instrumentum, medio quo Deus producit in Dæmoniis & animabus damnatis qualitatem doloriferam: unde solum torquet spiritus instrumentaliter, quomodo & potest Deus ut qualibet alia creatura: at cum visio Dei sit actio vitalis, medio puro instrumento effici non potest; nam actio vitalis debet procedere a principio aliqualem habente virtutem, & potentiam: quod non repetitur in oculo corporeo.

13 *Sed instabis*: aliud est quod oculus corporeus per se non possit visionem Dei elicere; & aliud quod anima, mediante oculo corporeo tanquam instrumento, non possit elicere visionem Dei: ergo sicuti Deus igne corporeo, tanquam instrumento, potest Dæmones torquere; ita poterit facere quod anima oculo corporeo, tanquam instrumento, possit ipsum videre.

14 *Resp.* quod oculus corporeus est instrumentum percipiendi corporalia; nec elevari potest ad percipiendum spiritualia; & quantuncunque roboretur, rationem organi non potest excedere, nec potest attingere rationem luminis gloriae: unde quidquid addatur praedito organo, relinquit impotentem animam ad Deum in se videndum: ac consequenter non potest esse instrumentum ad Dei visionem.

15 *Dices III.* Quælibet creatura potest elevari à Deo ad quælibet operationem: ergo & oculus corporeus ad visionem Dei. *Resp. neg. Ant.* Nam licet aliqui Theologi concedant in qualibet creatura potentiam obedientiam ad quælibet effectus & operationes creatas; communis opinio id negat: de quo alio loco.

ART. II. *An Deus videri posset ab intellectu creato?*

16 **D**upliciter versari potest Quæstio I. de intellectu creato ex viribus propriis, seu naturalibus. II. de eo cum adjutorio luminis supernaturalis, seu gloriae.

17 *Dicendum I.* quod Deus in se ipso videri naturaliter non potest ab intellectu creato. *Prob. I.* ex I. ad Timotheum cap. 6. ubi de Deo ait Apost. *Quia lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: Deum nemo vidit unquam:* & alia hujusmodi, quæ licet videantur explicari posse de visione corporali, Ecclesia semper intellectus de visione intellectuali; atque adeò in Concilio Viennensi definitivit: necessario requiri lumen gloriae ad videndum Deum: ergo non potest videri ab intellectu creato per naturales vires.

18 *II.* Quia visio est donum gratiae gratis promissum à Deo creaturis intellectualibus: ergo nulla creatura potest naturaliter Deum videre. Quia id quod per vires naturales acquiri potest, nequit dici gratiae donum: operationes enim naturales, quas cum solo concurso generali elicere creatura potest, non dicuntur denuo gratiae: unde hac ratione: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus:* ait David Psalm. 83.v.12. ergo. Quapropter Beguinæ, & Begardi, in p̄fato Concilio damnati sunt ut hæretici.

19 Sed dices: homo habet naturalem inclinationem ad vivendum Deum: ergo per proprias vires potest illum videre; quia naturalis inclinatio non potest esse ad terminum impossibilem: *Resp. instantiis, & ratione:* homo habet naturalem inclinationem ad perpetuò vivendum, seu non moriendum: similiter ad volandum, cum nec per vires naturales possit volare, aut vitare mortem: similiter homo potest naturaliter appetere, aut desiderare Deum videre, esto naturaliter id consequi non possit: quippe in homine est duplex appetitus; unus simplicis complacentiæ inefficax, qui solum movetur à bonitate apprehensa objecti, & hic potest terminari ad impossibile; alter est complacentiæ efficacis, qua desiderio fertur, & hic non potest terminari, nisi ad possibile, aut realiter, aut in apprehensione. Appetitus Deum videndi in homine solum est simplicis complacentiæ & inefficax; & eo non probatur hominem per vires naturales Deum posse videre.

ART. III. *An sit possibilis creatura cui sit connaturale Deum in se ipso videre?*

20 **H**ec quæstio magis curiosa, quam utilis: utilitas te vacat, spinis abundat, sicuti alia hujusmodi, quæ excitantur à Theologis, exercendis ingeniis sine alio fructu; in quibus ingenia gradiuntur lubrico: tenuitas enim nostræ mentis, si creaturis factis obtupescit & obruitur, qualiter ad fastigium possibilitatis ascendere potest? Sed heu his,

& aliis Juniores tempus perdidimus! Ast ne ignari videam urbis qui hæc solum, scimus Theologos majori ex parte conspirare in neganda possibilitate talis creaturæ; sed in demonstranda impossibilitate opus & labor.

21 *Quidam moventur:* Quia creatura naturaliter videns Deum, esset naturaliter impeccabilis: eo quod visio Dei constituit videntes impeccabiles; sed repugnat creatura natura sua impeccabilis: ergo, & natura sua videns Deum. Hoc tamen fundamentum est imbellē: *Tum* quia quod visio Dei ab intrinseco, & per se constituit videntes impeccabiles, est sub gravi quæstione: *Tum* quia, concessō quod sit possibilis creatura naturaliter videns Deum, nulla est difficultas in concedendis illis, quæ consequuntur Dei visionem: hique Auctores nulla laborant difficultate in concedenda creatura impeccabili & per se sancta, & cui sunt connaturalia dona gratiæ, ac per se beatæ.

22 *Alii moventur:* Quia repugnat creatura, quæ non sit præmiabilis à Deo; & cui esset debita visio, non esset præmiabilis à Deo: quippe non videtur subesse aliud præmium; hoc tamen fundamentum elidunt, dicentes posse Deum illi creatura conferre majorem gradum visionis, & posse conferre unionem hypostaticam, aliaque quæ prætervolant imaginationem nostram; proindeque non fore creaturam, cui connaturaliter Dei visio conveniret, impræmiabilem.

23 Potius fundamentum hujus Sententia desumitur: *Tum* ex PP. docentibus Deum esse naturaliter invisibilem à creatura, quia Deus est infinitus, & creatura finita, qua creatura: sed quæcumque creatura possibilis fingatur, est creatura; & Deus ejus respectu infinitus: ergo quæcumque est impotens metaphysice, ut respectu ejus non sit Deus naturaliter invisibilis: *Tum* quia implicat creatura, cui sit connaturalis amicitia Dei: nam implicat creatura, quæ non sit serva Dei rigorosissima servitute; & servi ad Dominum non potest esse connaturalis amicitia: *Ulterius:* quia admitti ad amicitiam pendet à libertate alterius: ergo non est possibilis creatura, cui sit connaturalis visio Dei. *Prob. conseq.* *Tum* quia visio Dei est præcipuus effectus amicitiae Dei: *Tum* quia Deus præter unionem hypostaticam, non habet alium modum in-

timè se communicandi creaturæ: ergo si non est possibilis creatura, cui sit connaturalis amicitia Dei: nec cui sit connaturalis visio Dei.

24 Præcipuum fundamentum Ripalda, & aliorum Recentiorum stat in dissolvendis argumentis quæ intendunt, probare impossibilitatem, & quod creatura exigens connaturaliter visionem, nec idenſificaret visionem, nec esset infinita: cum jam supra probaverimus id esse incompossibile cum conceptu servitutis intrinſeco & essentiali creaturæ intellegiali; & ſimilibus argumentis poſſit defendi, creatura exigens connaturaliter unionem hypostaticam poſſibilis; & poſſibilis creatura indeſtruibilis à Deo: & alia hujusmodi, quæ ſolis effrauenibus ingenii libent.

25 Dicendum II. Quod Deus immediate, & in fe ipſo videri poſtē à creatura intellectuali cum auxilio, & adjutorio luminis gloriae. Prob. I. Quia Angeli ſunt creaturæ intellectuales, & de facto vident Deum juxta illud Christi: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Mathæi cap. 18. II. Quia visio Dei in fe ipſo immediate eſt præmium Iuſtorum à Deo promiſſum: Joannis epift. 1. cap. Similes ei erimus, quia videbimus eum (ſcilicet Deum) ſicuti eſt. Et Paul. 1. ad Chorint. 13. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate: Tunc autem facie ad faciem. III. Quia de fide eſt quod animæ Iuſtorum perfectè purgata statim vident Deum, ut poſtea diceamus: ergo, cum ab actu ad potentiam fit consecutio irrefragabilis; cum aliunde probatum ſit creaturam intellectualem ſolis propriis viribus non poſſe Deum videre: ſequitur, quod fit poſſibilis visio ipsius cum adjutorio ejus, quod à Theologis dicitur *Lumen gloriae.* Et hoc docent unanimiter PP.

26 Sed dices I. quia Chrysostomus aliquot locis aliquotque PP. docent: Deum prout in fe eſt, à creatura videri non poſſe. Resp. Chrysostomum, eosque PP. loqui de visione comprehenſiva Dei, qualem ponebat Eunomius, & heretici ab eo cognominati: non vero de visione imniediata non comprehenſiva, quam aliis locis palam conſitentur.

27 Dices II. Magis diſtat Deus ab intellectu creato, quam res spiritualis ab oculo corporeo; ſed oculus corporis

reus non potest divinitus clevari ad cognitionem rei spiritu-
tualis: ergo nec intellectus creatus ad visionem immediata-
tam Dei. *Resp.* Quod licet Deus in ratione entis distet ma-
gis ab intellectu creato, quam ens spirituale ab oculo corpo-
rump; tamen in ratione objecti, non distat tantum ab in-
tellectu creato, quantum res spiritualis ab oculo corpo-
reo: cum objectum extensivum intellectus creati sit ens in
tota sua latitudine.

28 *Sed insurges.* Deus immediate in se non potest
contineri in sphera objecti intellectus creati; quia sphera
illius continetur in his, quae intellectus creatus potest per
proprias vires cognoscere; atqui Deus immediate, & in se
non potest cognosci ab intellectu creato propriis viribus: er-
go non continetur immediate in se in sphera intellectus
creati.

29 *Resp.* Omissis pluribus quae longissime plures dis-
cutiunt ad solutionem hujus argumenti: *I. Per instantiam:*
Nam futura, & cogitationes cordium nullus intellectus crea-
tus per proprias vires attingere potest: consequenterque non
essent in sphera objecti intellectus creati: *II. Quod intel-*
lectus creatus potest duplice considerari, vel ut potentia
adæquata, habens per se vires sufficientes ad cognoscendum
objectum; & hac ratione ejus objectum proportionatum &
extensivum, est præcise id quod per proprias vires attingere
potest: vel ut potentia inadæquata quae per se solam pro-
priis viribus non potest attingere objectum, potest tamen
illud attingere alterius subsidio & adjutorio: hac ratione
objectum extensivum illius est quidquid cum tali subsidio
potest attingere, & cognoscere; & hoc modo continetur
Deus immediate, & in se sub objecto intellectus creati: si-
cuti magnum pondus sub viribus pueri cum adjutorio vi-
rium gigantis. Ex quo facile resp. in forma.

30 *Dices III.* Visio Dei necessario debet esse infinita:
nam visio crescit ex objecto; ac proinde visio objecti infi-
niti necessario debet esse infinita; at creaturæ repugnat visio
infinita: ergo regugnat ei visio Dei. *Resp.* Quod, licet actus
intellectus & voluntatis crescant specificè ad incrementum
objecti & modi attingendi illud; non crescunt entitative ad
in-

incrementum objecti , ut patet in cognitione naturali Dei & ejus amore , quæ finita sunt. Quorum ratio est , quia actio , est motus ab agente in objectum : unde cum dicat necessario contineri in principio , actio quæ continentur in principio finito , non potest esse infinita , esto terminetur ab objectum infinitum. Per quod faciliter responderi potest huic puerili argumento , quod exaggerant aliquot Recentiores.

ART. IV. *An posset dari species impressa
qua Deus, prout in se est, cognoscatur?*

31 **D**E specie impressa , & expressa , ac intellectione , seu cognitione plura tractant Philosophi , & Theologi ; nos vero brevitati consulentes , de intellectu , intellectione ac objecto philosophamur ad instar visionis oculi corporei. Nam sicut visio per oculum corporeum immediate attingit objectum in se ipso in distantia proportionata ejus virtuti & activitati; ita intellectus creatus objectum proportionatum & sibi indistans immediate attingit & cognoscit : & sicut oculus corporeus objectum distans potest cognoscere in sui imagine & similitudine , ut in imagine Cæsar is , os ejus , figuram , & lineamenta : ita intellectus objectum proportionatum & distans potest cognoscere in sui imagine & similitudine , quæ dicitur species impressa , qua cognoscit objectum , prout est in se ; sed non immediate in se , sed in representatione ipsius speciei impressæ.

32 Cognitio autem est ipsa penetratio objecti in se , vel in specie , seu judicium affirmativum , vel negativum de objecto. An autem objectum , seu species concurrat efficienter ad intellectuonem simul cum intellectu sub lite est. Nos verius censemus objectum , vel speciem nullum influxum habere in intellectuonem ; sed solum objectivum , pure terminativum , & extrinsecum. Quapropter intellectio omnium consensu est actus vitalis , quo intellectus constituitur exercitc intelligens & cognoscens. Species , autem expressa , seu verbum mentis , ali-

aliquorum sententia, non distinguitur realiter ab ipsa intellectione, quatenus expressio est objecti; alii autem dicunt ab intellectione realiter distingui, esseque terminum, & effectum ejus, & in omni intellectione resultare speciem expressam; nos vero censemus, quod sicut in visione corporea plures formatur in phantasia, seu imaginativa species, seu imago rei visae: ita in intellectu, ex intellectione objecti, plures format intellectus imaginem rei cognitæ: quæ imago dicitur species expressa, seu verbum mentis.

33. *His præmisit*, Theologi plures docent non rapugnare speciem impressam, qua Deus cognoscatur prout in se est, quidditative. Ita Scotista, & plerique Jesuitarum, ac plures ex Notris, & aliis: repugnare vero talem speciem docent Thomistæ cum Divo Thoma, plerique Jesuitarum, alii, ac plures ex Notris.

34. *Dicendum nobis*: Non esse possibilem speciem impressam creatam Deum prout in se est repræsentantem, & quæ prout in se est, cognoscatur quidditative. Probant aliqui quia Deus se non potest cognoscere per actum distinctum à se: ergo nec quidditative cognosci, & prout in se est per aliquid à se distinctum, qualis esset species creata. Hoc tamen fundamentum multis convellitur ab adversariis. Alii probant, quia species tam impressa, quam expressa debet esse ejusdem immaterialitatis & perfectionis cum objecto, & nulla species creata potest esse ejusdem immaterialitatis, & perfectionis cum Deo.

35. At his, & aliis fundamentis missis, *prob. nostra sententia*: Quia species impressa in tantum potest repræsentare objectum prout est in se, in quantum potest esse similitudo & imago objecti prout est in se; sed nulla species creata, potest esse imago & similitudo Dei, prout est in se: ergo nulla potest ipsum repræsentare prout est in se. *Maj. est certa*: quia species impressa non aliter concurrit ad cognitionem, nisi quatenus est ratione imaginis & similitudinis vicaria objecti: hocque sit præsens potentia. *Conseq. tenet & Min. prob. I.*: Quia nulla creatura potest esse similis Deo, prout est in se; nam similitudo fundatur in unitate & convenientia, ut exp. sumus in aliqua re, & ejus imagine; & omnis creatura necesse est:

est quod sit dissimilis Deo prout est in se : ergo nulla species creata potest esse imago Dei prout est in se , nec esse illi similis.

36 *Resp. Contrarii* : quod nulla creatura potest esse similis Deo prout est in se , in esse entitativo ; cæterum in esse repræsentativo non implicat , quod creatura sit similis Deo prout in se est . *Sed contra est.* Nam ut adversarii fatentur , nulla creatura potest esse similis Deo prout in se est in esse entitativo : ergo nec in esse repræsentativo . *Prob. conseq.* Quia esse repræsentativum in specie impressa non est aliud ab ejus esse entitativo : ergo si in esse entitativo non potest esse similis Deo , prout est in se : eodem modo non poterit esse similis illi in esse repræsentativo . *Ant. Prob.* Nam entitas & esse physicum speciei impressæ , non est aliud à repræsentatione objecti , ratione similitudinis cum illo ; esto natura distet ab objecto : ergo esse repræsentativum non differt in specie impressa ab esse entitativo ; sicuti in homine non differt esse entitativum , ab esse intellectivo ; nam entitas speciei impressæ non est alia ab ipsa repræsentatione formalii objecti .

37 *Confirm.* Nam si illa species impressa esset possibilis , esset comprehensiva Dei ; sed hoc repugnat , & fatentur plærius adversariorum : ergo & repugnat species impressa creata , repræsentans Deum prout est in se . *Min. cum conseq.* tenet . *Major prob.* Nam prædicta species repræsentaret Deum adæquate , ira ut nihil relinqueret in Deo repræsentandum ; quippe repræsentaret Deum prout est in se : ergo esset comprehensiva Dei . *Prob. conseq.* Nam cognitione quæ ita attingeret Deum , ut nihil relinqueret cognoscendum in Deo , esset comprehensiva illius ; nam in hoc stat ratio comprehensionis (ut postea dicemus) ergo si species impressa creata repræsentaret Deum prout in se est , repræsentaret illum quantum repræsentabilis est in ipso ; ita ut nihil relinqueret non repræsentatum , & consequenter esset comprehensiva Dei .

38 *Sed dices :* Species expressa est repræsentatio Dei prout est in se , & non est ejusdem similitudinis cum Deo , nec illius comprehensiva ; & tamen datur in beatis : ergo hæc non obstant possibilitati speciei impressæ repræsentatis Deum prout est in se .

39. *Resp.* Quod in Sententia asserente, quod species expressa non distinguitur ab actu intellectus attingente objetum, species expressa non est aliud, quam attingentia objecti, consequenterque non habet esse simile adæquate cum Deo; nec esse comprehensivam Dei: & solum est analogicè repræsentatio objecti: sicuti visio corporea non est repræsentatio objecti; sed attingentia & penetratio objecti repræsentati: quod non accidit in specie impressa, quæ est repræsentatio formalis objecti. Si autem species expressa est imago producta ab intellectu ex cognitione objecti, cum cognitio Dei, à qua procederet, sit omnino dissimilis Deo prout in se est, quia cognitio creata non potest esse adæquate similis cognitioni increata; ita species expressa, solum potest esse imperfectè similis Deo prout in se est: & sic non repugnat; contrarium autem accidere in specie impressa repræsentante Deum, prout in se est.

40. *Ex dictis sequitur*: quod si species expressa non est aliud ab ipsa intellectione & cognitione, nemo potest negare speciem expressam Dei, nisi negaverit Deum, prout in se, videri & cognosci clare à beatis: cum ipsa visio, & cognitione sit verbum & species expressa. Si autem verbum, & species expressa sit imago, & similitudo objecti, resultans ex intellectione in absentia objecti, deserbit potentia intellectiva ad cognitionem illius: ad modum quo pictor, qui vidit aliquid personam & efformat imaginem illius, ut ea absente, possit contemplari speciem oris illius: dicimus in videntibus Deum nullam dari speciem expressam, seu verbum illius: *& ratio est*: quia videntes Deum, semper illum vident immediate & in se, ita ut numquam possint cessare à visione, juxta illud Mathei cap. 18. v. 10. *Angeli eorum, semper vident faciem Patris mei*: ergo in illis non est necessaria species expressa, seu verbum ad cognoscendum Deum.

41. Cum dixerimus creaturam non posse Deum prout in se est videre, sine auxilio supernaturalis luminis collati à Deo, quod lumen à Theologis vocatur *lumen gloriae* juxta illud Psalm. *In lumine tuo videbimus lumen*: duo hic queruntur ab his: *Primum*: An lumen gloriae sit tota & adæquata virtus & potentia, qua intellectus creatus elicit visionem Dei, seu illum

illum videt? Secundum. An deficiente lumine gloriae intrinsecis in harente in intellectu, per solam cooperationem extrinsicam Divinae omnipotentiae possit Deus videri prout in se est? Haec duas quæstiones magno ardore controvertuntur a Thomistis, Scotistis, & Jesuitis; sed quia exagitari possunt de omni actu supernaturali, tam visionis, quam fidei, spei, & charitatis; agentes de actibus supernaturalibus, eas discutiemus.

ART. V. *An possit videri essentia Divina, prout in se est, non visis attributis, & personalitatibus; vel videri una Persona sine aliis Divinis Personis.*

42 **D**icendum: primo non posse videri Deum prout in se est, non visis omnibus perfectionibus & personalitatibus ejus. *Ratio est*, quia Deus, prout in se est objective & à parte rei, idem est omnimoda identitate cum suis perfectionibus & personalitatibus: ergo non potest videri prout in se est, illis non visis. Ex quo & sequitur I. non posse in Deo videri unum attributum, prout in se est, non visa essentia Divina, & omnibus his cum quibus, prout in se est, habet identitatem: quia quodlibet attributum dicit eandem identitatem cum omnibus Divinis perfectionibus. *Sequitur deinde II.* Quod non possit videri essentia Divina, prout in se est, non visis tribus Divinis Personis, earumque personalitatibus; nam essentia Divina prout in se est objective & à parte rei, dicit identitatem cum Divinis Personis, & earum personalitatibus; ac proinde iis non visis, non potest videri essentia Divina prout in se est; nec è contra videri aliqua personalitas, seu Persona Divina, prout in se est, non visa essentia Divina.

43 An videri possit in se una Persona Divina sine alia; ut Pater, non viso Filio, aut Spiritu Sancto? Dicussionis ra-

tio stat in eo, quod Pater, licet sit idem Deus cum Filio, & Spiritu Sancto, est realiter distinctus ab eis, & quando aliqua sunt realiter distincta, videri unum sine altero apparet possibile: ac præsertim cum non sit idem videre objectum immediate in se, ac videre objectum immediate in se, & prout in se est; quapropter videtur non esse impossibile, quod Pater videatur in se, non viso in se filio. *Ulterius.* Quia non videtur repugnans quod detur lumen gloriæ manifestans Patrem in se, & non Filium, & Spiritum Sanctum; perinde videtur non repugnare videri Patrem non viso Filio, & Spiritu Sancto: suffraganturque huic opinioni aliqui Theologi.

44 *Dicendum tamen cum communi Theologorum sententia:* non posse immediate in se videri unam Divinam Personam sine aliis. I. Ex illo Christi, Joannis cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Ergo quia non potest videri persona Christi, non visa Persona Patris. II. Ex Christi ratione, quia in qualibet Divina Persona sunt aliae duæ Personæ Divinæ per circumfessionem, & identitatem cum natura Divina, ut constat ex tractatu de Trinitate eodemque loco Joannis: *non creditis, quia Ego in Patre, & Pater in me est;* proinde Pater, ut Pater, videri non potest, nisi visa in se Paternitate & essentia Divina in se; nam his constituitur formaliter Pater, & Persona Divina: ergo cum in cognitione Patris in se sit necessaria cognitio essentia Divina immediate in se, cum hæc nullatenus videri possit in se, non visis Personis, ut dictum est; sequitur quod visa una Divina Persona, ac essentia Divina, quam constitutive dicit, sit necessarium videri alias Divinas Personas: cum Persona Divina adæquatè constituatur Divina essentia, & personalitate propria.

45 Ex his facile est argumentis præmissis ocurrere. In rebus enim creatis, quando duo diversa sunt realiter, sunt diversa realiter adæquate; ita ut nihil illius identificetur cum altero: & ideo unum sine altero cognosci, & videri potest intuitively, & in se; at vero cum in Divinis Personis non sit distinctione realis adæquata, sicut in creaturis; sed cum personali distinctione inter se habeant identitatem cum essentia, & natura Divina: nullatenus una Persona videri potest sine alia;

nec

nec dari lumen gloriæ, quæ manifestet unam Divinam Personam, & non manifestet essentiam Divinam, prout in illa est & prout est in se.

ART. VI. An possit Deus videri in se, nulla visa, seu cognita creatura?

46 **C**reaturæ alia sunt futuræ, alia præsentes, alia præteritæ, & alia merè possibles. Certum videtur quod Deus potest in se videri, non visis creaturis præsentibus aut futuris: quippe quæ sunt realiter diversa adæquate, & nullam important relationem, potest unum sine alio videri, & cognosci; sed Deus est realiter adæquate diversus à creaturis præsentibus, præteritis & futuris, nullumque ad illas dicit respectum: ergo potest videri, & cognosci in se, prædictis creaturis non visis.

47 *Nec valet dicere: quod videns Deum, necessario videret Deum esse sui creatorem, perindeque se videret; consequenterque non potest Deus videri ab aliqua creatura, quin se ipsam videat in ipso. Non inquam, id valet; quia relatio Creatoris resultat in Deo ex decreto, & actione libera Dei; unde cum nihil intrinsecum ponat in Deo, sicuti potest Deus videri hac ratione, non visis aliis decretis, & actionibus liberis Dei; ita potest videri Deus à creatura, sine relatione Creatoris ad ipsam.*

48 De creaturis possibilibus decet philosophari juxta sententias de connexione omnipotentiae cum illis. Qui enim asserunt Divinam omnipotentiam nullam cum possibilibus dicere connexionem, fateri tenentur posse Deum videri, ut omnipotentem, nulla visa creatura possibili. Nam omnipotentia objective sumpta, est distincta à possibilibus, & inconnexa cum illis: quæ autem sunt distincta & inconnexa, unum sine alio videri, & cognosci potest. Qui verò docent omnipotentiam connecti metaphysice cum creaturis possibilibus collective & divisive, aut vagè acceptis, solum tenentur dicere videntes Deum, qua omnipotentem, cognoscere creaturas possibles, solum secundum respectum connexionis omni-

nipotentiæ cum illis, vel in communè, & vagè acceptis.
Ex quo infertur quod videns Deum, non videat necessario &c
ex vi visionis aliquam creaturam possibilem in particulari.

**ART. VII. An de facto videntes Deum, vi-
deant, vel cognoscant in ipso crea-
turæ?**

49 **C**ommunior Theolog. sent. id affirmat: *Tum*
propter auctoritatem Augustini, Gregorii, &
Bernardi: *Tum* quia Deus est causa omnium creaturarum, &
omnium illarum habet ideas: *Tum* quia, sicut Deus cognos-
cit creature in se ipso, quia essentia Divina est repræsentati-
va illarum: ita videns Deum eadem ratione potest in essentia
Divina cognoscere & videre creature.

50 Oppositum tamen tenent graves Theologi cujus Vaz-
quez, Suarez, qui refert, Theologos quosdam asserere vide-
ri creature in Deo; tamen modum super excedere captum in-
tellectus humani. Præcipuum fundamentum sententia nega-
tivæ est: quia certum est apud Auctores oppositos à beatis
non videri in Deo omnes creature, nec possibiles, nec exis-
tentes, nec futuras: ergo nulla creature potest in Deo videri.
Prob. conseq. Quia essentia Divina est in actu primo necessa-
rio repræsentativa omnium creaturarum: ergo vel omnes re-
præsentat, vel nullam. *Prob. conseq.* Quia in actu secundo
non est ratio ut essentia Divina, repræsentet alias, & non
omnes, & ut repræsentet potius has, quam illas: ergo vel
omnes repræsentat, vel nullam.

51 *Ant.* in quo fiat difficultas hujus questionis prob. Quia
ratio repræsentandi essentiam Divinam has creature, & non
omnes, has, & non illas non potest in alio stare, quam ex parte
objecti, vel ex parte luminis gloriæ: quippe nullo alio ex capite,
potest ea diversitas oriri; sed ex nullo illorum potest talis di-
versitas oriri: ergo nulla est ratio, ut in actu secundo essentia
Divina repræsentet alias creature, & non omnes, & po-
tius has, quam illas. *Major* duplēm habet partem. *Pri-*
ma

ma probatur. Quia essentia Divina , si per se est repræsentatio creaturarum , vel per modum causæ , vel per modum objecti , id ei competit ratione suæ infinitæ perfectionis : & consequenter necessario repræsentat omnes : ergo non potest re-præsentare has , & non illas : sicuti , quia in Sententia Thomistarum & aliorum Deus cognoscit creaturas in essentia Divina illas repræsentante , non potest essentia Divina illi re-præsentare illas præ illis , sed necessario repræsentat omnes . *Secunda autem pars Ant.* nempe , non posse talen diversitatem oriri ex parte luminis gloriae prob. Quia lumen gloriae est ejusdem speciei in omnibus videntibus Deum : ergo per illud non est ulla ratio , ut in essentia Divina cognoscantur aliquæ creaturæ præ aliis . *Ant est certum , & Conseq. videatur tenere.*

52 Dices : diversitatem cognoscendi in essentia Divina aliquas creaturas præ aliis non oriri ex diversitate luminis gloriae , specifice sumpti ; sed oriri ex diversa modificatione luminis , ratione cuius est potentia determinata ad cognoscendum in essentia Divina has creaturas , & non illas .

53 Sed *Contra stat.* Nam illa luminis modificatio , vel est intensio gradualis luminis , vel est aliquid reale distinctum realiter ab ipso lumine ? Si primum sequitur : quod videns plures creaturas , in essentia Divina , necessario perfectius videat Deum : quia ex differentia graduali luminis provenit differentia gradualis visionis Dei , ut docent Theologi : *quod est falsum.* Nam creatura minoris meriti potest habere respectum ad plures creaturas ; quia pertinent ad ejus statum , & videre creaturas plures , quam creatura majoris meriti quia ad ejus statum tot creaturæ non pertineant : ergo minoris meriti perfectius Deum videret , quam creatura majoris meriti : ergo diversitas videndi in Deo plures , aut pauciores creaturas , has , & non illas , non potest provenire , à differentia intensionis , seu graduali luminis .

54 Si autem modificatio luminis provenit ab aliquo realiter distincto à lumine ipso : jam cognoscuntur creaturæ in Deo , non per lumen gloriae , quo Deus videretur ; sed per aliud distinctum ab ipso , quod intendit hæc sententia : aliundeque si illud distinctum à lumine gloriae , quo cognoscuntur

in essentia Divina hæc creature, & non alia terminatur primo, & per se ad essentiam Divinam, & postea ad creature, erit distinctum à lumine gloria (ut supponitur ab adversariis) & non erit distinctum: quia lumen quod terminatur ad essentiam Divinam, prout est in se immediate primo & per se non potest non esse lumen gloria: ac proinde modus iste defendendi oppositam sententiam, sua contradictione corruit.

55. *Nec dici potest:* Quod essentia est speculum voluntarum creature, ac proinde ex solo decreto Dei repræsentat has potius, quam illas; sicuti quia est causa voluntaria, & libeta creature, ex solo decreto libero has producit creature, & non illas. *Non, inquam, id dici potest:* *Tum* quia ut diximus, si essentia Divina immediate & per se esset repræsentatio creature, id non posset convenire ei, nisi ratione sua infinita perfectionis; quæ autem convenienter essentia Divina, ratione sua infinita perfectionis sunt Deo necessaria, & non voluntaria: ac proinde, si essentia repræsentat creature, non potest esse speculum voluntarium ad repræsentandum has, & non illas. *Tum* quia essentia Divina non est speculum voluntarium respectu Divini intellectus, ad repræsentandum has creature, & non illas: ergo nec hoc modo est speculum voluntarium respectu intellectus creati.

56. *Confirm.* Quia lumen beatorum, est invariabile, & tamen de novo cognoscunt preces viatorum, quæ illis fiunt: ergo beati non cognoscunt illas per lumen, quod à principio habuere: nam ante non cognoscebant per illud prædictas preces, & illud, ut pote invariabile, sine aliqua sui mutatione non potest attingere quæ ante non attingebat. Solutionem autem de modificatione jam exclusimus.

57. Ad auctoritates PP. responderi potest: quod quando asserunt beatos videre creature in Verbo, seu essentia Divina, non asserunt videri in illo formaliter, sed solum causaliter: quatenus hoc ipso, quod sunt beati, videndo Deum debetur ipsis cognitio creature, quæ pertinent ad statum perfectæ beatitudinis: ad modum quo in sententia plurium, in beatis licet impeccabilitas non conveniat ipsis formaliter, ex vi visionis Dei, quia pertinet ad statum completae beatitudo.

tudinis ; dicitur causaliter provenire ab ea ; quia est debita illi ad constituendum perfectum statum beatitudinis.

58 *Ad II. Resp.* quod Deus cognoscit creaturas immediate in se ipsis, (ut dicemus agentes de scientia Dei) & cognoscit illas in se ipso secundum respectus , quos ipse dicit ad creaturas : quia se , & actus suos cognoscit comprehensive , ue ibi dicemus : quod non contingit in videntibus Deum , propter jam dicta.

59 De decretis liberis Dei certum est , quod beati omnia non vident : *Tum* quia non vident Decretum de die qua futurum est judicium universale hominum Angeli in cœlo : *M*atthæi cap. 24. *De illo autem die , & hora nemo scit , neque Angeli cœlorum.* Idem Marci cap. 13. & Angeli sunt beati : *Tum* quia Principatus , & Potestates plura cognovere de decretis Divinis per prædicationem Evangelii , quæ antea non noverant , esto essent beati , ut constat , ex Apost. ad Ephesios cap. 3. *Ut innoteſcat Principatibus , & Potestatibus , in Cœlō fibus per Ecclesiā multiformis sapientia Dei.* *Tum* quia beati omnium consensu , solum cognoscunt , quæ pertinent ad certum statum ; at non omnia decreta libera pertinent ad eorum statum : ergo non omnia norunt.

60 Si autem queratur : An ipsa decreta libera videant in essentia Divina ? *Dicendum conformiter ad dicta de creaturis :* quod non vident decreta libera in essentia Divina : quia cum non videant omnia , ut omnes docent ; sed aliqui quædam , & alii diversa ; & hæc diversitas non possit provenire ab essentia Divina , ut illa repræsentante , nec à lumine gloria , ut illa penetrante (sicuti diximus de creaturis liberis) sequitur quod nullo modo beati videant decreta libera in essentia Divina.

61 *Sed dices :* Si beati non cognoscunt decreta libera Dei in essentia Divina ; sequitur quod ea cognoscant Deo revelante & manifestante : ergo in beatis manet fides , qua credunt Deo revelanti prædicta decreta. *Resp. I.* quod in sententia docente , quod non potest stare fides cum evidētia iu attestante ; cum videntes Deum habeant evidentiam illius , ut attestantis & revelantis , cognitio qua noscunt Divina decretum Deo revelante , non est cognitio fidei vere , & propriæ. *Resp. II.* Quod Deus beatis , hoc ipso quod beati sunt , manifestat.

sua decreta, in quantum pertinent ad eorum statum, per proprias species, quibus evidenter res cognoscuntur: sicuti Christus, omnium Theologorum consensu, per scientiam supernaturalem infusam cognovit, & cognoscit decreta liberae Dei, cogitationes cordis, & alia. Unde non sequitur, quod in beatis maneat fides: quia decreta liberae Dei, creaturas sive possibles, sive futuras, sive existentes non noscunt Deo loquente, & revelante proprie; sed solum manifestante per proprias species, per quas haec cognoscunt certò & evidenter.

62 Nec obstat, quod Aug. & alii PP. asserunt in Deo vi-suros, quæ in via per fidem noscimus, & nos plura de Divinis decretis, dum sumus viatores, credimus: uti decretum de stabilitate Ecclesie, usque ad mundi finem, de futuro judicio universali, & alia. Nec quod asserunt, quod viso Deo non remanebit desiderium alia cognoscendi; quia omnia ad ipsos pertinentia cognoscuntur in Deo. Non, inquam, haec obstant, quia PP. possunt explicari in sensu causalí, non formalí: haec enim qualio summe scholastica est, ut probè norunt quotquot Theologorum nomine censemur, atque adeo non est facile asserere loquutos in sensu formalí, de quo non fuit causa PP.

ART. VIII. An Deus æqualiter videatur à Beatis?

63 **D**icendum contra Jovinianum, & alios hæreticos: visionem Dei, non esse æqualem, & uniformem in omnibus beatis; sed potius inæqualem. *Tum* quia ita definitum est in Concilio Florent. Decreto de Purgatorio. *Tum* ex Apost. ad Corinth. 1. cap. 15. *Sicuti stella differt ab stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum:* ergo sicut stellæ non sunt æquales claritate & luce: sic Beatì non sunt æquales in lumine gloriæ, & consequenter in visione Dei: cum resurrectio nihil superaddat gloriæ animæ. *Tum* quia visio Dei est præmium & merces bonorum operum, in quantum habent rationem meriti; ut docet S. Script. plurib[us] in locis. *Apost.*

Apost. 1. ad Corinth. 3. *Qui quisque propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem: sed non omnes sancti sunt aequales in merito bonorum operum: ergo non omnes sunt aequales in visione Dei. Tum quia si visio Dei futura esset aequalis in omnibus, frustra esset in via profectus virtutum, ac profectus in sanctitate; cum per illos accipendum non esset maius premium quod est visio Dei: at hoc est falsissimum, & contra Sanctas Script. ergo. Tum quia nostra sententia est firmata omnium PP. auctoritate.*

64 *Nec valet dicere: Quod Christus in Parabola Vineæ Mathæi cap. 20. omnibus operariis jussit reddi aequalē mercedem, esto labore non fuerint aequales: in mercede autem significatur aeterna beatitudo, quæ stat in visione Dei. Non inquam, id refert: quia, ut jampridem Chrysostomus docuit in Parabolis non est querenda in omnibus, & per omnia similitudo; sed sufficit quod scopo sit conveniens. Cum autem Christus ante parabolam dixerit: Erunt novissimi primi, & primi novissimi; ut hoc explicaret, usus est praedicta parabola: in qua novissimi fuere primi in percipienda mercede & primi novissimi. Alia vero quanquam pertineant ad doctrinam, non pertinent ad scopum parabolæ: & quanquam nomine mercedis intelligatur visio Dei; solum intelligitur quantum ad speciem: quia visio Dei, & beatitudo est una specie in omnibus, & quia vita aeterna est aequalis in omnibus, ut potest in omnibus per totam aeternitatem duratura: ac proinde aequalis quantum ad durationem in omnibus: & hoc modo docet Augustinus serm. 59. mercedem omnium beatorum esse unam, & eandem, quanquam gradu differant.*

65 *Sed an homines & Angeli possint esse aequales in Dei visione? Dicendum: non solum homines posse esse aequales Angelis; immo posse esse superiores. Tum quia Christus, quæ homo, est illis superior in gloria essentiali, quæ stat primo & principaliter in visione Dei; & idem asseritur de Beata Virgine Maria à PP. & Theologis cum Ecclesia concinat Exaltatam esse in Regno celorum supra omnes Choros Angelorum: ac consequenter Dei visione superexedit illos. Tum quia potest esse major gratia in homine, quam in Angelo, & consequenter maius lumen gloriz: ergo potest*

cessit homo excedere Angelum in visione Dei.

66 Sed dices : Saltem cum æquali lumine homo non potest æquare Angelum in Dei visione ; quia ad illam concurrent lumen gloriae , & intellectus creatus ; sed intellectus Angeli est perfectior intellectu hominis : ergo stante in utroque æqualitate luminis, perfectior erit visio Angeli : nam qua pars intellectus Angeli excedit intellectum hominis , Angeli visio excedit visionem hominis.

67 Hoc argumentum de quo plures plura, nullius est momenti in sententia docente lumen gloriae esse totali , & ad æquatam virtutem videndi Deum. Auctores contrarii varia respondunt : *Nos autem dicimus* : quod intellectus creatus, non concurrit ad visionem Dei , aut alium actum supernaturalem secundum conceptum specificum , quo specie differt ab alio intellectu creato ; sed solum secundum conceptum genericum intellectus creati ; atque adeò stante unitate genericā in intellectu hominis & Angeli , excessus , vel æqualitas visionis Dei stabit in excessu , vel æqualitate luminis : sicuti quia Homo , & Aquila ad visionem corporalem solum concurrunt sub conceptu generico animalis ; & non sub conceptu specifico animalis ; potest Aquila æquare, aut superare hominem in visione corporali.

ART. IX. An aliquis hominum in vita mortali viderit Deum clare , & intuitive?

68 Certum omnino non repugnare hominem in vita mortali videre Deum clare , & intuitive : quippe nulla est repugnantia , quod animæ conjuncta corpori considerat Deus lumen gloriae , quo Deum videret. Certum etiam de lege ordinaria in vita mortali neminem posse videre Deum juxta illud Exodi cap. 33. *Non videbit me homo , & vivet.* Et Joannis cap. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Et I. ad Timoth. cap. 6. *Quem nemo hominum vidit , sed nec videre potest.*

69. *Attamen ab hac regula excipiendus est Christus Dominus, qua homo: quia Theologorum consensu vidit Deum clare, & intuitive à primo creationis instanti: Tum & Joannis cap. I. Deum nemo vidit unquam: unigenitus, filius, qui est in sanguine Patris, ipse enarravit. Ex cap. 3. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: Et postea: filius hominis, qui est in Cælo. Cap. 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Et cap. 8. Ego quod vidi apud Patrem loquor. De quo latè Theologi Tractatu de Incarnatione, & scientia animæ Christi.*

70. *Supereft disquirere. An Beata Virgo Maria, Moyses, Apostolus Paulus, & S. Benedictus sint ab hac excipiendi regula? De Beata Virgine Maria probabilius est nec permanenter, nec transeunter Deum clare vidisse in vita mortali, ut locus esset peregrinationi, & merito. Nec aliud est fundatum, quam excellentia dignitatis matris, & pietas fidelium; in quo, saltem de visione Dei per modum transeuntis, effractat quisque, ut placuerit.*

71. *De Moyse verò, Paulo Apostolo, & Sancto Benedicto Dicendum, non esse excipiendos à generali regula; quia nullum est fundamentum ad exceptionem. De Moyse quidem: nam Exodi cap. 33. petisse dicitur à Deo, ut ostenderet illi faciem, & gloriam suam, quod illi denegavit Deus, his verbis: Non poteris videre faciem meam. Nec refert quod num. cap. 12. dicitur: Ore enim ad os loquar ei (nempe Deus) & palam, & non per ænigmata, & figuratas dominum videt. Nec quod dicitur Exodi 33. Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum suum.*

72. *Etenim ex hoc loco elicetur solutio ad primum. Nam si post hæc denegat ei, & gloriam suam videre, nec hoc loco, nec primo, ubi dicitur Moysem Deum videre, intelligitur de visione clara & intuitiva Dei, qualem habent beati; sed de visione magis perceptibili & clariori, in qua non per figuratas, sed per voces Deus loquebatur illi. Et cum secundo loco invenerit Deum frequentissime loqui Moyse, & auctores adversi illi negent frequentem visionem Dei: sit inde quod his locis.*

non

non infertur Moyseni Deum vidiisse clare, & intuitive, sicuti
vident beati, & pro hac sententia sunt plurimi PP, & potio-
res Interpretes; quanquam pro adversa stent SS. Augustinus,
Thomas, & alii PP.

73 De Apost. Paulo: quia ipse 2. ad Chorint. cap. 5. ait:
*Scientes, quoniam dum sumus incorpore, peregrinamur à Domi-
no. Nec est momenti quod adducitur ex eadem Epist. cap. 12.
ubi Apostolus loquens, de visionibus, & revelationibus sibi
factis ait. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim
(sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit)
raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum, quod videtur Cœ-
lum Beatorum: Et scio... quoniam raptus est in Paradisum: Et
audivit arcana verba, que non licet homini loqui. Nam sive
in mens excessu, sive corporaliter raptus sit ad cœlum, non
est raptus ad cœlum ut videret Deum; sed ut videret Chris-
tum quia honorem: sicuti S. Stephanus vidit, à quo didicit &
audivit Mysteria gratia & Evangelii: & hæc de causa ipse
Apost ad Galat. cap. 1. loquens de Evangelio ait. Neque
enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revela-
tionem Iesu Christi. Unde ex predictis verbis non infertur
Deum prout in se est vidiisse.*

74 B. Benedicto potiori jure neganda exceptio est, ne-
gata Moysi & Paulo: Verba enim Gregorii Magni 2. Dialo-
gorum cap. 5. quibus id videtur innuere. Explicit D. Thom.
22. quæst. 180. art. 5. ad 3. de excellentissima revelatione facta
S. Benedicto, non de visione Dei.

ART. X. *An Deus videri possit visioni com- prehensiva, seu An Deus à creatura sit comprehensibilis?*

75 **C**omprehensio varias habet significationes: & va-
let accipi pro assecutione, seu consecutione
alicujus rei, ut illis verbis Apost. 1. ad Corinth. cap. 9. Sie
surrite, ut comprehendatis: id est ut adipiscamini, & conse-
quamini vitam æternam: & hac ratione beati dicuntur Com-
pre-

prehensores & pro qualibet cognitione, ut ad Eph. cap. 3.
illis verbis: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis,*
qua sit latitudo &c. id est, cognoscere: ac tandem pro cog-
nitione penetrante, & attingente quidquid est in objecto; ita
ut per illam cognoscatur quidquid est in illo, nihilque illius
subterfugiat illius cognitionem, sumpta metaphora à rebus
corporeis, in quibus h̄a alias comprehendunt: quia illas om-
nino includunt, & nihil earum est extra includentem; uti cœ-
lestis sphæra ambitum aeris & terrestria, uti docuit D. Au-
gustinus epist. 147. novæ edit. cap. 9.

76 *Dicendum:* Deum nullatenus à creatura posse compre-
hendi, adhuc visione beata: quia absolute Deus est incom-
prehensibilis à creatura. I. Quia Jeremiæ 32. dicitur *Deus*
magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu; & 1. ad Ti-
mooth. cap. 6. *Lucem habitat inaccesibilem.* II. Ex Latera-
nensi cap. Damnamus de Trinit. & fide Catholica. III. Ex
communi consensu PP. qui contra Hæreticos Anonicos
scripsere; eo quod asserebant Deum à creatura comprehen-
sumiri. IV. Quia in Concilio Basiliensi damnata hac ratio-
ne est propositio Aug. de Roma Episcopi Nazareni, qnæ asse-
rebat animam Christi comprehendisse Divinam essentiam.
Atque adeò nostra assertio est de fide immediate, ut docent
communiter Theologi; stantque pro ea omnes PP. præsertim
Trenæus, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Epiph-
anius, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Augustinus, quos
alii sequuntur.

77 *Sed contra stat Arg.* Quia beatus ita videt Deum, ut
nihil Dei lateat ipsum; sed hoc est comprehendere: ergo bea-
ti Deum comprehendunt. *Maj. prob.* Nam beati vident Deum
sicuti est, ut docet Joano. 1, sed Deus est omnia sua prædicata:
ergo videt ipsum secundum omnia sua prædicata: ergo
nullum prædicatum Dei latet beatum.

78 Huic arg. varias solutiones reposuere Theologi.
I. *Resp. aliqui:* quod videns Deum videt in ipso prædicata
necessaria; sed non videt decreta libera Dei & ejus actus in-
ternos: quapropter, quia hæc beatum latent, ideo Deum
non comprehendit. *Sed contra stat I.* Nam ex hoc sequitur
quod beatus comprehendit Deum quantum ad prædicata ne-
ces-

cessaria; & cum haec sint de pertinentibus ad eum naturam ex natura sua non erit incomprehensibilis à creatura, quod est falsum. Nam quæ pertinent ad naturam Divinam sunt priora decretis liberis II. quia Angeli superiores, inferiores comprehendunt secundum communiorum Theolog. sent. & non agnoscunt actus internos inferiorum: ergo hoc non obstat beatis ut Deum comprehendant.

79 n. II. Respondent alii: Quod videns Deum videt quidem omnia, quæ sunt formaliter in ipso; sed non videt quæ sunt in ipso virtualiter, & eminenter: quia non videt omnes terminos omnipotentiae. Sed contra stat: quia Angelus superior comprehendit voluntatem Angeli inferioris, & similiter voluntatem hominis: & non cognoscit quidquid in his voluntatibus virtualiter & eminenter continetur; quippe non cognoscit omnes actus possibles; per quos se se possunt exercere: ergo quod beatus non cognoscat quæ continentur in Deo virtualiter, & eminenter, non obstat comprehensioni beatorum.

80 III. Resp. alii: Quod licet beati videant omnia prædicta Dei & nihil illorum eos lateat; non vident cognitione perfectissima, quæ ad comprehensionem requiritur: & ideo Deum non comprehendunt. Sed contra stat: quia si ad comprehensionem requiretur perfectissima cognitione objecti, sequeretur. I. Quod solus Deus posset comprehendere minimum creaturam; quia sola Divinitas cognitione est omnium perfectissima. II. Quod Angelus superior A. non posset comprehendere Angelum inferiorem B. quia ejus cognitione non esset perfectissima respectu Angeli superioris ad A. cum cognitione A. non posset esse aequalis cognitioni Angeli superioris sibi & eadem ratione Christus, qua homo, nullam comprehendisset creaturam: cum non repugnet dari perfectiorem cognitionem Christi, qua hominis, quod abnuunt Theologi: ergo ad comprehensionem non requiritur perfectissima cognitione.

81 IV. Resp. alii, estque communior solutio, quod licet beati videant omnia quæ sunt in Deo & illi necessaria, ita ut nihil illorum ipsos lateat; non vident ea eo modo quo visibilia sunt: nam cum invisibilitas passiva sequatur, & commensuratur entitati, & haec infinita sit in omnibus prædicatis Dei;

Dei ; nunquam cognitio creata finita , & limitata in se , & in principiis à quibus elicitur , potest adæquate Divinorum prædicatorum cognoscibilitatem , ac proinde ea comprehendere .

82 *Sed contra stat :* Quod ad comprehensionem non requiritur quod cognitio entitative , seu in esse entis adæquetur objecto ; sed sufficit quod in esse intentionalí illi adæquetur , & commensuretur ; ita ut totum quod est in objecto attingatur per actum , & nihil sit in illo , quod per actum non attingatur : ergo si nihil est in Deo , quod per visionem non attingatur , etio visio finita sit , erit Dei comprehensio . *Ant. prob.*
I. Nam ut fert probabilis sententia , Angelus inferior comprehendit superiorem , & cognitio illius in esse entis , non adæquat cognoscibilitatem superioris . II. Nam Communiori Theolog. Sent. Anima Christi Domini cognoscit comprehensionè Angelos : & tamen ejus cognitio non est entitative æqualis Angelis , sed solum intentionaliter illis adæquatur : ergo ad comprehensionem non requiritur quod cognitio adæquetur objecto in esse entis , sed solum quod illi adæquetur in esse intentionalí , ita ut nihil sit in objecto , quod non attingatur per ipsum .

83 III. *Quia cognoscibilitas in objecto nihil aliud est ab ejus entitate , sicuti amabilitas nihil aliud est ab ejus bonitate :* ergo si visio Dei attingit totam Dei entitatem , adæquabit saltem extensivè totam Dei cognoscibilitatem : quod sufficit ad comprehensionem objecti , uti diximus præcedentes solutiones impugnando .

84 *Resp. missis his solutionibus :* Quod beatus videt in Deo quidditative omnia , quæ pertinent ad ejus quidditatem & essentiam : & horum nihil eum later ; attamen in omnibus quæ videt , non videt determinate extensionem infinitatis eorum ; & sicut non potest dari cognitio creata , quæ attingat determinate omnia possibilia : quia omnia non possunt determinate existere ; nam semper sunt alia , & alia possibilia : ita cognitio attingens omnia prædicata Dei solum potest attingere eorum infinitatem in genere ; sed ejus extensionem determinatam attingere non potest , quæ semper est major & maior : unde cognitio creata , nec intentionaliter eam adæquare

poteſt; & cum hæc lateat beatos, inde eſt quod Deum non comprehendunt: meoque judicio, ideo aſſeruere PP. & Theologū infinitum à finito capi non poſſe, & conſequenter comprehendи. De cognitione omnium poſſibilium determinate agemus Tract. de Omnipotentiā.

85 *Quaritur tandem:* An Deus ſit nominabilis à viatoribus? Pro quo notandum, quod voceſ, & nomina ſunt signa rerum, prout ſunt inconceptu: conceptus autem & poteſt commenſurari rei adæquate; vel ſolum inadæquate. *Ex quo dicendum:* quod in viatoribus non poteſt eſſe nomen quo ſignificetur Deus, prout in ſe eſt adæquate: ratio eſt quia nullus viator cognoscit Deum prout eſt in ſe adæquate: ergo cum illis non detur conceptus Dei adæquate, non poteſt eſſe nomen quo ſignificetur Deus prout in ſe eſt adæquate.

89 *Cum hoc tamen ſtat,* quod in viatoribus eſt nomen, quo ſignificetur inadæquate, prout re vera eſt. Nam Deus re vera eſt cauſa prima, infinitus, omnipotens, & alia hujuſmodi: & hæc vera eſſe cognoscimus: ergo voceſ hæc ſignifican-tes ſunt vera nomina Dei, prout eſt in re, & prout eſt in ſe faltem inadæquate. In quo non oportet amplius immorari.

DISPUTATIO V.

De Scientia Dei.

ART. I.

1. **S**cientia in praesenti tract. (omissa acceptione logica, & physica) nihil eſt aliud, quam cognitio certa, clara, & evidens rerum: Eorum enim, quorum dubii ſumus, aut formidine tenemur, non dicimur habere scientiam, ſicuti nec eorum, quæ fide Divina credimus, eſto ſint certissima: eidemque ſubest Sapientia acceptioṇi.

2. Igitur Deum certo clare, & evidenter omnia cognoscere, eſequre ſumme Sapientem teſtatur, iſpum naturale lu-men. Unde ejus nomen ΘΕΟΣ apud Græcos à ΘΕΑΣ ΤΑΙ;

quod

quod est videre, cognoscere, & circunspicere deditur, ut
notant aliqui PP. & alii. Evinciturque I. ex fabrica Universi,
qua perpenso partium ordine & fine, doctissimum quemque
in admirationem rapit, & stupore replet: non potest ergo
ejus Auctor Deus non esse summè sapiens, summaque scien-
tia præditus: nam artefactum artificis artem & scientiam
demonstrat: quo argumento, & usi sunt aliquot PP.

3 II. Ex ipsis Gentilium actis: nam illis erat solemne ju-
re jurando Deos interponere; Dii autem sine rerum cogni-
tione certa, testes esse non poterant: quis enim, nisi demens,
lapidem interponeret testem: ergo de conceptu Divinitatis
est summa cognitio, & Sapientia. III. Ex invocatione numi-
num, ut in adversis essent auxilio: Dii autem qui non cog-
noscerent precantium vota, qua ratione invocandi forent?
ergo ipsa numinum invocatione testabantur, natura duce, in-
esse Divinitati summam rerum cognitionem.

4 IV. Ex ipsa oraculorum consultatione, & fide oraculis
habita: si enim numina cognitionis essent expertia, non pos-
sent gentes prudenter consulere; sicuti nec lapides, aut arbo-
res: ac nisi essent cognitione prædicta, quæ fides danda oracu-
lis? ergo gentes adhuc obtenebratae idololatriæ caligine, na-
turali lumine edoctrinæ, novere necessariò inesse Divinitati cog-
nitionem, & Sapientiam omnium rerum.

5 V. Quia sublata à Deo Sapientia, tollitur providentia
ab ipso, tollitur numinis timor: quippe numina, quæ noscere nequeant hominum noxas, neutiquam timenda; nec me-
llior concipitur Deus quam lapis, & cætera portenta Gentilium:
quo nihil stultius, impium magis nihil. VI. Denique
ex ipsa Dei notione: nam Deus est quid perfectissimum in
omni genere perfectionis, sine mixtione imperfectionis: at
sapientia, & cognitio est perfectio nulla imperfectione admixta:
quippe hoc præcellunt homines cæteris creaturis corpo-
ralibus: ergo adstruenda est necessariò in Deo omnium sapien-
tia rerum.

6 Consonant naturali lumen Scripturæ Sanctæ. Nam Job
cap. 9. dicitur de Deo. *Sapiens est corde, O fortis robore:*
Psalm. 146. *Sapientia ejus non est numerus.* Esther cap. 14. *Domine qui habes omnium scientiam.* Ad Rom. cap. 11. *O al-*

titudo divitiarum sapientiae, & Scientiae Dei! Et ad Colossenses cap. 2. *In quo sunt omnes Thesauri sapientiae Dei:* & alibi plures: & Psalm. 72. notatur blasphemia impiorum, qui dixerunt: *Quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso.* Consonantque Judæi, Mahometani, & gentium Philosophi.

7 Probat etiam D. Thomas Deum cognoscitivum esse; quia Deus est incorporeus, immaterialis, & spiritualis in supremo gradu: substantia autem incorporea, immaterialis & spiritualis necessario est intellectiva: ergo Deus necessario est intellectivus: cum omnes substantiaz spirituales creatæ sint intellectivæ. *Putant Recentes Thomistæ hoc fundamentum demonstrationem esse;* attamen maximè laborant in explicando, cum ratio incorporeitatis, & immaterialitatis solum dicat carentiam corporis, & materiæ, ac proinde sit quid negativum; quid sit ratio spiritualitatis, & qualiter inferat rationem cognoscitivi. Demonstratio enim procedit ex primis, veris, & per se notis: substantiam enim spiritualem esse intellectivam non est per se notum, cum de per se notis nemo prudens dubitet: de hac autem propositione disceptant Theologici: & plures censem: non repugnare substantiam spiritualem non intellectivam. Unde apparet tale fundamentum demonstrationem non esse: at hoc tanti non est, ut his immoremur.

ART. II. *An in Deo, juxta nostrum modum concipiendi, sit intellectus per modum potentiae, & actus pri- mi?*

8 Supponitur in Deo nullam esse realem distinctionem intellectio-
nem intellectus & intellectus, propter ejus summam & infinitam simplicitatem, ut jam diximus; & quod
essentia Divina non constituitur actuali intellectione. Nam si
ea esset formaliter essentia Divina nihil ea posset concepi
prius; ac proinde concipi non potest potentia, & actus pri-
mus

mus ad intellectuonem : cum essentia omni in re semper sit conceptione prior. *Unde quaestio versatur* : An secundum nostros conceptas inadæquatos concipere possimus in Deo intellectum per modum potentie & actus primi, sicuti concipi mus omnipotentiam per modum principii & actus primi, respectu operationis ad extra ? In quo plures negant, at affirmativam sententiam tenent plures.

9. *Dicendum* ; quod in Deo , prout à nobis concepto, ponendus est intellectus per modum potentie , & actus primi. *Prob. I.* Quia in Deo est intellectus juxta illud Psal. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu* : Sed hoc nomen significat apud homines potius potentiam & actum primum , quam actum secundum intellectuonis : ergo conformiter ad illum ponendus est in Deo intellectus per modum potentie & actus primi: quippe voces solum significant res, prout sunt in conceptu: & cum dicimus homines esse præditos intellectu , & eo præstare brutis , non accipitur intellectus pro actu secundo ; sed pro potentia , & actu primo intelligendi.

10. *II. Quia* intellectio concipitur à nobis ut operatio, qua Deus se vitaliter exercet ; sed operatio supponit principium , & potentiam : quippe est motus ab agente , prout tali: ergo intellectio Divina supponit principium & potentiam, quæ alia esse non potest ab intellectu per modum actus primi. *Nec refert* dicere : quod intellectio est constitutivum essentie Divinæ. Nam Auct. hujus sent. non negant intellectuonem esse operationem ; sed id concedentes , distinguunt in ea conceptus operationis , & actualitatis , aliosque hujusmodi , & sub illis efferunt constitui essentiam Divinam : ergo sub conceptu operationis necessario supponit potentiam , & actum primum. *III. Quia* Deus pro signo antecedenti ad futuritionem creaturarum , est cognoscitivus illarum , & pro illo signo non eas actu cognoscit: nam pro eo signo nondum sunt futurae , uti docent Theologi : ergo pro illo signo esse illarum cognoscitivum , solum dicit potentiam , & actum primum cognoscendi.

11. *Sed dices.* Ratio potentie , & actus primi intellectuonis dicit in Deo imperfectionem : ergo non est ponenda in Deo. *Ant. prob.* Nam ratio potentie dicit esse perfectibilem

per actum ; sed ratio perfectibilis dicit imperfectionem : ergo ratio potentia dicit imperfectionem. *Hoc argumentum multis laborat :* I. *Quia* debet solvi ab auctoribus illius : nam concessa intellectione per modum operationis , principium illius non dicit ejus perfectionem : unde nec per modum operationis potest poni intellectio in Deo. II. *Quia* essentia Divina, prout ab attributis distincta , non dicit perfectionem attributorum , & per ea perficitur. Ex quo sequitur , quod non sit ponendus in Deo conceptus essentiae , prout distincta ab attributis. III. *Quia* eadem ratione non posset poni in Patre potentia generativa , ut distincta ab actuali generatione.

12 *Resp. ergo neg. Ant. & ad I. prob. dicimus :* quod ratio potentia distinctae realiter ab actu dicit imperfectionem; secus verò realiter indistincta , & solum per rationem , & quoad explicitum distincta ; nam licet non explicet actum, hoc solum provenit ex modo concipiendi in nobis : quia Divinitatemmodo concipimus , & explicamus humano : unde ratio potentia non dicit actum exercite ; attamen dicit ordinem ad actum , & hoc sufficit , ut in propria linea actus primi non dicat imperfectionem positivam. *Ad II.* quod ratio potentia non dicit primo , & per se esse perfectibilem per actum ; sed esse principium actus : ratio autem principii nullam dicit imperfectionem , quin imo dicit perfectionem : cum ratio illius reperiatur in Deo. Unde ratio potentia in ratione talis , nullam dicit imperfectionem , & pro priori ad illum , cum sit constituta in ratione talis , praescindit à perfectibilitate per actum.

ART. III. An in Deo possit esse cognitio pure apprehensiva , seu aliis terminis simplex apprehensio?

13 **T**riplic est nostri intellectus actus , uti docent logici , nempe simplex apprehensio , qua nihil affirmatur , vel negatur de objecto : judicium affirmativum , vel

vel negativum de illo , seu aliis vocibus , compositio , & divisio , ac discursus , de quo mox dieemus . Non defuere , recentiores Theologi possibilem esse Deo simplicem apprehensionem , seu cognitionem pure apprehensivam affirmantes : ceterum communis sententia refragatur .

14 Dicendum : in Deo nullatenus posse esse simplicem apprehensionem , seu cognitionem pure apprehensivam . *Prob.* Quia repugnat Deo cognitio , quæ non sit penetrativa , & comprehensiva objecti ; sed talis esset simplex apprehensione ergo Deo repugnat . *Maj. est certa :* Quia repugnat Deo cognitione , quæ non sit perfectissima ; perfectissima autem est , quæ est totaliter penetrativa , & comprehensiva objecti . *Conseq. tenet , & Min. prob.* Quia cognitione apprehensiva nihil affirmat , vel negat de objecto , alias esset judicium : ergo non est totaliter penetrativa , & comprehensiva illius : cum non penetraret , ne attingat prædicata illius . Ex quo facile est levia sophismata præcludere .

15 Sed Queritur . An in Deo possit esse discursus ? Discursus est cognitione causata ex cognitione præmissarum , & unitate cum tertio (ut docent Logici) ac de novo cognoscitur conclusio , qua talis formaliter , quæ in nulla præmissarum seorsim explicite continetur : ut patet hoc exemplum : Christus est risibilis , quæ est conclusio harum præmissarum : homo est risibilis . Christus est homo : nulli harum præmissarum æquipollet , qua talis formaliter .

16 Dicendum : Quod in Deo non potest esse discursus , non solum formalis per diversos actus reales propter ejus summam simplicitatem ; sed nec dum virtualis , aut per rationem . Conveniunt Theologi . *Prob. I.* ex Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 14. ubi relegat à Deo omnem cognitionem successivam , & discursum . *II.* Quia ad rationem discursus requiritur , quod veritas conclusionis non cognoscatur in præmissis : nam si cognoscitur in eis , jam non erit discursus ; sed Deus non potest non cognoscere veritatem conclusionis in præmissis : ergo in Deo non potest esse ratio discursus . *Prob. Min.* Quia Deus cognoscit comprehensive quidquid continetur in præmissis ; alias eos non cognosceret comprehensive ; sed veritas conclusionis continetur in præmissis : ergo

go in illis cognoscit veritatem conclusionis : & consequenter non per illas , quod ad discursum requiritur.

17. *Ex quo infertur :* Quod nec data distinctione virtuali , aut formalī inter Divinas perfectiones : adhuc per rationem , aut virtualiter potest dari discursus in Deo : quia semper in cognitione præmissarum illarum comprehensiva debet cognosci conclusio : nec subjacet voluntati Dei ; quod actus attingens præmissas non attingat in illis conclusionem : quia non subjacet voluntati Dei , quod ille actus non sit illarum comprehensivus.

18. *Sed Dices :* Deus cognoscit Petrum consensum , si detur ei auxilium A. qua cognitione non cognoscit consensum Petri absolute futurum : Deinde cognoscit existere auxilium A. qua cognitione non potest cognoscere consensum absolute futurum : cum auxilium A. non haheat necessariam connexionem cum consensu : ergo solum habet cognitionem de consensu absolute futuro per duas præcedentes cognitiones ; sed cognitio , qua habetur per præcedentes cognitiones , est discursus : ergo in Deo est discursus.

19. *Resp. ad hanc objectionem , de qua plura recentiores :* quod in cognitione , qua Deus cognoscit consensum sub auxilio A. Petrum , non cognoscit consensum absolute futurum : cæterum in cognitione collationis auxilii A. cognoscit purificatam conditionem , & cognoscit consensum absolute futurum : quia purificata conditione , consensus conditionatus transit in absolutum ; & sic per se ipsum immediate cognoscitur : unde cognitio consensus absolute futuri non est discursus ; quia cognitio collationis auxilii supponit collationem illius , & pro eo signo est consensus absolute futurus , etiam cognitus in se ipso : unde cognitio collationis auxilii supponit cognitum : & ideo non potest habere rationem præmissæ ad cognitionem consensus , ut absolute futuri. Et quidquid dixerint argumenti Auctores de præmissionib[us] conditionatis Dei purificata conditione , potest illis responder de conditionatis purificata conditione.

20. *Ex dictis infertur :* quod in Deo non datur scientia strictè sumpta , ut distincta à lumine principiorum , quæ per se & immediate noscuntur: *Tum* quia scientia proprie accepta est

est cognitio discursiva ex principiis: nam in hoc distingui-
tur, à cognitione principiorum; ast in Deo non potest esse
cognitio discursiva: ergo. *Tum quia Deus omnia cognoscit*
in se, vel in se ipsis; cognitio autem hoc modo non habet
rationem discursus, & scientia stricta.

21. *Sequitur deinde*, posse esse in Deo scientiam de obje-
cto determinato in genere, & non determinato in specie, aut
in individuo, ut de hac veritate: *Ad consensum salutarem re-*
quiritur auxilium gratiae: quæ veritas est necessaria, & cog-
noscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, quin ex
vi illius cognoscat determinatè auxilium: quia potest hoc con-
ferre, vel illud, & nullum in particulari determinate est ne-
cessarium: cum possit stare consensus salutaris cum hoc, vel
illo, vel illo; sicut cum dicitur, quod equus est necessarius
ad equitandum, & non est necessarius hic, vel ille.

22. *Similiter* esse in Deo scientiam de propositione dis-
junctiva necessaria, ut de hac: *Ad actum supernaturalem re-*
quiritur habitus supernaturalis, vel auxilium: Nam objectum
hujus propositionis est necessarium, & cognoscibile per scien-
tiam simplicis intelligentiæ. Attamen de propositione disjunc-
tiva de præsenti, præterito, aut futuro, ut de his: Petrus
est, vel non est: fuit, vel non fuit: erit, vel non erit: dicen-
dum non posse esse scientiam in Deo: quia in his proposicio-
nibus, pro quolibet instanti, una est determinata vera, & al-
tera falsa. Unde in hac propositione: Petrus est, vel non est,
si affirmativa est vera, negativa est falsa: ergo dicta proposi-
tio non potest terminare cognitionem Dei, cum respectu cog-
nitionis ipsius: id quod est pro instanti quod est, non habet
indifferentiam ad non esse sed necessariò est: nunquam potest
esse in Deo actus intellectus qui habeat hanc tendentiam. Pet-
rus est, vel non est: erit, vel non erit.

23. Proprietates autem Divinæ cognitionis, seu scientiæ
Divinæ sunt certitudo, quæ consistit in necessariâ conformita-
te cum objecto alias ejus cognitio, & scientia non esset infi-
nite perfecta: cum desiceret ei talis conformitas. Ex quo se-
quitur I. quod sit omnino infallibilis; quia cognitio, quæ
habet necessariam confirmatatem cum objecto, est omnino in-
fallibilis. *Sequitur II.* quod non possit subesse falsitati; aut

errori: quia cognitio, quæ necessario est conformis objecto, non potest esse falsa, aut erronea: cum error, aut falsitas consistat in disconformitate cum objecto.

24. *Sequitur III.* quod in cognitione Divina non posse esse dubium. Quia ubi est omnimoda certitudo dubium esse non potest: & in Scientia Divina est omnimoda certitudo; unde dubium in illa esse non potest.

25. *Sequitur IV.* quod cognitio Divina sit omnino clara, & comprehensiva; quia est infinitè perfecta; & talis non esset, si non esset clarissima, & comprehensiva, ac penetrativa objecti secundum omnes respectus, quos dicere potest.

26. *Sequitur V.* quod Scientia Dei est invariabilis: quia terminatur ad objectum prout est, & pro induratione, quæ est: rem autem in instanti quo est, necesse est esse: unde scientia, & cognitio Dei est invariabilis. Qualiter autem sit terminativè defectibilis, dicemus postea.

ART. IV. De objectis Divinæ Scientiæ & modo ea cognoscendi.

27. **T**UTA certis ad ea, quæ controversiæ subjacent, progrediamur: *Dicendum*, quod Deus omnia cognoscibilia cognoscit perfectissimo modo. I. *Quia* ea cognoscere tali modo est perfectio simpliciter simplex, quæ necessariò est in Deo: ergo cognoscit omnia cognoscibilia modo perfectissimo. II. *Quia* intellectus Divinus est infinitus; sed quod est infinitum ad omnia se extendit, quæ pertinent ad eam lineam: ergo intellectus Divinus se extendit cognoscendo ad omne cognoscibile: sicut immensitas ad omnem locum, & omnipotentia ad omne possibile non habens oppositionem eum Divina perfectione. III. *Quia*, si Deus aliquid non cognosceret, respectu illius esset ignorans, quo nihil magis absurdum, etiam Gentilium sensu.

28. Sed etiam saepè sapius Sacrae attestantur literæ, uti constat ex locis adductis Num. 6. quibus consonat Apost. ad Habreos cap. 4. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis*

lis ejus: sequunturque SS. PP. Attamen claritatis gratia univer salem propositionem sigillatim expendere libet.

29 Ex illa sequitur I. quod Deus se suas perfectiones, & personalitates perfectissimè cognoscit, quod & docuit Apost. ad Corinth. 1. cap. 2. his verbis: *Quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*: Et nemo sane mentis unquam ausus est proferte quod Deus, qui alia omnia cognoscit, se ipsum ignoret.

30 Sequitur II. (quoniam possibilia, & impossibilia sunt ordine priora) quod Deus perfectissimo modo ea cognoscit eisdem rationibus, quibus accedit: quia si non cognosceret possibilia & impossibilia, nihil posset prudenter promittere: sed hoc dici nequit: ergo cognoscit possibilia, & impossibilia. *Maj. prob.* quia nemo prudenter potest promittere aliquid, nisi cognoscat esse possibile, & non subesse in linea impossibilium: ergo ut Deus prudenter promittat, necesse est quod cognoscat possibilia & impossibilia: quo alludit Angelus ad Mariam Virginem illis verbis: *Quia non erit impossibile apud Deum omnis verbum*: *Lucæ cap. 1.* & *Apost. ad Rom. cap. 4.* *Quaecunque promisit, potens est & facere.*

31 Sequitur III. quod cognoscit omnes, & singulas creaturas existentes eisdem rationibus; & quia Apost. ad Hebreos cap. 4. docet: quod *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus*: quippe, cum sit omnium creator & Dominus, non potest non cognoscere, quæ creavit, & quibus dominatur: *Notum est Domino opus suum* *A&T. cap. 15.*

32 Sequitur IV. quod eodem modo cognoscit actus internos mentis & cordis, seu cordis cogitationes: *Tum* quia hæc sunt de numero creaturarum existentium: *Tum* quia id plures habetur sacræ literis: *Psalm. 43. Ipse enim novit abscondita cordis* *Lucæ cap. 16. Deus autem novit corda vestra* *A&T. cap. 1. Tu Domine, qui corda nosti omnium.* Et solum ipsius noscere docet Salomon lib. 3. Regum cap. 8.

33 Sequitur V. quod similiter cognoscit præterita, privationes, & negationes eo modo, quo cognoscibilia sunt, & entia rationis: quia id totum pertinet ad infinitam perfectionem Divinæ cognitionis. De cognitione futurorum agemus postea, quia exposcit peculiare studium.

34 His positis restat disquirere modum, quo Deus hæc omnia cognoscit. Pro quo notandum quod tripliciter potest res cognosci. I. immediate in se ipsa, uti cognoscuntur prima principia & uti videntur oculis res corporales. II. in alio: uti videtur in specie, aut imagine, ad modum quo homo videt res in speculo. III. per aliud, uti conclusionem per præmissas, & res revelatas propter revelationem, vel propter auctoritatem dicentis: ex quibus ultimus jam exclusus est à Deo, quia importat discursum.

35 *Deinde*, quod Deus se ipsum in se ipso immediate cognoscit: *Tum* quia Deus per se ipsum est infinite cognoscibilis: cum sit per se ens: ergo cognoscit se immediate in se ipso: *Tum* quia Deus se cognoscit perfectiori modo, propter suam perfectionem infinitam; sed perfectior modus res cognoscendi, & eas immediate & in se ipsis cognoscere: ergo se immediate in se ipso cognoscit.

36 Ex quo sequitur: quod Deus essentiam, attributa, & relativa non cognoscit prout à nobis distinguuntur, sed prout identificantur, & relativa realiter distinguuntur inter se: quia Deus se cognoscit immediate prout est in se; sed prout est in se, est essentia, attributa, & relativa per identitatem, & relativa diversa inter se: ergo ea omnia cognoscit prout sunt unum per identitatem. Si autem quæras: quod sit objectum formale hujus cognitionis, qua Deus suam essentiam, attributa, & relativa cognoscit; respondebimus postea, quia id pendet ex dicendis: sicuti & quæstio de sui cognitione in creaturis.

ART. V. *An Deus cognoscat creaturem in se ipso?*

37 **A** Liter loquendum est de creaturis possibilibus; ac de existentib; & futuris: quippe creature existentes, & futuræ pendent à voluntate Dei, & connectuntur cum Deo, quamquam Deus non coniectatur eumillis; creature autem possibles non pendent, qua tales, à voluntate Dei, sed per suam essentiam, & naturam sunt possibles: &

cum tanta sit diversitas opinandi circa connexionem omnipotentiae cum possibilibus, censemus quod ex capite connexionis praesens questio conformiter ad connexionem, vel in connexionem resolvenda sit.

38 Itaque, qui docent omnipotentiam nullatenus connecti cum possibilibus, tenentur afferere Deum non posse ea cognoscere in omnipotencia: cum haec nullam connexionem dicat cum illis; & è contra, qui docent omnipotentiam connecti cum omnibus, & singulis possibilibus, tenentur afferere quod, cognita comprehensivè omnipotencia, in illa cognoscit Deus omnia, & singula possibilia, ratione connexionis quam dicit ad illa. Qui autem docent omnipotentiam solum connecti cum possibilibus vagè, & cum nullo illorum determinatè connecti, tenentur afferere Deum in illa cognoscere possibilitatem vagè acceptam: ceterum in illa nullum possibile in particulari cognoscere, quippe cum nullo in particulari dicit connexionem.

39 Ceterum plures, praescindentes à connexione omnipotentiae cum possibilibus, aliunde docent Deum cognoscere creaturas possibles in se ipso: quia tenent quod essentia Divina ex se, & propter ejus perfectionem est representativa illorum, eo quod respectu eorum gerit munus speciei impressæ, consequenterque Deum eas cognoscere in sua essentia: sicuti docent beatos in ea videre creaturas; attamen, cum (sicut affirmatur essentiam Divinam esse representativam creaturarum, & gerere munus speciei illarum, respectu intellectus Divini propter suam infinitatem) possit hoc facile negari, quia id unicè afferitur, ut sit subterfugium ad negandum Deum cognoscere creaturas in se ipsis. Hic modus sua relinquunt probabilitati.

40 Alii prætermissa etiam connexione omnipotentiae cum possibilibus, docent Deum creaturas videre in essentia sua secundum quod continentur in essendo in ea ratione sua causalitatis & primæ cause: & hic modus dicendi est communior inter Thomistas: Vel secundum quod creaturæ continentur in essentia Divina in esse cognoscibilium, tanquam in objecto primario: sive defensione nobiles Scotistiæ.

41 Attamen Thomistarum modus displicet: quia creaturas contineri in essentia Divina, tanquam in causa nihil aliud est, quam contineri intra spharam suæ activitatis & omnipotentiaz, qua eas potest producere, non aliter ac effectus continetur in causa: ergo modus Thomistarum coincidit cum modo afferentium cognosci à Deo creaturas per comprehensio- nem suæ omnipotentiaz. Quia creature possibles continentur in omnipotencia, eo quod ab intrinseco, & ex suis prædicatis sunt possibles: ideo enim homo irrationalis non continetur intra spharam omnipotentiaz; quia est quid repugnans & impossibile: ergo, ut Deus cognoscat quæ continentur in essentia, ut in causa; est necessarium quod cognoscat quæ sunt possibilia, & quæ impossibilia: sicuti in Sententia Thomistarum, ut Deus cognoscat, quæ continentur scientia vi- sionis, est necessarium quod cognoscat sua decreta.

42 Scotistarum modus solum est verborum: quia ab eis queritur: quid sit contineri creature in essentia Divina, in esse cognoscibilium? Nam vel est contineri in essentia Divina ut representativa illarum, & gerit munus speciei; vel contineri in illa, ut in causa productiva: & hæc renunt concedere prædicti Scotisti; vel quod contineat eminenter earum per- fectiones: ratio enim corporis, & talia Deo repugnantia non continentur formaliter, aut eminenter in Deo; sed solum vir- tualiter, in quantum habet virtutem ad ea producendum; alijs modus cognoscibilitatis in essentia Divina non appetet: ergo nihil dicunt, & verbis ludunt.

43 De creaturis existentibus & futuris alia est ratio: quia hæc pendent à voluntate libera Dei: unde ante exerci- tium liberum Dei nec possunt existere, nec esse futura: per consequensque juxta Thomistas, & Scotistas essentia Divina non potest illas representare pro priori: solumque cognoscit in suo decreto illas ut existentes, & futuras: attamen cum de- creta Divina distinguantur vel virtualiter, vel formaliter ab essentia Divina, solum verificatur quod Deus eas cognoscit in se; non vero quod cognoscit per essentiam Divinam: in quo potest quisque abundare juxta proprias hypotheses.

44 Nobis incedendum est plana magis, facilitiore via,
Dicendumque: Deum omnes creature immediatè in se ipsis

cog-

cognoscere. Hæc Sententia jam facta communis extra Scholam Thomistarum & aliqui Scotistæ, aliquot ex Jesuitis tenent, & ex nostris plures. *Prob. I.* quia quod est per se immediate, & in se ipso cognoscibile, per se, & immediate & in se ipso cognoscitur à Deo; sed creaturæ per se immediate in se ipsis, prout distinctæ à Deo, sunt cognoscibiles: ergo creaturæ per se immediate, & in se ipsis cognoscuntur à Deo. *Maj. est certa.* Nam Deus est infinite cognoscitus omnis cognoscibilis, eo modo quo cognoscibilis est, sicut repletivus, ratione sua immensitatis, omnis loci: & ratione sua omnipotentia omnis productibilis. *Conseq. tenet.* *Min. prob.* Creaturæ prout distinctæ à Deo, se ipsis formaliter, & immediate sunt entia distincta à Deo: ergo se ipsis formaliter & immediate habent distinctam cognoscibilitatem. *Ant. est certum.* *Conseq. probatur:* quia cognoscibilitas sequitur ad entitatem: quippe unumquodque in tantum est cognoscibile, in quantum est ens: atque adeo Thomistæ docent Deum non posse cognosci comprehensivè à creatura: quia sicut Deus est infinitus in ratione entis; ita est infinite cognoscibilis: ergo creaturæ habent per se formaliter, & immediate diversam entitatem à Deo per se formaliter, & immediate habent diversam cognoscibilitatem.

45. *Dices:* quod Deus est infinite cognoscitus creaturarum modo non dicente imperfectionem ex parte ipsis; ceterum non est illarum cognoscitus modo dicente in ipso imperfectionem: qua ratione non est cognoscitus illarum modo discursivo. Cum autem cognoscere creaturas immediate in se ipsis dicat imperfectionem in Deo: quia ejus intellectus specificaretur, & moveretur à creaturis; hinc stat, quod Deus illas non potest cognoscere immediate in se ipsis.

46. *Sed Contra stat.* Quia objectum non dat speciem actui intrinsecè & formaliter; sed solum pure terminative extrinsecè, & in ordine ad cognoscit; sed nulla est imperfectione in Deo, quod ejus actus pure extrinsecè terminetur ad creaturam: ergo potest ejus actus pure extrinsecè terminari ad creaturam. *Maj. prob.* & postea probanda *Min.* Quia si objectum daret speciem, intrinsecè & formaliter actui, esset de illius constitutivis. Nam, quæ dant speciem rei, sunt consti-

tutiva illius, ex quibus essentialiter componitur; sed objectum non est constitutivum actus: ut patet: quippe Angelus B. cognitus immediate ab Angelo A. non est constitutivum intrinsecum cognitionis Angeli A. cum sit quid realiter distinctum ab ea; immo ab ea realiter separatum: ergo objectum non dat actui speciem intrinsecè, & formaliter: habet enim se objectum respectu potentiae, sicut scopus respectu sagittæ, quam scopus nullo modo constituit in esse.

47 *Min. autem prob.* Quia id quod pure extrinsecè se habet ad aliud, nullam ponit perfectionem, vel imperfectionem in illo; alias non se haberet pure extrinsecè; sed haberet se intrinsecè: ergo quod creatura pure extrinsecè se habeat per modum objecti pure terminativè ad Divinam cognitionem, non potest importare in illa aliquam perfectionem, vel imperfectionem.

48 *Conf. I.* Nam per hoc quod Deus in se ipso sit objectum actus odii creaturæ, nullam importat perfectionem odiorum: quia Deus pure extrinsecè terminativè se habet ad illud: ergo quod creatura sit per se extrinsecè terminativè pure objectum Divinæ cognitionis, nullam potest importare Deo perfectionem, aut imperfectionem.

49 *Conf. II.* Quia non minus specificatur cognitio ab objecto, quam actio productiva à termino producto; sed actio Divina, qua talis, specificatur à termino producto, qui est creatura, sine aliqua imperfectione: quippe creatura solum se habet pure extrinsecè terminativè: ergo cognitio Divina potest pure extrinsecè terminativè speciem sumere à creatura sine aliqua imperfectione.

50 Si autem fiat recursus ad hoc, quod Divina essentia sit unicum objectum formale Divini intellectus, commititur inevitabilis circulus. Nam qui afferunt solum essentiam Divinam esse objectum formale Divinæ scientiæ, ea de causa id firmant, quia sola essentia terminat per se immediate Divinam cognitionem; cum vero afferunt creaturas non posse per se immediate terminare Divinam cognitionem, id probant: quia unicæ essentia Divina, & non creaturæ est unicum objectum formale Divinæ cognitionis: quibus clare circulus commititur.

Prob.

51 *Prob. II. nostra Sententia*, & simul impugnatur præmissa solutio, quæ aliis & aliis terminis adhibetur ab Aucto-ribus oppositis: quia Deus omnia cognoscit perfectissima cognitione; sed cognitio rei in se ipsa immediate est perfectissima cognitio: ergo Deus omnia cognoscit immediate in se ipsis. *Maj. cum conseq. tenet*, & *Min. prob.* Quia cognitio rei immediatè in se ipsa est perfectior cognitione, qua cognoscitur medio alio, seu in alio, & mediatè: alias non est alia perfectior cognitione immediata: cum inter attingere obiectum immediatè, aut mediatè non detur medium: ergo cognitio rei in se ipsa immediatè est perfectissima cognitio. Mittimus alia plura, quæ videri possunt apud AA. nostræ Sententiae.

52 Argumenta plurima congerunt Contrarii; sed plura, nil præter voces. *Arg. I.* ex D. Agust. lib. 83. quæst. 46. ubi ait loquens de Deo: *Non enim quidquam extra se possum intuebatur*, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam id opinari sacrilegum est. Sicque loquuntur aliquot PP. præcipueque Dionysius: ergo Deus in se, & non extra se cognoscit creaturem: ergo non cognoscit illas in se ipsis, quia id esset eas cognoscere extra se.

53 *Resp.* Quod D. Aug. eo loco agit de ideis rerum factarum: solumque docet, quod nihil extra se intuebatur Deus, tanquam exemplar, aut formam ad eas faciendas; quod verissimum; sed hoc quid ad rem? De auctoritate Dionysii mihi cura non est: cum mihi, cum aliis emunctioris trasi Criticis, ejus nomine vulgata opera, Areopagitæ non sint. Alii autem PP. solum loquuntur, aut in sensu Augustini; aut solum intendunt docere Deum non cognoscere per species à rebus acceptas, aut positas extra se. Unde non sat miramur *Recentiorem Theologum* scribere ausum, suam sententiam nobis oppositam haberi ex traditione Ecclesiastica; verum his qui nunquam prætergressi scholæ cancellos, Polemicaque nec à longe salutarunt, maximè condolendum.

54 *Arg. II.* Objectum, quod se ipso immediatè cognoscitur, est causa cognitionis: quia ab objecto & potentia partitur notitia: sed nulla creatura potest esse causa Divinæ cognitionis: ergo nulla cognoscitur à Deo in se ipsa immediatè.

Conf. Quia cognitio attingens creaturas immediatè, movetur ab ipsis : sed cognitio Divina non potest moveri à creaturis: ergo non potest attingere illas immediatè.

55 *Resp.* Quod ad actus intentionales est necessaria potentia, & terminus, seu objectum: cæterum non est discurrendum de illis eodem omnino modo, ac de effectu & causa physica: sicut enim terminus ad motum non se habet ad illum, tanquam causa materialis, aut formalis, aut efficiens, sed solum tanquam terminus illius; ita cum actus intentionales sint quasi quædam tendentia ab objectum, seu proprius attingentiaz objecti; non est censendum objecta se habere ad actus quasi causæ materiales, formales, aut effectivæ; sed solum purè ut termini actuum; quia (ut dictum est) nec componunt intrinsecè actus, nec sunt causa effectiva illorum. Ex quo dicimus: quod objectum est necessarium ad actum, cæterum non est causa cognitionis: sicuti ad actum voluntatis est necessarius actus intellectus proponens objectum; & actus intellectus non est causa ad huc partialis actus voluntatis. Unde, *negata Majori*, corruit argumentum, quam nec probat illud proloquium, quod solum est verum modo jam dicto.

56 *Ad Conf. Resp. negando Majorem.* Nam objectum debitè applicatum non movet potentiam, sed potius slante debita applicatione illius, potentia movetur per actum ad illud: ad modum quo combustibile debitè applicatum non movet ignem ad combustionem; sed potius ignis se movet ad combustionem: quapropter objectum non movet potentiam, sed est conditio ex parte potentiaz, ut illud possit attingere.

57 *Arg. III.* Quia cognitio specificatur ab objecto, quod immediate attingit; sed cognitio Divina non potest specificari ab aliquo creato: ergo nihil creatum potest immediate attingi à cognitione Divina. *Min. probatur.* Quia specificare est dare speciem, perfectionem; sed nulla creatura potest dare Divinæ cognitioni speciem, perfectionem, & distinctionem: ergo nulla creatura potest specificare cognitionem Divinam.

58 *Conf. I.* Quia quod distat infinitè ab alio, non potest ei dare speciem; sed creatura distat infinitè à Divina cognitione.

tione: ergo ei non potest dare speciem. *Conf. II.* Quia specificatio ab objecto in actu cognitionis est ut à mensura, & fine actus; sed nihil creatum potest esse mensura, & finis Divina cognitionis: ergo nihil creatum potest eam specificare.

59 *Resp. ad Arg.* Quod cognitio specificatur ab objecto extrinsecè, & terminative; non vero intrinsecè, & subjectivè: alias cognitio hominis, & Angelorum ejusdem objecti A. esset ejusdem speciei, quod est falsum; imo cum Thomistæ docent Angelos inter se specie differre, in eis cognitiones ejusdem objecti erunt ejusdem specie: quod non admitunt. Quia actus potentiarum specie diversarum necessario debent esse specie diversi: unde objectum non potest dare speciem actui intrinsecè; sed solum pure extrinsecè terminative. *Et ratio est:* quia actus est tendentia potentia ad objectum, in qua prior est conceptus egressionis à potentia, quam attingentia objecti: & in priori egressionis jam est constitutus intrinsecè in individuo: unde solum attingit extrinsecè objectum: quia hoc à cognitione solum accipit denominationem cogniti pure extrinsecam. Cumque cognitio sit actus immanens in intellectu, & objectam sit extra à parte rei: *Verbi gratia*, unus Angelus ab alio: non potest objectum dare speciem intrinsecam & formalem actui: sed solum pure extrinsecè terminative. Ex quo facile est respondere in forma.

60 *Ad I. Confirm. Resp.* quod, licet finitum non posset dare infinito speciem & perfectionem intrinsecè; potest id pure extrinsecè, & terminative, seu potest esse terminus puræ tendentia, & actus infiniti: sicut, & si Deus sit infinite bonus, potest esse terminus & objectum malitia peccati; ut patet in odio libero Dei.

61 *Ad II. Conf. Resp.* quod objectum nec est mensura actus; alias actus circa idem objectum non possunt esse inæquales; cum ad idem objectum possint terminari: ut patet in actibus charitatis, qui non sunt necessario inæquales; esto habent idem objectum: nec objectum est finis actus intellectuialis, qui solum est penetratio objecti, quod fit formaliter per ipsum actum. Unde negata Majori corruit.

62 *Sed Dices.* Cognitio A. & cognitio B. distinguuntur

intrinsecè specie, vel numero; sed hoc non potest contingere, nisi ab objecto: ergo actus cognitionis intrinsecè distinguuntur ab illo. *Prob. Min.* Quia actus non possunt intrinsecè distinguui specie à potentia, nam sæpe eadem est: alias numero distinguui non possunt, nisi per objecta: ergo non potest stare intrinseca distinctio specifica, vel numerica actuum, nisi per objecta.

63 *Resp.* Quod distinctio specifica actuum sumitur intrinsecè ex modo tendendi, qui cognoscitur ex diversitate potentiarum, ut in cognitione Angelica & humana, ejusdem objecti, quæ specie differunt: distinctio autem numerica actuum intrinsecè non sumitur ad objecto: cum experientia constet, quod mens nostra circa idem objectum replicet actus; & actus hodiernus non sit actus idem cum actu præterito. Unde actus ejusdem speciei se ipsis intrinsecè distinguuntur numero: sicuti omnia individua ejusdem speciei: de quo Philosophi agentes de individuatione. Cæterum apud Nos ad cognoscendum majori claritate, actus per objecta distinguimus & per potentias: quia cum actus intrinsecè sit tendentia ad aliquid extrinsecum, nempe objectum, per hoc extrinsecum fit nobis clarius eorum diversitas: quamquam ad diversitatem specificam concurrat etiam conceptus egressionis à potentia: de quo Philosophi Tract. de Anima.

64 *Arg. IV.* Voluntas Divina non potest amare creaturas propter earum bonitatem immediate: ergo nec intellectus Divinus potest eas cognoscere propter earum bonitatem objectivam.

65 *Resp. I. neg. Ant.* de quo Tract. de Voluntate Dei. II. esse grande discrimen inter intellectum Divinum, & Divinam Voluntatem. Nam intellectus est potentia necessaria & amplior, quam voluntas: quæ respectu creaturarum est libera: unde peccatum est objectum Divini intellectus necessario; & non potest esse objectum Divina voluntatis: & similiter possibilia cognoscit Deus, & non amat communi sent. Thomist. Discriminis autem ratio potest stare in hoc, quod Deus se amat necessario, ut finem; unde alia non potest amare, nisi ratione sui; at verò Deus omnia cognoscit prout cognoscibilia sunt: cumque sint talia ratione suæ entitatis, & creature, prout

prout distinctæ à Deo, habeant propriam entitatem, ratione illius, sunt immediate cognoscibilia à Deo.

ART. VI. *An Deus se cognoscat in creaturis?*

66 **S**upposito quod Deus cognoscit creaturem in se ipsis, videtur sequi legitima consequentia, quod Deus se cognoscat in creaturis: quia Dei cognitio creaturarum in se ipsis est illarum comprehensiva; & consequenter attingit omnes respectus, & terminos illarum; sed omnis creatura dicit essentialiter respectum ad Deum: ergo cognitio comprehensiva creaturarum in se ipsis, attingit respectum ad Deum, & Deum ipsum tanquam terminum respectus.

67 *Conf. I.* In Sententia Thomist. eo cognoscit Deus possibilia in omnipotencia: quia hanc comprehendit, & connectitur cum possibilibus; sed omnis creatura connectitur essentialiter cum Deo: ergo non potest Deus comprehensivè cognoscere creaturam in se ipsa, quin se ipsum cognoscat in ea.

68 *Conf. II.* Quia cognitio sui in creatura nullam dicit imperfectionem in Deo; immo est consequentia perfectiones ejusmodi cognoscendi: nam hæc cognitio non obest, ut Deus se ipsum in se ipso cognoscat, ut patet; ergo supposito quod Deus cognoscit creaturem in se ipsis modo comprehensivo, non potest negari, quod se ipsum in illis cognoscat. Quam sententiam tenent jam communiter Recentiores, & aliqui Thoinistarum & favere videtur D. Thomas.

69 *Sed Dices I.* Repugnat, quod Deus se cognoscat, & non comprehensivè; sed cognitio, qua se in creaturis cognosceret, non esset sui comprehensiva: ergo repugnat in Deo cognitio, qua se cognoscat in creaturis. *Prob. Min.* Nam cognitio, qua se Deus in creaturis cognosceret, non attingeret omnia prædicata Dei: quia solum ea prædicata attingeret, secundum quæ creatura dependet à Deo: & consequenter solum attingeret Deum ut unum, & non ut trinum. Etenim à Deo ut trino, communiter docent Theologi creaturem non de-

dependere: ergo cognitio qua se Deus cognoscit in creatura, non esset comprehensiva sui ipsius.

70 *Resp. missis aliorum solutionibus:* Quod cognitio qua se Deus cognoscit in creaturis non esset comprehensiva sui ipsius: Quia & si repugnet in Deo cognitio immediata & directa objecti, quæ non sit comprehensiva illius; non est repugnans, quod cognitio mediata & indirecta comprehensiva non sit termini, seu objecti mediate attacti; quia hoc non provenit ex defectu potentiae, sed ex defectu objecti immediate attacti, quod non potest representare Deum, ut connexum secundum omnia sua prædicata: cujus defectus non stat in actu cognitionis Divinæ; sed in objecto immediate cognito. Nec petit comprehensio immediata objecti, quod sit comprehensio omnium terminorum ad quos dicit respectum; alias nulla creatura posset aliam comprehendere: quippe omnis dicit respectum ad Deum, qui incomprehensibilis à creatura. Ex quo facile est respondere in forma.

71 *Sed instabis:* Illa cognitio Dei mediata, si sui ipsius comprehensiva non est, esset cognitio diminuta, & inadæquata; sed hæc repugnat Deo: ergo repugnat talis cognitio, quæ Dei comprehensiva non est. *Conf.* quia repugnat Deo cognitio sui, qua sit ignorans; sed per cognitionem non comprehensivam esset ignorans, eo quod ea non omnino se cognosceret: ergo repugnat Deo cognitio non comprehensiva sui.

72 *Resp.* Quod cognitio Dei in creaturis esset diminuta, & inadæquata Dei, prout est in se; sed non esset diminuta, & inadæquata, prout repræsentati per creaturas: quia in quantum ipsum repræsentant, totus attingitur tali cognitione. Unde talem cognitionem esse diminutam primo modo, non est esse imperfectam positivè; sed tantum pure negativa: sicuti quod in Deo cognitio unius creaturæ non extendatur ad omnium creaturarum cognitionem, non est imperfectio positiva, sed negativa: quia una creatura non potest omnes repræsentare: simili ergo modo, quod Deus non se comprehendat ex cognitione creaturarum, non est cognitionem esse diminutam, & inadæquatam subjectivè, sed objectivè: & hoc non dicit imperfectionem positivam, sed pure negativam.

73. *Ad Conf. Resp.* Quod, & si Deus tali cognitione non se comprehenderet, per illam non esset ignorans; quia ad hoc esset necessarium quod talis cognitio esset privativa cognitionis, qua se comprehensivè cognoscit: quod nullatenus contingit. Unde solum sequitur, quod ex vi illius non se omnino cognoscat; quod non est imperfectio positiva: sicuti non est, quod vi scientiæ simplicis intelligentiæ futura libera non cognoscat; etenim potius ex perfectione Scientiæ Divinæ in attingendo creaturas in se ipsis immediate provenit, quod in illis se cognoscat, & ex imperfectione creaturarum provenit etiam quod in illis non se cognoscat comprehensivè.

74. *Sed insistes.* Repugnat Deo cognitio, quæ non sit perfectissima; sed sui cognitio non comprehensiva in creaturis, non est perfectissima: siquidem cognitio immediata & comprehensiva est perfectior: ergo repugnat Deo talis cognitio.

75. *Resp:* probare argumentum Deum non cognoscere creaturas in se ipso, quia perfectior est cognitio immediata, quam mediata. *Ulterius probat:* non esse in Deo actum misericordiæ, & justitiae: quippe repugnat Deo actus virtutis, qui non sit perfectissimus; & amor sui est actus perfectissimus, in linea actuum voluntatis. *Dicimus ergo:* quod Deo repugnat actus, qui subjectivè non sit perfectissimus; sed non repugnat actus qui terminativè perfectissimus non sit: repugnatque Deo actus, qui in propria linea perfectissimus non sit; sed non repugnat actus, qui in omni linea perfectissimus non sit: & talis est actus, quo se Deus mediate cognoscit ex cognitione immediata creaturarum qui in propria linea cognitionis mediata perfectissimus est.

76. *Dices II.* Repugnat Deo cognitio abstractiva sui, seu quæ non sit intuitiva; sed cognitio sui in creaturis non esset intuitiva, sed abstractiva: ergo repugnat cognitio sui in creaturis: nam illa cognitione non se, prout est in se, intueretur. *Conf.* Repugnat Deo cognitio sui indirecta; sed cognitio sui in creaturis esset indirecta: ergo repugnat illi cognitio sui in creaturis.

77. *Resp:* idem argumentum militare contra Thomistas afferentes Deum cognoscere possibilia in se ut in causa. Nam

Si talis cognitio est intuitiva illarum ; quia est intuitiva mediis in quo cognoscuntur ; idem nos dicimus de cognitione sui in creaturis : nam medium , in quo se Deus cognoscit , intuitivè cognoscit. Si verò dicant notitiam esse abstractivam , quia ea non cognoscit in se ipsis : idem nos dicimus de cognitione Dei in creaturis. Et quia variæ sunt opiniones de præsentia objecti ad notitiam intuitivam , censemus talem notitiam , potius dicendam abstractivam , quæ (ut diximus) nullam dicit repugnantiam , uti ex solutione Confirmationis constabit.

78 *Ad Conf. Resp.* Quod licet repugnet Deo cognitio indirecta privativa directæ , non repugnat ipsi cognitioni indirecta & mediata , non excludens cognitionem immediatam & directam sui ipsis : ad modum quo , et si anima Christi cognoscat Deum immediate in se ipso per visionem beatam ; id non obest ut ipsum cognoscat per scientiam supernaturalem infusam , & mediata per scientiam naturalem : quia hi modi cognoscendi nec opponuntur privativè , aut alio modo : parique forma in Deo non se excludunt sui cognitionis immediata , & mediata , directa , & indirecta .

79 Quidam ut nostram sententiam oppugnant obtrudere conantur infinitas reflexiones supra Dei cognitionem in creaturis , quibus nos aditum obstruimus , dicentes quod quilibet Divina cognitionis est reflexiva sui , sicut quilibet actus Divinæ voluntatis non solum est volitio objecti , sed volitio sui .

80 *Ex dictis sequitur* : Quod etiam Deus cognoscit præterita ut talia in se ipsis : nam licet præterita , ut talia physicè non sint ; tamen habent suam veritatem objectivam , & logicè sunt , ut patet in hac propositione : *Christus passus , & mortuus* : unde ea , prout sunt , & in se ipsis cognoscit .

81 *Similiter est dicendum* de privationibus , negationibus & impossibilibus : quia omnia hæc habent esse logicum seu veritatem objectivam : unde possunt in se ipsis immediatè cognosci ; entia autem rationis , cum objectivè nihil sint adhuc logicè , cognoscit Deus in actu intellectus illa formantis , & concipiencis .

ART. VII. De Objecto formalis Scientiae Di-

vinæ.

82

Quid de objecto formalis Scientiæ Divinæ, in quo tot sunt sententiarum, tot capita? Non enim conveniunt auctores in describendo objecto formalis & objecto materiali, objecto motivo, & objecto terminativo, licet plerumque convenienter in hoc, quod objectum formale motivum id dicitur, quod immediate & per se attingitur à Divina cognitione, & per se illam terminat, & objective movet; objectum autem materiale, & purè terminativum, quod attingitur à Divina cognitione, non immediate & per se, sed ratione objecti formalis motivi.

83 Nos igitur consequenter ad dicta censemus: quod objectum formale Scientiæ Dei nec est sola essentia Divina, prout distineta ab attributis, nec essentia Divina includens attributa; sed ratio entis, prout communis enti increato, & creato. Nam objectum formale motivum Divinæ cognitionis est quod immediate & per se terminat Divinam cognitionem; sed ens in creatum, & creatum terminat per se & immediate Divinam cognitionem, ut probatum est: ergo ratio communis entis est illius objectum formale: nam ratio entis est ratio cognoscibilis, quæ communis est enti creato, & increato. Quo firmatur quod Divinæ Scientiæ Deus non est objectum formale adæquatum; sed solum inadæquatum; licet sit principalissimum tanta differentia, quanta Deus à creaturis diffat.

84 Discusso objecto Divinæ scientiæ, relinquum est ut de ejus differentiis disquiramus. Quia cum Scientia Divina unicus & simplicissimus actus sit, solum penes objecta distinguitur à Theologis: atque adeò Scientia Dei, quæ terminatur ad necessaria & possibilia, dicitur Scientia simplicis intelligentiæ: quæ in se est purè speculativa, licet Deo deserviat ad ejus opera: & ad hanc scientiam pertinent cognitio ipsius Dei possibilium & impossibilium, & essentiarum rerum creatarum, ut Exempli gratia: homo est animal rationale, & re-

Q

rum

rum naturalium, dum Deus non suspendat concursum causis naturalibus earum, vel causalitatem impedit, quippe hæc omnia sunt necessaria.

85 Prout terminatur ad res existentes, quarum existentia, necessaria non est absolutè & simpliciter, dicitur scientia visionis: quia hæc dicitur cognitio rei præsentis, & quia Futura jam sunt in suis causis, vel in se determinata, & absolutè futura, cognitio eorum ab Antiquis Theologis consignata est scientiæ visionis. Verum cum Deus cognoscat Futura conditionata libera, quæ nunquam erunt: Thomistæ, quia docent ea cognoscere in decreto, subjectivè, absolutè & objectivè conditionato, ad scientiam visionis, ratione decreti præsentis: talem Futurorum cognitionem reducunt; Jesuitæ vero, quia illorum cognitionem, uti de veritate contingentia, & consequenter non necessaria, docent non posse pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ: & quia illorum veritas non innititur Divino decreto absoluto, docent etiam non posse pertinere ad scientiam visionis, proindeque illorum cognitionem vocandam scientiam medium. At hæc quæstio pro re presenti est de voce.

86 Deinde dividitur Scientia Dei in scientiam approbationis, & reprobationis: approbationis dicitur cognitio rei cum complacentia in illa; reprobationis autem cognitio illius cum displicantia ejus. Quæ distinctio accuratè notanda, pro intelligentiis aliquot Sacrorum Bibliorum locis, quibus videtur innui Deum aliqua nescire, ut illa Evangelii Phrasis: *Nescio vos.*

ART. VIII. *An Scientia Dei sit causa rerum?*

87 Certe omnino est scientiam creaturarum esse omnino Deo necessariam ad creaturem producendas: quia non potest eas producere, nisi sciens, & volens: quippe hic est modus perfectissimus operandi; & consequenter necessarius Deo prima omniuni causæ: quapropter dicitur: Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti:* & Proverb. cap.

3. Do-

3. Dominus sapientia fundavit terram : & Psalm. 135. Qui facit cœlos in intellectu , & ad Ephes. cap. 1. Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.

88 Conveniunt ergo ex his Theologi , quod scientia simplicis intelligentiæ est in Deo causa remota rerum , seu potiori expressione , necessaria Deo ad decernendum , & producendum creaturas . Quia ad hæc necessarium est , quod cognoscat rerum possibilitatem & ordinabilitatem : nam impossibilia , nec potest decernere , nec facere , nec ad aliquid ordinare . Unde de hac scientia non est quæstio ; sed solum de scientia visionis , prout distincta à Divina voluntate , & omnipotentiā : non enim in præsenti disputandum an Divina omnipotentiā sit per nostros conceptus distincta ab aliquo actu Divini intellectus , vel ab actu Divinæ voluntatis vel ab utroque : de hoc enim alio loco .

89 Thomistæ communiter docent scientiam visionis Dei esse immediatam rerum causam , quorum aliqui tenent , quod ad complementum in ratione cause requiritur Divina voluntas , seu Divinum decretum ; alii docent , quod talis scientia immediatus est rerum causa , quam Divina voluntas : atque adeò Deum non cognoscere futura , aut præsentia ; quia futura aut præsentia sunt ; sed ideò futura , aut præsentia sunt , quia ea cognoscit .

90 Nostri communius , Jesuitæ , & alii plures oppositum tenent , asserentes scientiam visionis nullatenus posse esse causam rerum ; & ideo res creatas cognoscere , quia sunt ; quidquid sit de medio in quo cognoscuntur , vel esse de futuro , vel esse de præsenti , de quo supra .

91 Dicendum : in Deo scientiam visionis non esse causam immediatam rerum ; atque adeò Deum futura , vel præsentia cognoscere , quia sunt talia . Prob. I. nostra sententia ex PP. qui id simpliciter efferunt , si attente legantur . Auctor q. q. apud Justinum q. 5 8. Origenes lib. 7. ad Rom. cap. 8. Hieronymus . Isaïæ 16. & Jeremijæ 26. Cyrillus lib. 9. in Joannem Aug. lib. 5. de Civit. cap. 10. de Genesi ad lit. cap. 32. Boetius , Damascenus & alii , qui eo docent præscientiam Dei futurorum libertati non obesse , quia Deus præscientia non facit futura ; sed quia futura sunt præcognoscit : ergo scientia

visionis non est causa rerum, nec futuritionis illarum.

92. *Prob. II.* Nam Deus cognoscens scientia simplicis intelligentiae rerum possibilitatem, & ordinabilitatem, potest decernere earum existentiam: ergo sola illa per suam voluntatem est causa rerum. *Conseq. tenet:* Quia, si sola scientia simplicis intelligentiae potest Deus decernere rerum existentiam, quo decreto sunt res futurae, juxta Thomistas; ad earum futuritionem non requiritur scientia visionis: nec supposito decreto ad earum existentiam requiritur aliud, quam applicatio omnipotentiae: *Ant. autem est per se certum:* quia nihil apparet quod sit necessarium ex parte Dei ad decernendum, sicuti & in nobis. Nam proposito voluntati bono, nihil ultra est necessarium, ut feratur in illud: quod & continet in ordinabilitate mediorum ad finem, respectu electionis mediorum: ergo Deus cognoscens rerum possibilitatem, & ordinabilitatem, potest earum existentiam decernere.

93. *Dices:* Quod Deus scientia simplicis intelligentiae potest decernere existentiam rerum; ceterum ad earum existentiam esse necessarium actum imperii, quo movetur potentia executiva, dans illis existentiam: quia actus imperii est actus intellectus juxta illud. *Ipse dixit, & facta sunt:* & scientia visionis, supponens res in decreto: ac proinde est causa rerum immediatus, quam ipsum Decretum.

94. *Sed Contra est, I.* Quia ex hac solutione sequitur, quod licet Deus per scientiam visionis sit causa rerum existentium, eo quod existunt mediante imperio; non est causa futurorum per scientiam visionis: quia supponit decretum, per quod res sunt futurae, juxta Thomistas: quod non admittent.

95. *II. Quia* in modo operandi humano non est necessarium, quod interveniat actus intellectus, qui à Thomistis dicitur *imperium*, ut fuse probant plures Tractatu de Actibus humanis: ergo potiori jure non est Deo necessarius, cuius voluntas est operatio: sicuti, etsi in modo operandi humano post intentionem finis consilium sit necessarium ad electionem mediorum; in Deo tamen ad illam consilium verè, & proprie, prout est actus intellectus verè & proprie non est: quia ante cognoscit comprehensivè omnium mediorum

pro-

proportionem, aptitudinem, & efficaciam.

96 *III. Quia* actus intellectus vel est apprehensio, judicium, aut discursus; sed talis actus imperii nec in Deo est apprehensio, nec discursus: cum ab ipso sint procul, ut Adversarii fatentur: ergo restat quod sit judicium. *Tum sic:* sed judicium solum affirmat, vel negat de objecto, in quo nulla causalitatis ratio apparet, ut patet in cognitione possibilium & peccati: ergo talis actus imperii immediate causativus in Deo non datur.

97 *Nec valet si dicatur:* Quod tale imperium non est actus intellectus speculativi; ac proinde non est apprehensio, nec judicium, nec discursus; sed est actus intellectus practici, quo praescribit executionem. *Non, inquam, id valet.* Nam actus intellectus practici solum sunt judicium, aut discursus, de agendis; ii autem actus sine consensu voluntatis non sunt operativi, nisi moraliter: ergo si tale imperium non est judicium, nec discursus, nec potest in homine dari: ac potiori jure in Deo poni non potest.

98 *Prob. III.* Quia nihil potest esse causa ejus quod supponit, ut patet; nam causa est prior effectu; sed in Deo scientia visionis supponit suum objectum: ergo non potest esse causa illius. *Min. prob.* Quia motus, & tendentia ad terminum necessario illum supponit: sicut unio necessaria supponit extrema; sed visio Dei est intellectualis tendentia ad objectum, tanquam ad terminum: ergo necessariò illud supponit. Mittimus alia plura, ut de incompossibilitate praedicti imperii cum libertate actus: de quo in jam dicto Tractatu de Actibus humanis.

99 *Arg. I.* Ex auctoritate D. Aug. lib. 15. de Trinit. qui ait: *Universas creaturas spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit:* & lib. 11. de Civit. cap. 10. Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus, esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset. Eodem modo loquitur lib. 6. de Trinit. cap. 10. Psalm. 49. lib. 13. Conf. cap. 38. & aliis locis: quem imitati sunt Boetius lib. 5. de Consolatione Prosa 3. & Greg. Mag. lib. 20. in Job cap. 24. Ergo scientia Dei est rerum causa, cum ideo sint, quia cognoscuntur à Deo.

Resp.



100. *Resp.* Aliam omnino esse Augustini mentem ab *Adversariorum* scopo, ut ipsum perlegenti constabit: nam lib. 15. de Trinitate totus est indemonstrando, quod Deus scientiam rerum non habet ex ipsis rebus sicuti nos; sed ante easrum creationem eas cognoscere; modum autem non praescribit illis verbis, sed immediate subsequentibus, nam ait: *Non enim nescivit, qua fuerat creatus, quia ergo scivit, creavit, non quia creavit scivit; nec aliter scivit creata, quam creanda*: ubi clare docet loqui de scientia simplicis intelligentiaz regulante decretum rerum creandarum: & ideo docet quod creaturas, antequam sint, cognoscit; & quia cognoscit futuras, ideo sunt: non causalitate propria, & efficienziaz, ex parte scientiaz Divinæ; sed ordine consequentiaz: proptereaque addit: *Ad omnia quippe scienda quæ sit sufficit sibi illa perfectio*: cumque scientia visionis consequens ad decretum futuritionis creaturarum, sit ipsa rerum futuratio, antecedit illam: perindeque solum esse causam illarum causalitate consequentiaz, prioritatem in existendo.

101 *Ad locum de Civitat.* *Resp.* Ibi Aug. loqui de fato & praescientia Dei adversus Ciceronem, qui substulit praescientiam à Deo, ne tolleret libertatem à creaturis: docetque utrumque cohærere, nempe praescientiam, & liberum arbitrium. Nam, & ipsa nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur: quoniam, & humanæ voluntates humanorum operum causa sunt. Atque ita omnes qui rerum causas praescivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit: unde praedictis verbis solum docet: quod mundus non esset, nisi praecessisset Scientia de illo futuro; sed hæc præcedentia non est causalitatis. Simili modo loquitur aliis locis, & simili Greg. & si qui alii.

102 *Arg. II.* Scientia Dei est causa creaturarum; sed non simplicis intelligentiaz: ergo visionis. *Prob. Min.* Scientia simplicis intelligentiaz est indifferens ut res existant, vel non existant: ergo ea non potest esse rerum causa.

103 *Resp.* Quod Scientia Dei est rerum causa directivæ, non effective: ac quod licet Scientia simplicis intelligentiaz, sit

sit indifferens ut res existant, est tamen Deo necessaria, ut existant: ad modum quo in nobis, licet cognitio prælucens voluntati sit indifferens ad existentiam actus voluntatis, vel non existentiam illius liberam; est tamen necessaria ad existentiam illius. Unde scientia simplicis intelligentiæ, quatenus repræsentat rerum possibilitatem, convenientiam, ordinem & rerum respectus, est solum causa rerum: quia Deus ea regulatus, & res decernit, & producit. Ex quo facile est respondere in forma.

104 *Arg. III.* Quia Scientiæ Divinæ debet tribui perfectior modus causandi: sed perfectior modus causandi est cauſare immediatè, & non remotè: ergo talis modus causandi immediatè tribuendus est Scientiæ Divinæ; hoc autem non potest competere Scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ solum est remotè rerum cauſa: ergo id competit Scientiæ visionis.

105 *Respondeatur:* quod Scientiæ Divinæ debet tribui perfectissimus modus causandi, cuius est capax, non autem cuius capax non est; scientia autem Divina solum directivè est capax causandi creaturem; & hæc est scientia simplicis intelligentiæ; scientia verò visionis non est capax causandi objectum, quia illud supponit pro priori: unde non potest illud immediatè cauſare. Probaretque argumentum scientiam simplicis intelligentiæ hac ratione esse immediatam causam rerum, quia hæc est perfectior modus causandi. Unde sicut hoc non tribuetur Scientiæ simplicis intelligentiæ, quia non est capax illius: eadem ratione non tribuitur Scientiæ visionis.

106 *Arg. IV.* Quia scientia visionis est mensura rerum; sed mensura est cauſa mensurati: ergo scientia visionis est cauſa rerum. *Resp. concedendo* quod scientia simplicis intelligentiæ est mensura rerum agendarum à Deo; & ideo est etiam practica, qua parte dirigit Deum ad agenda: & id negando scientia visionis, quæ unicè commensuratur objectis.

107 Quæ à Thomistis objiciuntur de actu imperii intellectus necessario ad execucionem, nullius sunt momenti apud negantes talem actum in humanis operationibus.



**ART. IX. De Scientia Futurorum Contin-
gentium.**

108 **P**RESENS materia inter Thomistas, & Jesuitas jam diu controversa, Romæ agitata: partibus in dictum, ut quisque in proprio abundaret sensu, nec ullus temerario ausu, ullam ex his opinionibus inureret, aut notarer censura. Utriusque partis auctores latissimas disputationes, imò & volumina elaborarunt, totis intenti viribus suam firmare, & oppositam funditus diruere, usi ingeniosis, & exquisitis sillogizandi modis. Et quia hæc materia sua connexione transcendent tractatus de Voluntate Dei, Providentia Prædestinatione, libero Arbitrio, & Auxiliis gratiæ, prout se præbet, occasio, solent eadem repetere, & inculcare: Nos utilitati juniorum Theologorum consulentes, vastum Oceanum freto breviori tranare contendemus: habentes præ oculis rem utraque parte difficillimam, acie purgata, & Spiritus Sancti luce disquirendam, tricis & sophismatibus allegatis.

109 **F**uturum ergo (ut Grammaticis, & rusticissimis notum) prout à præsenti, & præterito distinctum est, quod non est de præsenti, erit tamen pro posteriori duratione: seu quod de præsenti non existit, existet tamen pro duratione subsequente, uti mors & dies judicii respectu nostri.

110 **D**uplex est futurum, aliud necessarium, & aliud contingens: necessarium est, quod nunc non est, erit tamen postea necessario, ex immutabili causarum ordine, ni impediantur à Deo, ut Eclypsis futura Lunæ, aut Solis & alia hujusmodi. Futurum contingens, quod nunc non est, erit tamen postea; cum tamen potuerit non esse; uti ea omnia, quæ pendent à causa libera, quæ prædicta ratione possunt esse, & non esse. Inter hæc quædam sunt Futura, quæ dependent unicè à libertate Divina, uti Anima rationalis Anti-Christi, & alia, quæ pendent etiam à libertate creata, uti actus nostri liberi, qui hanc sortiuntur conditionem, quia sunt à libcro arbitrio.

111 **R**ursus Futura, alia sunt absoluta, & alia conditio-
nata: absoluta sunt, quæ de præsenti non sunt, existent ta-

mea absolute pro duratione sequenti independenter ab alio. Conditionata tamen, quæ de præsenti non sunt, forent tamen, posita aliqua conditione: in quibus purificata conditione, Futura conditionata transeunt in absoluta: ad modum, quo promissio & contractus & possunt esse absoluti, & possunt esse conditionati; ea autem in quibus nunquam purificabitur conditio, manent semper inter cancellos Futuri conditionati, uti conversio Tyriorum, & Sydoniorum, si Christus apud eos edidisset miracula, quæ apud Judæos edidit. Hæc apud omnes certa debent reputari, & eis suppositis.

ART. X. *Perquid constituatur formaliter Futurum contingens?*

112 **H**inc incipit exoriri discordia inter Thomistas, & Jesuitas. Thomistæ docent formam constitutivam Futuri contingentis absoluti, & conditionati esse Divinum decretum absolutum, vel conditionatum, quo Deus determinat rem existere præcisè pro futura duratione.

113 Recentes aliquot Jesuitæ docent constitutivum Futuri absoluti esse scientiam visionis; conditionati autem scientiam medium; Nostri autem communius, Jesuitæ, & alii tenent formaliter constitui Futurum per non existentiam de præsenti, & existentiam pro duratione sequenti.

114 *Dicendum I.* Futurum non constitui per Divinum decretum, quale à Thomistis ponitur. *Prob. I.* Quia tale decretum tollit libertatem à Futuris liberis creaturæ: ergo non potest constituere illorum futuritionem. *Ant. probandum suo loco. II.* Quia peccata futura non possunt constitui talia per decretum Divinum: cum de illis, ut futuris, non possit dari decretum in Deo: quia Deus amaret, & vellet peccatum (ut ostendemus etiam proprio loco) & ideo pro re præsenti sufficit insinuare. *III.* Quia præteritum formaliter non consistit in decreto suspensivo concursus existentiarum antecedentis præsentem durationem; sed in hoc quod est, anteā fuisse, & nunc non esse: ergo pariter futurum non consistit formaliter in decreto de ejus existentia, pro duratione sequenti. *IV.* Quia de-

cretum licet sit necessarium ad existentiam futuri; seu ad futuritionem rerum; est tamen quid extrinsecum futuro, ut mox ostendemus: ergo non potest pertinere ad constitutio-
nem formalem Futuri: ad modum quo, licet actio Dei sit ne-
cessaria ad existentiam animæ rationalis, non est constituti-
vum illius.

115. *Ex his sequitur*: Futurum, sive necessarium, sive contingens, non constitui formaliter per determinationem causarum, ut loquuntur Thomistæ. Quia causa creata, eorum sententia, nullatenus potest esse determinata ad effectum, ni-
si decreto prædeterminativo: & inter causas illius, cum pri-
mum locum teneat Deus, in præordinatione, & determina-
tione causarum; non potest non intelligi Divinum decretum,
quo Deus se determinat, ut effectus sit futurus: unde si Futu-
rum non constituitur formaliter Divino decreto; nec aliarum
causarum determinatione.

116. *Sequitur etiam contra aliquos Scotistas*: quod Futu-
rum non constituitur decreto infallibili, per media solum ha-
bentia moralem connexionem cum effectu: quia si non con-
stituitur decreto metaphysicè conexo cum Futuro; potiori ju-
re non constituitur decreto solum moraliter conexo cum
effectu.

117. *Sed Dices I.* Effectus formalis realis præsens non po-
test provenire, nisi à forma realiter præsenti; sed esse futurum
est effectus formalis realiter præsens: ergo non potest prove-
nire, nisi à forma realiter existente de præsenti: *Tum sic*: sed
in futuro nihil est realiter præsens, quia quod est futurum,
nec fuit, nec est de præsenti, nisi solum decretum: ergo so-
lum illud est forma constitutiva Futuri. *Conf. I.* quia Anti-
christo convenit futuritio realis, & vera de præsenti: ergo cum
in Futuro non sit aliquid reale de præsenti, solo Divino de-
creto potest constitui. *Conf. II.* quia in Futuro datur veritas
objectiva de præsenti: sed hæc non potest esse nisi à decreto:
ergo illius veritas objectiva est à decreto, & consequenter est
constitutivum Futuri.

118. *Resp. ad hoc Arg.* quod sub aliis, & aliis inducitur
formis, re autem non discrepat; *notando* quod esse reale du-
pliciter accipi potest, & logicè, & physicè: esse reale logicè
di-

dicitur, quod licet physicè & à parte rei non sit, in esse obiecti habet suam veritatem; & est verum quod enunciatur de illo, ut in his propositionibus: *datur repugnantia alterius Dei: possibilis est alter Mundus: ens rationis est ens fictum:* quæ propositiones realiter & à parte rei sunt veræ; licet repugnantia, & alter Deus, non habeat esse physicum à parte rei; sicuti nec possibilitas, nec ens rationis: esse autem physicè, est à parte rei existere in esse reali & extra causas, ut distinctum à nihilo: quo notato facilis prælucet solutio. *Resp.* ergo: quod effectus realis non potest provenire, nisi à forma reali præsenti logice vel physicè; & quod esse futurum, est quid reale præsens logice præcise; unde forma illud constitutens, non est necessarium quod physicè existat à parte rei: hoc enim esset contradictorium esse logicè, quod solum potest habere. Hoc autem totum datur de præsenti in Futuro: quia de præsenti non existit physicè, & datur de præsenti quod existet physicè, & extra causas: sicuti de præsenti datur possibilitas, & repugnantia alterius Dei. Ex quo facile est respondere in forma argumento & Confirmationibus.

119 *Sed instabis: esse futurum significatur per verbum est de præsenti; sed in Futuro nihil est de præsenti, nisi decreta: ergo decretum ingreditur constitutionem Futuri.* *Resp.* Quod esse futurum significatur per verbum *est* de præsenti, juxta conditionem subiecti, aut prædicati: ut in hac propositione: *peccatum Adami est præteritum:* in qua verbum *est* de præsenti solum significat esse logicum, quod de præsenti habet præteritum, & cuius solum est capax: ita in Futuro verbum *est* de præsenti solum potest significare esse logicum, quod habet, non autem esse physicum, cuius in sensu composto futuri est incapax.

120 *Dices II. nihil autem potest esse futurum, nisi per decretum Dei: ergo illud ingreditur constitutionem Futuri.* *Resp.* 1. *Ant. non esse universaliter verum.* Nam peccata, qua talia formaliter, non sunt futura per Dei decretum. *II. concessio antecedenti pro nunc, eo modo, quo volunt Thomistæ, seu in sensu causalí, & effectivo;* *O negando Conseq. in sensu formalí.* Nam aliud est quod aliquid sit necessarium ad existentiam alicujus rei; & aliud quod sit constitutivum formale

illius: actio enim Dei est necessaria, ad existentiam Angeli, & animæ rationalis: & non est constitutivum formale nec animæ rationalis, nec Angeli. Sic in presenti stat optime, quod nihil possit esse futurum, nisi per Dei decretum, & quod decretum non sit formale constitutivum Futuri: quod amplius constabit ex dicendis.

121. *Ex quo advertere libet* hanc quæstionem non esse tantum faciendam a principalis controversia Auctoribus. Nam esto futurum non constituatur formaliter Divino decreto, ad huc manet causa integra: nam hæc est de causa determinante futuritionem actus liberi creati.

122. *Dicendum II.* Quod formale constitutivum Futuri est non existere realiter de præsenti extra causas, & physicè extiturum tamen physicè & realiter extra causas pro duratione sequenti. *Prob.* Quia id est constitutivum formale alicujus rei, quod ingreditur ejus definitionem; sed definitionem Futuri nihil ingreditur, nisi non esse pro nunc physicè, & realiter extra causas, & pro duratione sequenti habiturum existentiam physicam & realem extra causas: ergo hoc solum est constitutivum formale futuri. Ex quo sequitur quod decretum Dei non potest esse constitutivum formale illius; cum non ingrediatur definitionem Futuri. Aliquot objectiones, quia facilime solvi possunt, omittimus.

ART. XI. *An propositiones de Futuro contingenti ante Divinum decretum habeant determinatam veritatem, aut falsitatem?*

123. **T**Homistæ negant habere determinatam veritatem, aut falsitatem; sed pro illo signo docent esse indifferentes ad veritatem & falsitatem: Jesuitæ sustinent contrarium. Pro brevi resolutione notandum, quod id quod repugnat existere extra causas, futurum esse non potest: unde quod est necessarium, ut res extra causas existat, est etiam ne-

necessarium pro priori ad esse futurum. Decretum autem, quod est necessarium ad existentiam Futuri contingentis, potest esse prædefinitivum, & prædeterminativum physicè, vea moraliter; vel potest esse præparativum, & applicativum Divinæ omnipotentiae, seu concursus Dei cum voluntate creata, juxta Sententias in hac re Auctorum; & conformiter ad illos docent ad existentiam futuri esse necessarium decretum Dei.

124 *Dicendum ergo*: Quod omnes propositiones negatiæ de rerum futuritione antecedenter ad Divinum decretum sunt determinatè veræ; & è contra propositiones affirmativæ sunt determinatè falsæ: *Prob.* Quia id quod repugnat existere sine decreto, sine illo non potest esse futurum: sed sine Divino decreto nulla res existere potest: ergo sine Divino decreto nulla res potest esse futura. *Conseq.* tenet. *Maj.* constat ex notatis, & *Min.* est certa apud Auctores utriusque Sententiæ. *Tum sic*: sed ante Divinum decretum in signo priori ad illud Divinum decretum, intelligi non potest esse futurum: ergo ante Divinum decretum, & pro signo priori ad illud, de nulla verificari potest, quod sit futura; sed omnes manent intra concellos possibilitatis cum capacitatem passiva ad futuritatem pro signo decreti.

ART. XII. *An Deus cognoscat Futura contingentia absoluta.*

125 **D**icendum est esse de fide, Deum illa cognoscerre certo, & infallibiliter. Hæc sententia est de fide contra Ciceronem, & alios, ut quidam putant; habeturq. clare ex Ecclesiastico 23. *Domino Deo antequam creentur omnia sunt cognita.* Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas prævidisti.* Sapient. cap. 8. *Signa & monstra scit, antequam fiant, & eventus Sæculorum & temporum.* Et cap. 19. *Præsciebat enim futura eorum.* Isai. cap. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Et alibi plures consonant PP. ac Theologi. Sanctusq. Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 9. Jure dixit confiteri esse Deum, & negare illi scientiam futurorum aperi-
tissimam insaniam esse.
Conf-

126 *Constatque I.* Quia Deus prædixit futura: ergo illa certo, & infallibiliter cognoscit. *Anteced. constat* ex veteris, & novi Testamenti prophetiis. *Conseq. prob.* Quia prædictio Dei non potest esse falsa: ergo ea quæ prædixit, infallibiliter cognovit. Unde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 2. Hæc habet verba: *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas. II.* Quia Deus est infinitè cognoscitivus: ergo cognoscit quidquid cognoscibile est; sed futura sunt ex se cognoscibilia, quia habent suum esse reale logicum, & determinatam veritatem: ergo Deus illa certò & infallibiliter cognoscit.

127 *Contra dicta stat commune Argumentum:* nam Scientia Dei de Futuro contingentis: *Ex. grat.* de peccato Petri futuro, connectitur infallibiliter cum peccato Petri futuro: ergo peccatum Petri non potest esse quid liberum; sed aliunde non potest esse quid necessarium: ergo: *Prob. conseq.* Quia id quod, aliquo supposito, non potest non esse, eo supposito, est quid necessarium; sed posita Scientia Dei de peccato futuro, aliove actu libero, non potest non esse peccatum, aut actus liber: ergo, ea posita, peccatum & actus liber sunt quid necessarium.

128 *Hoc Argumento*, quod plerisque ignorantium sèpe occurrit, motus est Cicero (ut tradit D. Augustinus) ad negandam præscientiam Futurorum contingentium Deo:eo Lutherus motus ad negandum liberum arbitrium, ut docet Joannes de Sepulveda ejus synchronus, lib. 3. de fato, & libero arbitrio: & plerique Muhametanorum ad non ejurandam suam superstitionem. Ad ejus solutionem claram, notandum cum D. Anselmo, Magistro Gilbelmo Antisiodorensi, & Parisiensi, & aliis, quod duplex est necessitas, alia antecedens, à priori, & ut causa; & alia consequens, & à posteriori, proveniens in ipso actu ex suppositione ipsius: necessitas antecedens à priori, & ut causa, est omnino opposita contingentia, & libertati; ceterum necessitas consequens, & à posteriori, non est illi contraria; quia hæc provenit ex ipso exercitio libertatis, & illud supponit. Non enim requiritur ad libertatem, quod in actu secundo possit voluntas ponere utrumque libertatis extrellum: hoc enim esset.

existere simul & semel duo contradictoria , ut actus , & ejus omission : unde ad libertatem & contingentiam sufficit , quod pro priori ad exercitium libertatis , possit exerceri per actum , aut ejus omissionem , atque in sensu composito actus , est impossibilis ejus omission : & eo stante ex infinitate sapientiae Divinæ , est Deus necessitatus ad illud cognoscendum prout est in se ; atque adeò cum scientia Dei supponat illud objectivè , nullam necessitatem potest illi inferre : ad modum quo qui videt Petrum currere ; et si visio non possit esse falsa pro instanti quo currit , & connectatur cum cursu Petri , non reddit illico cursum necessarium . Ex quibus in forma . Scientia Dei de Futuro contingentи connectitur cum illo à priori , & ut causa : Neg . Ant . connectitur cum illo à posteriori , & consequenter , Concedo Ant . & neg . Conseq . Ad cuius probationem Dift . Maj . Id quod aliquo supposito à priori , & causa , non potest non esse , est quid necessarium : Conced Maj . à posteriori , & consequenter . Neg . Maj . sed , posita scientia Dei de Futuro , non potest non esse antecedenter , & pro actu primo . Neg . Min . prout in actu secundo : Conced . Min . & nego Consequentiam .

129 Sed dices : Scientia Dei est omnino , & antecedenter infalsificabilis : ergo , ea posita , nulla potest esse potestas ad eam libere falsificandam : ergo , ea posita , objectum non potest esse liberum , quia , ut talc sit , debet posse liberè falsicari .

130 Respondetur : Quod scientia Dei est omnino infalsificabilis subjectivè , cæterum objectivè , & terminativè , licet in actu exercito non sit falsificabilis ; signate , & in actu primo , est non verificabilis , hoc est , quod objectum potuit non esse , & consequenter potuit non esse scientia de eo ; cæterum ex suppositione quod sit , cum in eo instanti non possit non esse ; scientia Dei terminata ad ejus esse , quod est exercitium libertatis , est subjectivè , signate , & exercite infalsificabilis : est tamen hæc necessitas non antecedens actum , sed consequens illum : unde non impedit illius libertatem : ad modum quo nec scientia Dei de actibus liberis de præsenti impedit eorum libertatem . Quod enim præscientia Dei duratione præcedat Futura libera , se habet de materiali ad ipsa Futura : quia esto non esset in Deo scientia eorum , eadem

modo essent futura; unde non potest laderē eorum libertātem. Ex quibus facile est respondere similibus sophismatis.

ART. XIII. *In quo cognoscat Deus futura contingentia, seu libera?*

131 **M**Ultiplex & varia hac in re Auctorum mens: remus sententias. I. tenet hujusmodi Futura contingentia cognoscere Deum in Divinis ideis & rationibus rerum æternis, quæ tribuitur Ægidio Romano, & sustinuere recentes aliquot Ordinis Sancti Augustini. Displacet tamen hæc sententia. Nam Divinæ ideae nihil aliud sunt, nisi Divinæ cognitiones rerum, ut ordinabilium ad aliquid faciendum; quia cognitio rei secundum prædicata necessaria pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, secundum quod præexistit ad scientiam visionis: unde secundum quod est futura, debet terminare Divinam cognitionem, & si in ea extat ratio ideae, idem erit asserere Deum in ideis cognoscere futura, ac asserere Deum in sua cognitione futura cognoscere, atque adeò relinquit insolutam quæstionem: quia ea quæritur medium determinativum Divinæ cognitionis futuri.

132 II. Sententia tenet Deum cognoscere, prædicta Futura insuper comprehensione liberi arbitrii creati, seu creatæ voluntatis. Hæc Sententia tribuitur aliquibus ex Societate. Displacet etiamnam voluntas creata potest considerari signatè, & in actu primo; & sub hac consideratione, est omnino in differens ad esse, vel non esse Futuri: ergo sub hac consideratione non existit determinatè Futurum, & consequenter sub hac consideratione non potest cognosci Futurum insuper comprehensione voluntatis creatæ. Si autem consideretur exercitè, & in actu secundo; cum exercitium sit ipsa determinatio voluntatis, ut Futura, sequitur quod Deus Futura cognoscat in ipsiusmet Futuris, quod est labi in ultimam sententiam.

133 III. Sententia tenet, prædicta Futura cognosci à Deo in

in decreto efficaci prædefinitivo, & prædeterminativo illorum, eaque antecedenti. Hæc sententia est jam communis inter Dominicanos & eorum asseclas, proceditque debita consequentia doctrinæ. Displacet tamen *Primo*, quia lèdit creatam libertatem, ut suo loco probabimus. *Secundo* quia constituit Deum auctorem peccati, ut itidem probabimus: & *Tertio* quia videtur tollere gratiam sufficientem. Quæ libuit solum indicare, ne eadem pluries repetamus, quod alienum omnino est studio, & scopo nostro.

134 IV. Sententia tenet prædicta Futura cognosci à Deo in decreto efficaci non antecedenti, sed concomitante actionem liberam, & cum illa metaphysicè connexo. Hanc tenent aliquot Scotistæ. Displacet etiam aliquot de causis suo loco exhibendis, & præcipue quia tale decretum concomitans determinationes voluntatis creatæ, & non illam antecedens, est solum illi coexistens, & nullo modo influens in illam; alias non esset purè concomitans, sed antecedens: ergo pro eo signo, quo existit tale decretum, existit determinatio voluntatis creatæ independenter ab illo. Nam quod dependet ab aliquo, est illo posterius: ergo in eo signo determinatio voluntatis creatæ est se ipsa immediatè cognoscibilis à Deo.

135 V. Sententia tenet prædicta Futura immediate in se ipsis cognosci à Deo. Hæc Sententia est communior inter Cleri Theologos, Communis Jesuitis, & eorum asseclis: videturque D. Thomæ I. p. Q. 14. art. 3. ubi ait: *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso: esse autem in suis causis, non est aliud quam esse in potentia, & virtute causalium; & sic non est determinatè futurum; & ideo ait S. Doctor: sed etiam, prout unumquodque eorum est actu in se ipso.*

136 *Prob. que ex dictis:* quia Deus cognoscit creaturem immediate in se ipsis: ergo cognoscit etiam Futura absoluta immediate in se ipsis. *Ant.* probatum est superius. *Conseq.* autem tenet. Nam ideo Deus cognoscit creaturem immediate in se ipsis, quia se ipsis formaliter habent entitatem, & cognoscibilitatem; sed Futura absoluta habent per se entitatem logicam & veram cognoscibilitatem, ut jam probatum est:

est : ergo immediate in se ipsis cognoscuntur à Deo.

137 Argumenta contra hanc sententiam , vel fieri possunt ex eo quod Deus non cognoscit creaturas immediate in se ipsis ; & hæc diluimus loco prædicto ; vel ex eo , quod nihil potest esse futurum absque decreto Dei omnino antecedenti efficaci , seu prædefinitivo , aut etiam prædeterminativo , aut saltem concomitanti efficaci : & hæc diluemus debito loco : verum tamen advertere oportet , quod ea à quibus res pendent in existendo , pendent in ratione Futurorum . Unde si actiones creatæ liberæ , & contingentes non pendent , nec pendere possunt à decreto , efficaci antecedenti solo , aut à decreto efficaci prædeterminativo antecedenti ; aut à decreto efficaci comitanti , in existendo , etiam prout futuræ , à prædictis modis decretorum pendere non possunt .

ART. XIV. De Scientia Futurorum contingentium conditionatorum.

138 EA est voluntatis nostræ natura , ut non solum velet objectum absolute , sed & possit tendere in illud sub aliquo modo , & conditione : ut patet in donationibus , testamentis , contractibus , & promissionibus , in quibus plerumque voluntas tendit in objectum non absolute , sed solum præcisè sub conditione ; pari ergo modo voluntas creatæ libera , cum possit liberè determinari ad actum sub aliqua conditione objectivè repræsentata (quidquid sit de ejus purificatione , vel non purificatione) queritur : an Deus prædicta Futura contingentia conditionata cognoscat certò & infallibiliter ?

139 Pro quo notandum : quod conditio est necessaria respectu actus , ut hæc : si Petrus esset beatus , esset impeccabilis : quia ex beatitudine necessario sequitur impeccabilitas : alia est conducens , & movens ad actum , libertatem relinquens voluntati ad illum , ut si Petrus audiat concionem convertetur , vel non convertetur : & idem est , si tali auxilio vocetur ; alia est impertinens , & disparata , quæ nullum influxum habet in voluntatem ad se determinandum : ut si Turca saltaret , quid tunc

tunc Petrus ageret? ac denique alia impossibilis, ut si haberem alas, quotunc tenderem? In quod objectum sub illa conditione impossibili, potest voluntas create tendere, ut docent communius Theologi Tractatu de Actibus humani.

140 Communis jam Theologorum sententia tenet quod Deus Futura conditionata de conditione conducente, quæ nunquam erit, certo, & infallibiliter cognoscit; licet harum controversiarum principio Thomistarum aliqui id negarint, quanquam Recentiorum aliqui eos excusent.

141 *Prob. I.* Ex Veteri Testam. Geneseos cap. 11. ubi de ædificantibus Babyloniam turrim prædictit Deus non destitutos ab opere incæpto, nisi impedianter: *Caperunt hœc facere, nec desistunt, a cogitationibus suis, donec eas opere compleant:* ergo cognovit Deus futuram perseverantiam operis sub conditione, quod nihil esset impedimento. Deinde ex 3. Reg. cap. 11. Nam Deus renovans antiquum præceptum de non miscendis Israelitis connubio alienigenis, prædictit his nuptiis in idolatriam prolapsuros: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos eorum:* ubi Deus prædictit Israelitas futuros Idolatras, si Gentilibus connubio copulantur. Denique clarissimum testimonium est 1. Regum cap. 23. ubi David profligatis Philistæis, atque ab eorum potestate libertata Ceila, cum se se diffunderet adventus Saulis: Dominum consuluit, num adventurus esset Saul, si ipse maneret in Ceila: & num, si in ea maneret Ceilites traderent ipsum in manus Saul: Responditque Deus, quod si ipse maneret in Ceila, venturus erat Saul, & Ceilites, in ejus manus ipsum tradituros: *O ait Dominus: descendet (nempe Saul) O dicit Dominus tradent.* Cum ergo prædictio Dei de his Futuris contingentibus liberis falsa esse non posset; sequitur quod certissime ea cognovit. Mittimus alia plurima loca V. T. quibus alia Futura contingentia conditionata prædicuntur à Deo.

142 *Prob. II.* ex N. Testam. ex celebri Christi Dom. prædictione Math. 11. & Lucæ 10. cap. *Vae tibi Corazain: vae tibi Bethsaïda: quia si in Tyro, O Sydone factæ essent vir-*

tutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent: quibus verbis clarissime docuit Christus Tyrios, & Sydonios pœnitentiam acturos, si apud eos fierent miracula, quæ patravit in Corazain, & Bethsaida. Cum ergo Christus, qua Deus & homo, sit summè verax, non potuit prædictam veritatem conditionatam revelare Christo, qua homini, nisi omnino certus esset de illa. Similis alia habetur Lucæ 22. illis verbis: *Si vobis dixerim, non creditis mihi: si autem interrogaverim, non respondebitis mihi: ubi duo* Futura contingentia conditionata prædictum Christus.

143 Nec potest dici hæc Futura conditionata præcisè cognoscere Deum scientia conjecturali, & fallibili, nihilque amplius probare prædicta loca: Nam obstat. I. Quia loco ex 3. Regum cap. 11. dicitur *Certissime avertent corda vestra,* &c. certitudo enim in gradu superlativo competere nequit, scientiæ & cognitioni conjecturali: ergo prædicta Futura cognoscit Deus certitudine metaphysica, quæ omnium est suprema. II. Quia ita Deus ea prædictum, ut homines ea crederent, & essent certi de eventu futuro; at ex scientia merè conjecturali nec homines tenerentur credere, nec esse certi de eventu futuro: cum scientia conjecturalis ex se possit subesse falsitati: ergo Deus non prædictum prædicta Futura contingentia conditionata cognitione conjecturali, sed scientia omni modo certissima, qualis est necessario Scientia Dei de quolibet objecto, uti diximus.

144 Nec etiam refert, si dicatur prædicta Futura contingentia conditionata enuntiata esse à Deo juxta dispositionem, & inclinationem causarum: *Tum* quia in prædictis locis Sacré Scripturæ non agitur de inclinatione causarum; sed de effetu sequendo certissimè sub tali conditione: *Tum* quia in causa libera, stante motivo allicienti majoris ponderis, potest stare quod illud despiciat, & in contrarium feratur: & potest stare, quod dispositiones allicientes, & retrahentes sint omnino æquales: ergo in his casibus non poterit Deus prædicere Futura contingentia conditionata sine periculo erroris & falsitatis; quæ longissimè sunt à Divina cognitione, & veritate.

145 Nec tandem valet dicere: Futura contingentia reve-
la-

lata Deum certò cognoscere in decreto absoluto , & objecti-
vè conditionato , quod de illis habuit ; de aliis autem non re-
velatis hoc non constare , ac proinde nec constare an Deus
certo & infallibiliter ea cognoscat : *Tum* quia non est major
ratio , ut Deus haberit decreta absoluta , & objective conditionata erga futura contingentia conditionata , quæ reve-
lavit , quam erga ea quæ non revelavit : ergo si habuit decre-
tum absolutum subjectivè & objective conditionatum erga
Futura conditionata , quæ revelavit ; & tale decretum habuit
erga ea , quæ non revelavit. *Tum* quia Deus necessariò cog-
noscit omne Futurum , de quo potest interrogari à creatura;
sed de Futuris conditionatis , non revelatis potest interroga-
ri à creatura : ergo etiam non revelata necessariò cognoscit:
alijs illorum esset ignorans.

146. *Prob. III. ex PP.* Augustinus enim , qui in hac ma-
teria primas obtinet partes , lib. de Dono perseverantiae cap.
9. sic ait : *Si judicari poterant homines , etiam non auditio*
Evangelio , secundum contumaciam , vel obedientiam , quam
præscivit Deus eos habituros , si audirent , &c. ubi clarissime
docet præscire Deum consensum , vel dissensum hominum ,
sub conditione auditii Evangelii. Et postea : *Sed nunquid pos-*
*sumus dicere etiam Tyrios , & Sydonios talibus apud se virtutib-
us factis , credere noluisse , aut credituros non fuisse , cum*
eis ipse Dominus (nempe Incolis Bethsaïdæ) attestetur quod
acturi essent magna humilitatis pœnitentiam , si in eis acta
essent Divinarum illa signa virtutum ? Idem docet lib. de
correptione , & gratia cap. 8. Lib. 6. de quæstionibus Paga-
norum. lib. 1. contra Julianum Epist. 42. & aliis locis.

147. In eadem Sententia sunt alii PP. Tertullianus lib. 1.
contra Marcionem ; Nyssenus orat. de Infantium morte,
Chrysostomus ad Stagirium lib. Cyrillus lib. 9. in Joannem ,
& lib. 3. in Julianum , & Damascenus lib. contra Manichæos .
Ulterius Hieronymus Dialog. 3. contra Pelagianos , Pro-
per lib. ad Excerpta Genuensis resp. 8. Greg. Mag. in Job
lib. 33. cap. 2. & plures alii reddentes rationem de pluribus
Dei operibus , ut illo Sapientiæ cap. 6. v. 2. *Raptus est ne*
malitia mutaret intellectum ejus : ex præscientia ejus , qua
cognovit quid homines acturi erant sub tali , & tali condi-
tio-

tione, talibus, aut talibus circunstantiis, quæ nunquam futuræ erant ponendæ in executione.

148 *Prob. IV. Ratione.* Quia prædicta Futura conditio-nata habent determinatam veritatem, & cognoscibilitatem, sive sit à decreto Thomistico, sive alio modo, sive à determinatione voluntatis creatæ, seu in se ipsis, ut tenet Schola Je-suitarum; sed quidquid habet determinatam veritatem, & cognoscibilitatem cognoscit Deus certitudine metaphysica, alias non esset omniscius, & posset ignorantia laborare: ergo prædicta Futura contingentia cognoscit Deus certitudine me-taphysica.

149 *Sed Dices I.* Deus Moysi dixit, ut de sui missione Israelitas constaret. Exod. 14. *Si non crediderint tibi, nec audierint signi prioris sermonem, credent Verbo signi sequen-tis.* Quod si ne duobus his signis crediderint, sume aquam flu-minis &c. Ergo Deus nesciebat quibus signis credituri erant Israelitæ: nam si sciret, non dixisset. *Si tibi crediderint, vel non:* hæc enim est phrasis ignorantis eventum signorum.

150 *Resp.* Quod hoc Arg. non tam oppugnat scientiam Futuronum contingentium conditionatorum in Deo, quam Futuronum contingentium absolutorum: quia præfata mira-cula edenda erant sub conditione, quod Israelitæ Moysi non crederent & purificanda erat conditio. Sed quidquid sit de hoc post Abulensem, Marius, & Sylvius ex Nostris, reliqui Interpretes ad prædictum locum docent: Deum tum cum Moysè humano more loquutum, ut diffidentiam & timorem depelleret: sicuti cum dixit ad Adam: *Ubi es?* Genes. 3. & ad Cain: *Quid fecisti?* Quæ utique non ignorabat; non quod ignoraret effectum apud Israelitas prædictorum signorum, quæ certissime cognoscebat. Pari etiam modo intelligenda venit Adverbium *fortasse* dictum de Deo; non enim signifi-cat incertitudinem, aut dubietatem; sed communius causam finalem: ut eodem loco Genesis 3. *Ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum:* id est; ne sumat & comedat de ligno vitæ & in æternum vivat.

151 *Dices II.* Aug. lib. de Prædestinatione SS. sic ait: *Hæc est tota causa, eur dictum est:* Raptus est ne malitia mu-

taret intellectum ejus : Dicendum est enim secundum pericula
vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsci-
vit quod futurum erat; non quod futurum non erat; id est,
quod ei mortem immaturam fuerat largitus, ut temptationum
substraberetur incerto: non quod peccatus esset, qui mansu-
rus in temptatione non esset: Quibus verbis innuere videtur,
quod Deus non cognovit certò, an peccatus esset, de quo
loquitur, si diutius permanisset, in vita; sed illud dictum
attentis periculis vitæ hujus; & non secundum præscientiam
illius: ergo Deus illud Futurum contingens conditionatum
non cognovit certò.

152 *Resp. ad hoc Arg.* re vera difficile, omissa communi
Auctorum solutione, quod Aug. solum afferit quod prædicta
verba ex Lib. Sapientiæ dicta sunt, attentis periculis vitæ
hujus, & non secundum præscientiam: quia etiam si mansisset,
prævisus erat non consensurus temptationi: atque adeò præ-
visus non peccatus, nec malitia mutandus: unde non ha-
buit Deus præscientiam peccati futuri: quia etiam sub illa
conditione non erat futurum peccatum: Ideoque ait S. D.
*Deus hoc præscivit quod futurum erat; non quod futurum non
erat, id est quod ei mortem immaturam fuerat largitus, ut
temptationum substraberetur incerto: non quod peccatus
esset, qui mansurus in temptatione non esset.* Ex quo nullaten-
nus sequitur, quod Deus Futura contingentia conditionata
non cognoscit certò; imò oppositum elicitur ex S. D. cum
afferat: Deum cognovisse prædictum justum, non consensu-
rum temptationi, esto, diutius vixisset.

153 *Dices III.* Scientia Futuri contingentis conditiona-
ti dicit imperfectionem in Deo: ergo non est ponenda in ipso.
Prob. Ant. Nam prædicta scientia dicit apprehensionem, aut
disjursum: dicit compositionem conditionis cum potentia &
eventus: ulterius est abstractiva, ac attingit objectum aliter
ac est in se; at hæc imperfectionem dicunt: ergo scientia Fu-
turonum contingentium conditionatorum dicit imperfec-
tionem in Deo.

154 *Resp.* Nullam harum imperfectionum dicere in Deo
scientiam Futuronum conditionatorum. Nam prædicta scien-
tia nec est apprehensio: quia est judicium de futuro omnino

certum sub ea conditione , qua conditionatum est ; nec est discursus ; quia non attingit ex vi conditionis eventum : cum conditio indifferens sit ad utrumque (exceptis conditionibus , necessariò illativis) sed illud attingit immediate in se ipso . Nec dicit compositionem subjective , sed tantum objective , ut cognitio Divina attingens hominem compositum ex corpore & anima , quæ objective dicit compositionem , secus subjective . Nec est abstractiva in rigore Theologico . Nam scientia de possibili pure de Futuro absoluto & de præterito , non est rigorose intuitiva ; seu rei præsentis : quippe nullum horum est physicè præsens , & existens ; cæterum quia hæc omnia logice existant : nam verè datur possibile , verè datur futurum verè datur præteritum , & horum cognitio terminatur ad ea pro ut logicè sunt ; dicitur in Deo cognitio talis intuitiva : ita pari modo , quia Futurum conditionatum , esset purificata conditione , dicitur suo modo intuitiva eventus , quod esset sub conditione . Nec denique attingit objectum , ac aliter est in se ; sed attingit objectum , quod esset sub tali conditione : quod etiam videre est in contractibus conditionatis & ultimis voluntatibus dependentibus à conditionibus pendentibus ab alterius voluntate .

155. *Dices IV.* Futura contingentia conditionata non habent determinatam veritatem : ergo non cognoscuntur à Deo . *Ant. prob. I.* Id quod est , cum indeterminatione ut sit , non habet determinatam veritatem ; sed tale est Futurum conditionatum : ergo non habet determinatam veritatem . *II.* Indifferens ut tale , non habet determinatam veritatem ; sed Futurum contingens conditionatum est omnino indifferens : ergo &c. *III.* Quia si Futurum contingens conditionatum haberet determinatam veritatem , vel eam haberet à se , vel ab alio ; sed illam non habet à se , eo quod est indifferens ; nec ab alio : nam is præcisè esset Deus , qui ejus libertatem , & contingentiam tolleret : ergo nullo modo habet determinatam veritatem .

156. *Resp. negando Ant.* Ad *I. prob.* quod quodlibet Futurum contingens , sive absolutum , sive conditionatum , est indifferens , signate ex parte potentiae , & in actu primo : nam potentia est in actu primo indeterminata ut sit .

vel

vel non sit; attamen exercitè & in actu secundo, non est in-differens ut sit, vel non sit. Nam res dum est, necesse est esse, pro instanti quo est: unde hoc ipso quod futurum sic absolu-tè, vel conditionatè, habet formaliter determinatam verita-tem: unde autem habeat effectivè determinationem ut sit, alia est quæstio. Nam Thomistæ docent eam habere à Dei de-creto, alii vero à voluntate creata.

157 *Ad II. Resp.* quod indifferens qua tale, non habet determinatam veritatem; cæterum indifferens prout determi-natum à Deo; vel à voluntate creata jam habet determinatam veritatem. *Ad III. Resp.* quod Futurum contingens habet formaliter, & ex se determinatam veritatem: sicut homo & quodlibet ens physicum se ipso formaliter existit; cæterum effectivè habet determinatam veritatem à Deo, qui determi-nat voluntatem juxta Thomistas; vel ab ipsa voluntate crea-ta, ut Jesuitæ, & alii tenent. Cæteras objectiones mittimus, quia levioris momenti, vel sophismata indigna Theologis quærentibus veritatem.

ART. XV. *In quo cognoscat Deus Futura contingentia conditionata.*

158 PRÆSENS controversia præcipua est in hac mate-ria, quæ mutua connexione innectitur cum Tractatibus de Concursu Dei, & ejus decretis, ac cum Tra-ctatu de Gratia, & quæ sunt propria eorum. Ad rem præsen-tem hic coacervavere, ut patet ex libris nuper editis RR. ali-quot; nos autem pro majori claritate suis quæque locis dis-quiremus.

159 Quaritur ergo in quo, tanquam in medio objectivo cognoscat Deus Futura contingentia libera conditionata vo-luntatis creatæ? & missis aliquorum cogitationibus, quæ meo judicio, nec speciem verisimilitudinis habent, & facile evanescunt ex dictis de Futuris liberis absolutis. Scotistæ plu-res cupientes devitare extrema Thomistarum & Jesuitarum, docent hujusmodi Futura conditionata cognoscere Deum in auxiliis moraliter connexis cum consensu, quæ physice, &

metaphysicè conjangi possunt cum dissensu, seu carentia consensu; quamquam tere semper conjugantur cum ipso consensu: sicque sibi videntur conciliare libertatem.

160 Hæc tamen sententia sua imbecillitate dispellitur. Nam in medio non connexo metaphysicè cum consensu, nequit certo metaphysicè cognosci consensus: sicuti in causa non connexa cum effectu; nequit effectus cognosci certo: & in medio probabili nequit certo cognosci conclusio: & in medio solum physicè connexo cum effectu non potest certo metaphysicè effectus cognosci: quia certitudo cognitionis talis est, quale est medium illius; sed auxilia solum sunt moraliter connexa cum consensu: ergo in illis non potest Deus cognoscere certo metaphysicè consensum.

161 Nec valet dicere, quod Deus habet certitudinem metaphysicam connexionis moralis auxilii cum consensu. I. Quia Deum habere certitudinem metaphysicam connexionis moralis auxilii cum consensu aliud non est, quam cognoscere metaphysicè voluntatem physicè, & metaphysicè posse auxilio dissentire; & consequenter physicè, & metaphysicè posse deficere consensum: ergo ex cognitione metaphysica connexionis moralis auxilii cum consensu non potest cognosci certitudine physica, aut metaphysica futurus consensus: sicuti ex connexione morali cognita metaphysicè, quam habent preces maris erga obsequentissimum filium, non potest cognosci certo metaphysicè effectus prædictum precum.

162 II. Quia scientia connexionis auxilii cum consensu vel est connexionis necessaria, vel contingentis. Si necessaria, consensus erit necessarius: si contingentis, consensus erit contingens: ergo defectibilis: ergo ex vi talis connexionis non potest cognosci consensus certo metaphysicè futurus.

163 Sed Dices I. Deus cognoscens connexionem moralis auxilii cum consensu, cognoscit extitum consensus; sed Deus hoc non potest cognoscere, nisi metaphysicè: ergo cognoscit extitum consensus. Resp. quod Deus cognoscens metaphysicè connexionem moralem auxilii cum consensu, solum cognoscit moraliter existentiam consensus ex vi auxilii; sed ex vi illius non cognoscit metaphysicè existentiam.

cop.

consensus; quanquam hæc cognoscitur à Deo certò metaphysicè in decreto, vel in se ipso: ad modum quo Deus cognoscit metaphysicè apud homines esse probabilem talem conclusionem ex tali, vel tali medio, quanquam non habeat cognitionem metaphysicam de tali conclusione.

164 *Dices II.* De fide est quod homo vehementer tentatus, moraliter loquendo, sine speciali auxilio gratiæ non potest resistere temptationi, et si physicè possit temptationi resistere: alias consensus non esset peccaminosus: ergo connexio moralis auxilii cum consensu sufficit ad fundandam omnimodam certitudinem, qualis est fidei Divinæ: nam vehementis tentatio solum habet connexionem moralem cum consensu secluso speciali auxilio gratiæ.

165 *Conf.* Quia juxta Tridentinum Sess. 6. Canon. 23. mortalium nemo omnia peccata venialia vitare potest secluso specialissimo privilegio, quod est de fide: & hæc necessitas solum est moralis: ergo necessitas moralis auxilii cum consensu potest fundare omnimodam certitudinem de consensu.

166 *Resp.* Quod alia est propositio absoluta, & alia modalis propositio: quæ affirmat, hominem graviter tentatum moraliter loquendo, non posse resistere temptationi, sine gratiæ auxilio, est propositio modalis, seu de modo: nam non affirmat absolute non posse resistere; alias consensus temptationis esset omnino necessarius: unde solum affirmat importantiam moralem resistendi, quæ stat in hoc quod raro, aut vix falsitati subest. Ceterum hæc impotentia non negat posse subesse falsitati, absolute loquendo; proutdeque hæc impotentia moralis certitudinem metaphysicam de eventu fundare non potest; atque adeò, et si esset de fide quod homo in statu naturæ lapsæ non potest resistere gravi temptationi, sine gratiæ auxilio (quod plerique negant) solum esset de fide impotentia moralis resistentiarum gravis temptationis: cum quo componitur, quod talis certitudo solum commensuretur certitudini objectivæ morali & non supergrediatur ejus terminos. Ex quo facile est respondere in forma.

167 *Ad Conf. Resp. similiter:* quod homo pro longo temporis spatio, solum est impotens moraliter sine specialissimo

gratiæ privilegio vitare omnia peccata venialia collectivæ accepta: cæterum ex hac certitudine non potest certò metaphysicè cognosci illum determinatè peccatum: quia prædicta potentia est vaga & disjunctiva: etenim (ut Logici asserunt) ex necessitate hujus propositionis: *Equus requiritur ad equitandum*: non sequitur necessario: *hic, aut hic est necessarius*: unde & si necessitas vaga sit metaphysica, non potest fundare certitudinem metaphysicam de aliquo in particulari: & consequenter potiori jure certitudo moralis de consensu sub auxilio certitudinem metaphysicam de ipso consensu.

168. Thomistæ docent hujusmodi Futura conditionata cognoscere Deum in decreto absoluto & objectivè conditio-nato, ex eisdem principiis, quibus docent, Futura absoluta cognoscî à Deo in decreto efficaci de eorum futuritione; & quidem meo judicio summa consequentia: quia causa præcisa alicujus rei eadem est in statu absoluto, ac in statu conditio-nato: unde si determinativum Futuri contingentis libertatis creatæ est decretum Dei in statu absoluto; idem debet esse in statu conditionato. Attamen quia hanc sententiam dispulimus, agentes de Futuro absoluto, eadem ratione explodimus de Futuro conditionato.

169. *Dicendum ergo nobis est* Deum futura conditionata cognoscere immediate in se ipsis, ex jam dictis. *Prob.* Quia opinie id, quod habet veritatem objectivam cognoscit Deus immediate in se ipso; ut jam probatum est agenti de Cognitione creaturarum; sed Futura conditionata creatæ libertatis habent in se ipsis determinatam veritatem: cum illam non ha-beant à decreto Dei, uti diximus: ergo ea cognoscit Deus immediate in se ipsis.

ART. XVI. *De Scientia media.*

170. **S**cientia media nihil aliud est, quam scientia, quam habet Deus. Futuron contingentium libertatis creatæ sub omnium conditionum conduce-entium combinatione immediate in se ipsis, quæ subjectivè, & ex parte Dei est omnino necessaria, & objectivè, ex parte creaturarum, est omnino libera: quæ, quia ejus objectum non est necessa-rium,

rium, uti objectum scientiae simplicis intelligentiaz, quæ est subjectivæ & objectivæ necessaria Deo, nec est subjective, & objectivæ libera Deo, uti scientia visionis; sed subjective & ex parte Dei necessaria, & objectivæ libera; dicta jure est Scientia media.

171 Nemo Theologorum est, qui ignoret, quo studio, & ardore negantes impugnant; sustinentes defendant, ante & post delationem ad Apostolicam Sedem sub Clemente VIII. ac tandem Paulo V. terminatam litem: facta licentia utrique parti, ut suo sensu abundet, interdicto, ne quis alterutram partem nota Theologica inurat. Utraque Sententia incusata est novitatis, quia nomen *Scientiae mediae* non erat Scholis auditum nec *Prædeterminationis* eis erat invectum; verum ex hoc nulli sententiaz præjudicium, cum in re non esset obstaculum, & ad majorem claritatem plerumque conveniat vocibus clarioribus, non antea usitatis uti: sicut constat ex vocibus, *Consubstantialis*, & *Transubstantiationis* ad asserendum mysticum Santissimæ Trinitatis, & Eucharistiae Sacramentum.

172 His ergo præmissis, ut ab incertis separemus certas RR. PP. Dominicanæ mota controversia usque nunc summo studio, voce & scriptis oppugnant scientiam medium quos secuti sunt aliqui ex Nostris, & Religionum Mendicantium aliquot professores, præsertim in Hispania nostra, uti Augustiniani, Carmelita, & speciatim Discalciati, Mercedarii, Minimi, Caietani, ac Clerici Minores: ac ex Ordine Monastico, majori ex parte Benedictini, Basilienses, & Hieronymiani.

173 E contra pro veribus eam sustinent scriptis & voce Jesuitæ, impugnantes prædeterminationem, & decreta efficacia actuum liberorum creaturaræ. Huic Sententiaz suffragatur Theologorum Sæcularis Cleri potior, & nobilior pars: & P. Ludovico de Molina prævivit D. Franciscus de Cartagena Decanus, & Primarius professor Salmaticensis in tractatu de Prædestinatione Romæ excuso anno 1581. In eadem Sententia sunt Monachi Cistercienses, & ex Mendicantibus Trinitarii utriusque observantia, & Scotistarum plures.

174 Utriusque Sententiaz fundamenta placet summationem delibare; quia huc advocare, & ex professo defendere gra-

vissimi esset operis, & propriis sedibus evellere & contra rationem methodi est, ut postea suis locis perpenis, seposito magistrorum ardore, puro inquirendæ veritatis studio judicet quisque de hac gravissima controversia, quod sibi apparuerit probabilius. Nam evidentiam sibi promittere solam est dementis, & Junioris Theologi: cui potissime observandum, ne disputationis ardore frigescat.

175 *I.* Fundamentum PP. Dominicanorum est: *Quia* Scientia media est scientia, qua Deus cognoscit Futura contingentia libertatis creatæ in se ipsis ex determinatione voluntatis creatæ primo, & per se; & non ex determinatione voluntatis Divinæ: quod contrarium apparet Scripturæ, & Conciliorum.

176 *II.* *Quia* objectum scientiæ media videtur contrarium doctrina PP. præsertim Augustini, & Thomæ Aquinatis. *III.* *Quia* hujus scientiæ objectum videtur tollere à Deo rationem primæ causæ, & motoris; & actus liberi esset prima causa voluntas creatæ. *IV.* *Quia* concursus indifferens est in intelligibilis, & rationem primæ causæ non potest salvare in Deo.

177 *V.* *Quia* tollit in Deo rationem supremi dominii respectu voluntatis creatæ, & actum liberorum. *VI.* *Quia* in actibus supernaturalibus consentiens se determinarer, & discernere à non consentiente, quod videtur contrarium Apost. ac tandem. *VII.* *Quia* Deus convertere liberè non posset voluntatem creatam, & tolleretur omnino gratia efficax. Ad hæc reducuntur fundamenta hujus Sententiarum, quæ gravissima sunt.

178 Fundamenta PP. Societatis Jesu ad totidem classes reducuntur. *I.* *Quia* Decretum prædistributivum antecedens, & independens actum liberorum voluntatis creatæ, similiterque physica præ determinatio pugnat cum Scriptura & Conciliis. *II.* *Quia* pugnat cum doctrina PP. & præsertim S. Agustini, & S. Thomæ. *III.* *Quia* tale decretum pugnat cum libertate creatæ actuum liberorum, & similiter eam evertit physica prædeterminatio. *IV.* *Quia* tale decretum pugnat cum Sanctitate Dei, & constituit ipsum Auctorem peccati.

179 *V.* *Quia* tale Decretum, & prædeterminatio est re-
pug-

pugnans cum gratia sufficienti, & tollit eam. *VI. Quia* prædictum decretum, & prædeterminatio est repugnans auxilio opportuno: ac tandem. *VII. Quia* prædicta sunt contraria iustæ expostulationi, & exprobrationi Dei erga peccatores: quæ omnia exquirenda accuratius suis locis. Vide infra.

180 Nos ex iam dictis constat stare pro Scientia media: Nam hæc nihil aliud est, quam Scientia Dei de Futuris contingentibus conditionatis in eorum veritate objectiva, seu in se ipsis; & non in decreto Dei absoluto, & antecedenti, & objectivè conditionato.

181 De Conditionatis disparatis. *Dicendum*: Deum cognoscere, nullum influxum habere, in ea conditionem, & sic solum ea cognoscere prout sunt in statu absoluto: ut *Ex. grat.* si Titius saltet, quid tunc acturus Petrus? in quo cognoscit quid tunc temporis acturus est Petrus independenter à saltatione Titii; sicut independenter ab omnibus aliis; quæ pro codem tempore coexistent actioni Petri. Nam sicut actio Petri est independens ab actionibus coexistentibus, & hac de causa in se ipsa cognoscitur à Deo; ita cum conditio est disparata, & actio Petri omnino independens ab illa; actio Petri cognoscitur in se ipsa, materialiter sc. habente conditio ne.

182 Quæritur tandem nimis curiosè: an Deus cognoscet suos actus futuros; seu quid acturus sub his aut illis circunstantiis? *Resp. brevissimè*: Deum nihil agere posse, nisi ex propria determinatione, unde in illa cognoscere quid acturus esset. Alias similes quæstiones inutiles mittimus, quibus Theologi aliquis exhauire Scientiam Dei conantur: cum profecto majoris religionis sit ea ignorare, & confiteri mirabilem esse Dei Scientiam, nostrumque cap- tum infinitè superare.

DIS-

DISPUTATIO VI.

De Divina Voluntate.

ART. I.

¶ **C**UM egerimus de Dei intellectu sapientia, & cognitione, necesse nunc nobis peragere de Divina Voluntate. Nihil nobis notius voluntate nostra, quæ communione conceptione nihil aliud est quam facultas, qua volumus, dicta *appetitus rationalis*; vel secundum rationem in bonum; sive hæc sit in nobis realiter distincta ab anima nostra, ut putant Thomistæ; sive indistincta ab ea, ut censet D. Aug. &c communius alii. De actibus ejus & reali eorum ab anima distinctione tractant Philosophi, tum in tract. de Anima, tum tract. de Morali disciplina, & itidem Theologi, ex quibus præsertim necessaria delibabimus.

2. Certum omnino ex Fide, & naturali lumine est Deo inesse voluntatem. *Ex Fide* quia in Sacris Scripturis innuntris pœne locis de Divina Voluntate fit sermo: sufficiat ex Vet. Testam. illud Psalmi. *Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.* Ex Novo illud orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Mathei cap. VI.v. 10. & illud Apost. ad Romanos cap. i. *Ut probetis, qua sit voluntas Dei bona bene placens, & perfecta.* Unde D. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. dicit: *Hanc veritatem docet totus Canon Scripturarum:* idque definitum in VI. Synodo contra Monothelitas, seu assertores unicæ voluntatis in Christo.

3. *Ex naturali lumines:* Tum quia prima causa, utpote perfectissima, non potest non operari perfectissimo modo; sed modus perfectissimus operandi est operari per voluntatem: ergo Deus, prima causa, operatur per voluntatem. Tum quia si Deus non operaretur per voluntatem, vana esset ad eum deprecationis, ut patet: at lumine naturali insitum omnibus gentibus, Deum deprecandum: ergo per voluntatem

peo:

operatur *Tum* quia libere operans voluntate pollet, ut per se constat; sed Deus libere operatur (ut postea demonstrabimus) ergo pollet voluntate.

4 *Tum* quia Deus est infinitè cognoscitivus, & intellectivus (ut superius demonstratum) sed omne, quod est intellectivum, necessariò voluntate pollet: ergo Deus pollet voluntate. Hunc discursum demonstrativum esse contendunt Thomistæ; sed platiique alii omnino refragantur: quia licet de facto omnis creatura intellectiva, volitiva sit; non est hucusque demonstratum, quod repugnet creatura intellectiva, quæ volitiva non sit: quippe prius à posteriori nullatenus dependet: & licet voluntas ab intellectu pendeat in operando; intellectus tamen voluntate prior, ab illa pendere nequit: atque adeò non appareat clara, & evidens repugnantia in creatura intellectiva, & non volitiva, quod erat necessarium, ut talis ratio demonstrationis nomine gauderet. Ex quo non tollitur ab ea, quod sit congruentissima, & qua talis usus est S. Thoma. Nam cum de facto creaturæ intellectuales sint prædictæ voluntate ad amandum bonum, & fugiendum malum, eo quod bonum & malum cognoscere possunt; potiori jure id concedendum Deo, qui fecit Cœlos in intellectu.

ART. II. *An ex nostro modo concipiendi detur in Deo voluntas per modum potentiarum,*

Et actus primi, ut distincti ab

actu, Et exercitio voluntatis?

5 **I**N nobis quidem voluntas, sive sit ipsa anima, sive facultas ab ea realiter distincta, distinguitur realiter à volitione, seu ejus exercitio, ut experientia edocet: unde queritur: An in Deo jure possit à nobis concipi ratio voluntatis, per modum potentiarum, & actus primi, ut distinctæ à volitione? In quo qui negant in Deo intellectum per modum actus primi & potentiarum, tenentur negare: & contra,

qui adstruunt in Deo intellectum per modum actus primi, concedere tenentur in ipso voluntatem per modum actus primi: quippe utrinque argumenta paria, quantum ad rationem potentiarum; attamen hac in re sunt pro nobis specialia argumenta.

6. Dicendum nobis: dari in Deo voluntatem per modum potentiae, & actus primi, ut distincta ex modo concipiendi ab actu secundo, & exercitio volitionis. *Prob. I.* Nam ex VI. Synodo Generali constat dari in Christo duas naturas, duas voluntates, & duas operationes: scilicet voluntatem Divinam, & volitionem Divinam, distinctas realiter à voluntate & volitione creata: ergo in Deo est voluntas & volitio; sed volitio dicit exercitium, & actum secundum: ergo voluntas dicit potentiam, & actum primum.

7. II. Quia voluntas Divina, ut indifferens ad volitionem, aut nolitionem A. pro illo statu, quo concipitur libera, & indifferens, nec dicit volitionem, nec dicit nolitionem; & consequenter non dicit actum: ergo solum dicit pro illo signo conceptum actus primi, & potentiae.

8. III. Quia in Deo datur intellectus per modum actus primi distincti per rationem ab intellectione: ergo & voluntas per modum actus primi distincti per rationem à volitione. *Ant.* probatum supra agenti de Scientia Dei; *Conseq.* autem tenere videtur. **IV. Quia** in Patre datur eodem modo potentia generativa, ut distincta à generatione, & potentia activa omnium possibilium, ut distincta ab actione productiva eorum, ut patet, cum plurima producta non sint: ergo similiter sine inconvenienti ponitur in Deo voluntas per modum actus primi ut distincta saltē per rationem ab actu secundo volitionis.

9. Argumenta quæ possunt contra nostram sententiam fieri, mutata materia pro modulo nostro solviimus, tractantes de Scientia Dei: unde non est quod immoremur eis solvendis.

10. Disputant hic aliqui, & quidem longissime: an intellectus Divinus distinguatur intrinsecè virtualiter à voluntate Divina, & hæc à volitione. Sed quia de his egimus tractantes de simplicitate Dei, quia controversia transcendentis fe-

ferè omnia Divina prædicata, uniusquisque hic potest abundare in suo sensu. Antequam ea quæ ad voluntatem Dei pertinent tractemus, pro Recentiorum more disquirere oportet.

ART. III. An sit in Deo appetitus innatus?

11. Orunt enim Philosophi & Theologi duplum in rebus appetitum, innatum unum, alterum elicium, qui sequitur cognitionem, & ea regulatur, qui solum in cognoscendis repetitur. Appetitus autem innatus ex ipsa vocis significatione dicitur ille, qui naturis rerum congenitur, & subsequens est, ut inclinatio gravium in centrum. Hæc rudi minerva certa apud omnes; attamen ad præsentem disquisitionem non idem apud omnes specificus conceptus appetitus innati. Nam plerisque appetitus innatus nihil est aliud, quam exigentia physica, aut metaphysica alicujus termini. Alii requirunt ad appetitum innatum indigentiam termini; alii alias conditiones: Quo efficitur, ut præsens quæstio plus de vocibus habeat, quam de re.

12. Duplex ergo in hac re est Sententia. *I.* docet quod ad omnia prædicata Divina, cum quibus Deus logicè metaphysicè connectitur & eis perficitur, habet Deus appetitum innatum; & hæc contra non habere appetitum innatum ad ea, quibus non perficitur, nec cum illis connectitur. Unde juxta hanc Sententiam ad adæquatam quæstionis resolutionem esset necessarium disquirere omnes terminos, cum quibus metaphysicè connectitur Deus, quod pro presenti instituto importunissimum est. *II.* autem Sententia universim negat Deo appetitum innatum.

13. Dicendum nobis: in Deo nullum esse appetitum innatum. Et quidem auctores contrarii convenient nobiscum, si appetitus innatus dicit in suo conceptu formalí indigentiam in Deo: quia hæc omnino debet relegari à Deo. Sed ex eodem principio videtur elici, quod exigentia physica, aut metaphysica alicujus termini non possit absolute dici appetitus innatus in Deo: quia vel subjectum exigit terminum ad sui

complementum, & perfectionem, vel non exigit: si non exigit ad sui perfectionem, non erit in eo appetitus innatus: si exigit ad sui perfectionem, & illum non habeat, procul-dubio indigebit illo; quippe indigentia alicujus rei nihil aliud est, quam carentia illius, cum ejus exigentia: ergo si in Deo concipitur exigentia alicujus prædicati cum carentia illius pro priori; non potest non concipi in Deo indigentia, & consequenter non poterit concipi appetitus innatus.

14 Ratio & fundamentum nostræ sententiæ est: quia appetitus innatus se habet ad modum appetitus eliciti erga suum terminum; ac proinde est quædam tendentia subjecti ad terminum, quem non habet pro priori ad sui perfectionem; sed in Deo non potest dari tendentia per modum desiderii ad sua prædicata intrinseca: ergo in Deo non potest erga ea dari appetitus innatus. *Maj. est certa: Min. autem prob.* Quia essentia Divina connectitur metaphysicè cum suis prædicatis, & intrinsecis perfectionibus per modum radicis causa illarum omnino necessaria: ergo in essentia Divina, seu in Deo non datur appetitus naturalis per modum desiderii ad Divina prædicata, seu perfectiones intrinsecas. *Prob. conseq.* Quia ad ea, quæ necessario sequuntur ad aliquam rem, non dicitur in ea re esse appetitum naturalem ad illa: *Exempli gratia:* quia ad esse hominem sequitur esse risibilem, non dicitur hominem habere appetitum innatum ad esse risibilem; nec dicitur solem habere appetitum innatum ad lucem, quia lux est consequentia necessaria solis: ergo si ad essentiam Divinam sequuntur necessariò metaphysicè omnia Divina prædicata, & perfectiones intrinsecæ, non potest in essentia Divina dari appetitus innatus ad ea.

15 *Confirm.* Nam ad ea, quæ quis habet in sua potestate pro lubito suo, excluso omni obice, verè & propriè non datur appetitus elicitus desiderii: qua ratione non dicitur in homine esse desiderium movendi linguam; quippe potest movere linguam, cum lubitum fuerit, eo quod habere hoc modo potestatem ad motum linguæ est quasi habere præsentem ipsum linguæ motum; sed magis est habere essentiam Divinam necessitatem metaphysicam, ut ab ipsa emanent prædicata intrinseca, & Divinæ perfectiones, quam aliquid habere in sua

sua potestate pro lubito : ergo si is qui habet aliquid in sua potestate pro lubito , non habet ad illud desiderium elicitum; nec qui habet per consequentiam metaphysicè necessariam aliquam prædicata , uti habet essentia Divina sua , dici potest habere appetitum innatum per modum desiderii ad illa.

16 Ex quo facile est respondere contrariorum fundamento. Nam licet essentia Divina exigat Divinas perfectiones, & prædicata intrinseca , non exigit illas pure per modum termini ad sui perfectionem , quod erat necessarium ad rationem appetitus innati ; sed solum exigit illas per modum radicis & causæ illarum omnimoda necessitate , & connexione ad sui perfectionem , quæ exigentia (proprie loquendo) non potest dici appetitus innatus per modum desiderii.

ART. IV. An in Deo sit voluntas libera, seu liberum arbitrium?

17 Liberum arbitrium nihil aliud est , quam voluntas potens operari , aut non operari ; agere hoc , vel illud ex propria determinatione. Dari autem in Deo liberum arbitrium , seu libertatem & est notum naturali lumine , & est certissimum lumine fidei. Primum constat. *Tum* , quia si Deus operatur necessariò , & non liberè ; frustra forent hominum vota , & preces ad Deum ; at hoc esse falsum constat ex communi hominum sententia : ergo Deus non operatur necessariò , sed liberè , & consequenter pollet libero arbitrio. *Maj. prob.* Nam ad causam necessariam , quæ aliter operari non potest , nemo sanæ mentis preces & vota fundit , ut operetur. Quis enim , nisi demens ignem exoravit , ut calefaciat aut non calefaciat ? Quis solem , ut illuminet , vel lucem subtrahat ? Solum enim ab aliis experimus , votis , & precibus , quæ suo subsunt arbitrio & libertati , ut conferant : ergo si Deus non esset liber , & necessariò operaretur , dementes essent ad ipsum preces , & vota. *Conf. I.* Quia si Deus operaretur necessariò , nec esset laude , aut cultu dignus , nec ipsi conveniret reddi gratias pro beneficiis acceptis. Nam qui operatur necessariò & non liberè , nullo horum dignus est;

ut

ut patet ; ratione autem duce , mentibus hominum insitum laudes & gratias referre Deo pro beneficiis acceptis. *II.*
Quia agens liberum est perfectius agente necessario ; Deo autem adscribenda est perfectio simpliciter simplex : ergo adscribenda est ei perfectio Agentis liberi.

18 Constat etiam esse in Deo libertatem & liberum arbitrium explorimis Scripturæ locis : pauca sufficiunt Psalm. 93. v. 1. *Deus ultionum libere egit.* Ad Ephesios I. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Tum quia in omnibus Sacris Scripturis , Deus proclamat omnia rerum Dominus ; dominium autem est libera facultas utendi re pro libero voluntatis arbitrio , sine alterius injuria : ergo ex Scriptura constat esse Deo liberum arbitrium ; ac proinde omnimodam libertatem.

19 His tamen obstat difficillimum argumentum quod à plerisque summis Theologis , & merito accensetur præcipuis Christianæ Religionis mysteriis. Nam Deus non potest libero arbitrio pollere , nisi possit se exercere per actum liberum ; sed hoc est impossibile : ergo non pollet libero arbitrio. *Maj.* constat. *Min. prob.* Quia actus liber potest esse , vel non esse ; sed nihil in Deo est indifferens ad esse , vel non esse : cum omnia sint necessaria in Deo , nihilque defectibile : ergo in Deo non potest esse actus liber.

20 Hujus objectionis difficultas in varios modos Theologos divisit ; eorum tamen sententia ad duas classes facile reducere est. Nam actus liber Dei non potest constitui , nisi per aliquid intrinsecum Deo , vel illi extrinsecum , vel ex complexo intrinisci & extrinisci , ut ex sequentibus constabit.

21 *Dicendum I.* Actum liberum Dei non esse realiter distinctum ab ipso , uti censuit Vorstius Calvinista. *Tum* quia si actus liber Dei esset realiter distinctus ab ipso , esset quid creatum ; nam quidquid existit , & Deus non est , quid creatum est : ergo si actus liberi Dei sunt realiter distincti ab eo , sunt quid creatum. Ergo aliquid creatum esset ab æterno , quod est contra fidem , cum actus liberi sint ab æterno in Deo. *Tum* quia actus ille liber distinctus à Deo , vel esset improductus & per se existens ; & sic forent duo improducta , quo ni-

nihil absurdius; vel foret productus liberè à Deo, & sic antecedenter ad illum esset Deus liberè volens, quia causa est prior effectu: ergo actus liber Dei non est quid reale distinctum ab ipso. *Tum* quia actus liber est perfectio agentis liberi; sed Deus non potest perfici aliquo realiter distincto ab ipso: alias Deus non esset summè perfectus, nec summè simplex: ergo actus liber Dei non potest esse quid realiter ab ipso distinctum.

22 Dicendum II. Actum liberum Dei non constitui per actum, quo Deus se necessariò amat cum respectu rationis ad creaturam, uti aliqui tenent. *Tum* quia actus liber est actus vitalis voluntatis, sed respectus rationis non est quid pertinens ad voluntatem, sed ad intellectum: ergo respectus rationis non potest constituere actum voluntatis. *Tum* quia actus liber Dei præcedit ejus scientiam liberam: ergo scientia libera Dei supponit actum liberum Dei constitutum, quia omnis actus intentionalis tendit in objectum constitutum; & consequenter actus liber Dei non constituitur respectu rationis. *Tum* quia respectus rationis aliud non est, quam ens rationis, hoc autem Deus non potest efficere probabiliori Sententia: ergo antequam efficiatur à creatura, non potest Deus esse constitutus in ratione liberi; cum autem actus liberi Dei sint ab æterno antecedenter ad omnem respectum rationis creature, debent esse adæquate constituti. Nemo enim difficeri potest, quod actus liber Dei dicit respectum ad creaturas, & quod hic respectus non est realis, sed rationis; attamen fundamentum hujus respectus, seu relationis debet, ad ipsam relationem præsupponi; atque adeò actus liber Dei, debet supponi constitutus ante omnem respectum, seu relationem rationis.

23 Dicendum III. Actum liberum Dei constitui non posse per aliquid extrinsecum Deo, nec adæquate, ut jam probatum est contra Vorstium, nec inadæquate, ut plures censent. *Tum* quia quidquid est extrinsecum Deo, est quid creatum; sed quidquid est creatum supponit adæquate constitutum actum liberum Dei: ergo quidquid est extrinsecum Deo non potest constituere, etiam inadæquate ejus actum liberum. *Prob. Min.* Nam quidquid est creatum, est effectus voluntatis

liberae Dei se exercentis per actum liberum: ergo illum superponit adaequatè constitutum: quia omnis effectus supponit pro priori, suam causam adaequatè constitutam. *Tum* quia quidquid est extrinsecum Deo, non est ab aeterno; sed quod non est ab aeterno, non potest constituere actus liberos Dei, qui aeterni sunt: ergo quidquid est extrinsecum Deo, non potest actus liberos ejus constituere, etiam inadaequate.

24. Ex quo corruit Sententia illorum qui docent actum liberum Dei dicere intrinsecè actum necessarium ipsius Dei & connotationem, aut productionem creaturarum, quæ deficere possunt, quin deficiat entitativè actus liber Dei. *Tum* quia actum liberum Dei connotare creaturas, nihil aliud est, quam respectus ad illas: & jam ostendimus actum liberum Dei non posse constitui per respectum ad creaturas. *Tum* quia produc̄tio creaturarum activè sumpta nihil aliud est, quam actio Dei, qua producit creaturas; passivè autem sumpta nihil aliud est, quam creaturæ productæ; & utroque modo sumpta, supponit constitutum actum liberum Dei; quia Deus non agit & operatur, nisi volens pro priori; & creaturæ existunt ex voluntate Dei, uti pluribus locis id testatur Scriptura Psalm. 113. *Omnia quacunque voluit fecit & Psalm. 32. v. 9. Ipse mandavit, & creata sunt.* *Tum* quia sunt plures volitiones liberae in Deo inefficaces, quibus non correspondet aliquid productum, ut voluntas salvandi omnes homines: & nolitioni existentia A. non potest correspondere ejus existentia. Ex dictis facile est alios dicendi modos rejicere; attamen designare modum, qui plane difficultatibus satisfaciat, humano ingenio superius.

25. *Dicendum IV.* Actum liberum Dei esse ipsum actum necessarium, quo Deus se amat entitativè indefectibilem, terminatum, & extensem ad esse, vel non esse creaturarum: quæ terminatio, & extensio in ratione terminationis, & extensionis potuit Deo deficere. Ad hunc modum dicendi, meo iudicio, collimant aliorum dicendi modi, estque frequentior nostris. Videndi Gamacheus, Isambertus, Grandin, & alii agentes de voluntate Dei. Consentunt plerique Thomistarum, docti Scotistæ, & alii.

26. *Prob. nostra Sententia.* Quia Deus per actum neceſſa-

sarium quo se amat , potest extendi , & terminari ad amandas creaturas , aut non terminari & extendi ad amandum illas; sed actus , quo extenditur & terminatur ad illas amandas , potens ad illas non extendi & terminari , est actus libere , ut patet : ergo actus liber Dei non est aliud distinctum ab actu necessario , quo se amat , potens extendi , aut non extendi , terminari , aut non terminari ad creaturas . *Prob. Major.* Quia immensitas Dei propter suam infinitatem eadem immutata manens , potest de novo extendi ad essendum in creaturis , ut patet . Nam cum Deus quotidie creet animas rationales , ejus immensitas facit , ut existat in illis præcise per extensionem ipsius immensitatis , nulla facta additione , aut mutatione ipsius immensitatis , quia infinita est : ergo similiter cum amor , quo Deus se diligit , sit infinitus , idem omnino manens , potest extendi & terminari ad creaturas . *Confirm.* Quia in Sententia communi Thomistarum , & Jesuitarum subsistentia Verbi Divini , quæ infinita est , sine aliqua sui immutatione extenditur ad constituendam humanitatem Christi subsistenter : ergo pariter amor Dei , quo se ipsum amat , potest extendi & terminari ad creaturas : ac proinde , cum idem manens possit non extendi , & terminari ad illas , illemet actus per extensionem , & terminationem ad creaturas constituitur in ratione liberi .

27. *Sed Dices I.* Hæc extensio & terminatio amoris necessarii Dei ad creaturas constitutiva libertatis Dei , vel est prædicatum Divinum intrinsecum , vel non est . Si non est prædicatum intrinsecum Dei , non potest illo constitui actus ejus liber , uti jam diximus . Si est prædicatum intrinsecum Dei , ipsum constituens in ratione liberi , potuit deficere Deo , quod est impossibile : ergo actus necessarius , quo Deus se amat , non potest constitui in ratione liberi ; per extensionem , & terminationem ad creaturas .

28. *Resp.* quid hæc extensio & terminatio amoris necessarii Dei ad creaturas potest considerari dupliciter : & *entitative* , sub qua ratione est prædicatum Divinum intrinsecum , sed non distinctum ab actu necessario , quo Deus se amat : alio modo *subjective* , & *terminative* , seu ex parte subjecti , & ex parte termini : ad modum quo scientia Dei de creaturis

subjectivè est prædicatum intrinsecum Dei, & objective tale non est. Sic in præsenti extensio, & terminatio amoris Dei necessarii ad creaturas subjective, & entitativè est prædicatum intrinsecum Dei; sed objective, & terminativè non est prædicatum necessarium Dei. Ex quo non est difficile in formas occurrere objectiones.

29. *Dices II.* Talis extensio, & terminatio actus necessarii Dei ad creaturas debet dicere entitatem, & perfectionem distinctam ab actu necessario: ergo ipso actu necessario, ut extenso & terminato ad creaturas, non potest Deus constitui liber. *Prob. Ant.* *Tum I.* quia hac extensione, & terminatione constituitur Deus liberè volens in actu secundo, quod est perfectio: *Tum II.* quia illa est Deus vivens; vivere autem perfectio est. *Tum III.* quia illa constituitur causa liberæ creaturarum, quod dicit perfectionem: *Tum IV.* quia per illam exercet Deus laudabiliter suam libertatem, & nihil est laudabile, nisi ratione perfectionis: ergo prædicta extensio, & terminatio ad creaturas dicit entitatem, & perfectionem distinctam ab actu necessario, quo Deus se amat.

30. *Resp.* quod talis extensio, & terminatio non dicit entitatem, & perfectionem distinctam ab actu necessario, quo Deus se amat: & *ad I. probationem* *Resp.* quod Deum esse liberum in actu secundo est perfectio extensiva Dei, sed non entitativa, distincta ab actu necessario, quæ perfectio extensiva potuit Deo deficere sine defectu entitatis intrinsecæ: si cuti Deus est per immensitatem in anima rationali, quam de novo creat, sine additione entitatis intrinsecæ; & non sicut in prædicta anima rationali, antequam eam crearet; & non est defectus immensitatis, quod ad illam animam de novo creatam non extenderetur, unde illa extensio potuit deficere ab immensitate: Sic pariter in præsenti. *Ad II. Resp.* quod illa extensio, & terminacione est Deus vivens in actu secundo extensivè: & hoc modo vivere solum est perfectio extensiva; sed non distincta entitativè à perfectione actus necessarii. *Ad III. Resp.* quod ex extensione, & terminacione solum constituitur Deus in ratione causæ liberæ, quia talis in actu secundo: quia causa in ratione talis in actu primo, solum constituitur per virtutem productivam effectus, & hoc dicit perfectio-

fectionem intrinsecam in causa ; causa autem libera dicit posse uti , aut non uti tali virtute , & hoc constituit causam liberam in actu primo ; at Deum esse liberum in actu secundo solum dicit perfectionem pure extensivam , non distinctam entitativè à perfectione actus necessarii , quo Deus se amat .

Ad IV. *Resp.* quod per illam extensionem exercetur Deus liberè , & laudabiliter : ceterum bonitas intrinseca non alia est entitativè , quam bonitas actus necessarii ; sed extensio illius ad terminum , ad quem poterat non extendi : unde entitativè est indefectibilis , sed defectibilis terminativè : quapropter solum dicit extensionem extensivam .

31 *Sed queres :* Quo determinatur amor Dei necessarius , ut extendatur ad creaturas ? *Resp.* determinari à voluntate Divina per ipsam formalem extensionem , & determinacionem ; sicuti voluntas creata determinatur ad amandum per ipsum formalem actum amoris ; cum sit indifferens ad amandum , vel non amandum .

32 *Notandum* verò , quod sententia nostra constituens actum liberum Dei in actu necessario , quo Deus se amat , ut extenso , & terminato ad creaturas , accipi debet de extensione , & terminatione ad esse , vel non esse creaturarum absolute , & simpliciter , aut esse , vel non esse tali modo , non solum in esse physico , verum etiam in esse morali : quia sunt in Deo plures actus liberi , qui solum terminantur ad esse , vel non esse morale creature , ut dispensatio legis , & alia hujusmodi : quod præ oculis habendum ad alias questiones Theologicas elucidandas .

ART. V. An possit esse in Deo pura omissio exercitij liberi erga creaturas ?

33 **Q**uot modis contingat omissio in creaturis , non est hujus loci explicare . Omissio enim per se solum dicit carentiam actus ; & hæc posset esse pure negativa , ut quando in somno non suranur , & hæc dicitur pure negativa ; alia autem positiva & voluntaria , ut quando ipsam volumus in se , vel quando volimus aliquid ,

quod necessariò eam infert: ut quando volumus venationem, ex qua necessariò sequitur omissio Sacri. *Quod ergo queritur, est:* An stante in Deo cognitione omnium creaturarum, ejus voluntas possit suspendere exercitium liberum volendi, aut nolendi, erga earum existentiam, vel non existentiam; seu aliis terminis manere suspensa ab omni actu tam volitionis, quam nolitionis.

34 In quo communior Sententia Thomistis, & Jesuitis, & plerisque aliis docet, non posse esse in Deo puram omissionem, seu suspensionem ab omni exercitio libero. Oppositum tamen docent Thomistarum aliqui, itidem Jesuitarum ac plerique alii, ac præsertim ex nostris doctissimus Curiel lib. 1. controv. 7.

35 *Dicendum nobis:* Deum potuisse pure omittere, seu suspendere exercitia libera volendi, aut nolendi erga creaturas. *Prob.* Quia omne Dei exercitium liberum erga creaturas supponit ipsum Deum adæquatè constitutum, & consequenter infinite perfectum, nam prius est esse, quam operari: ergo potuit Dens perfectissime existere, sine omni exercitio libero. *Ant. constat, Conseq. Prob.* Quod supponit Deum perfectissimè constitutum, non est necessarium Deo ad sui existentiam & perfectionem, cum prius à posteriori non pendeat; sed exercitium libertum supponit Deum perfectissimè constitutum: ergo exercitium liberum non est necessarium Deo ad sui existentiam & perfectionem; sed Deus potuit esse sine omni eo, quod non est necessarium ad sui existentiam & perfectionem: ergo potuit esse sine omni exercitio libero erga creaturas.

36 *Confirm. I.* Quia Deus potest existere cum solis prædicatis intrinsecis, & sine omni eo, quod non addit aliquid perfectionis ad prædicata intrinseca. Nam quidquid non est prædicatum intrinsecum, est extra essentiam rei, & hac ratione potest existere sine illa; sed nec volitio, aut nolitio creaturæ A, qua liberæ, sunt prædicatum intrinsecum distinctum ab amore necessario Dei, nisi quoad extensionem, & terminationem, sub qua ratione non addunt aliquid perfectionis entitativæ amori necessario Dei: ergo Deus potest existere sine exercitio libero volitionis, aut nolitionis creaturæ A.

Con-

Confirm. II. Quia Deus potuit habere omnipotentiam sine ullo exercitio creationis, aut productionis creaturarum; quippe Deus à creaturis non dependet: ergo & potuit habere suspensam suam voluntatem ab exercitio libero creaturarum, quia non pendet in suo esse ab exercitio libero.

37 *Dices* quod omne exercitium liberum Deo supponit Deum constitutum, sed ratione sue infinitæ perfectionis necessitatum ad actus positivos voluntatis, volitionis, aut no-

litionis erga creaturem: quia talis suspensio diceret imperfectionem in Deo.

38 *Sed Contra est*: quia hoc ipso, quod exercitium liberum supponat Deum perfectissime constitutum, & non addat perfectionem intrinsecam Deo, non potest Deus esse necessitatus, nisi ab aliqua perfectione intrinseca ipsius; sed nulla est in Deo perfectio intrinseca; quæ ipsi inferat necessitatem ad exercitium liberum: ergo exercitium liberum Dei non potest supponere in ipso necessitatem ad ipsum. *Maj. constat*: quia Deus nisi ab aliqua perfectione sibi intrinseca necessitari non potest. *Min. prob.* Nam si aliqua perfectione intrinseca esset Deus necessitatus ad exercitium liberum, esset perfectione suæ scientiæ, seu intellectus Divini; nam aliæ perfectiones Divinæ impertinenter se habent ad exercitia Divinæ voluntatis; sed intellectus Divinus non potest inducere Deo necessitatem ad exercitia libera; nam intellectus solum mouet voluntatem quoad specificationem, & non quoad exercitium: ergo nulla perfectione intrinseca est Deus necessitatus ad exercitia libera.

39 *Urgetur*: quia Deo concedenda est perfectissima libertas erga creaturem, dum necessitas ex ejus intrinseca perfectione non probetur; sed non est unde appareat ex ejus intrinseca perfectione necessitas in Deo ad volendum, vel nolendum actu positivo esse, vel non esse creaturarum: ergo talis necessitas adstruenda in Deo non est. *Min. ex solutione argumentorum constabit.*

40 *Prob. II. nostra Sententia*: Quia Deus erga quamlibet creaturem habet libertatem contradictionis: sed libertas contradictionis est ad actum & actus parentiam: ergo Deus erga quamlibet creaturem potest habere parentiam actus; at

carentia actus est pura suspensio, & omissio negativa illius: ergo in Deo potest esse suspensio actus & omissio negativa.

41. *Dives*: quod in Deo est libertas contradictionis objectivè accepta, hoc est, ad esse, vel non esse creaturæ: quæ sunt extrema contradictoria; non verò subjectivè accepta, hoc est, quod possit ponere actum, & non ponere per puram carentiam actus.

42. *Sed Contra est I.* Quia in creatura libertas contradictionis non est solum objectiva, sed etiam subjectiva ad actum & carentiam actus, ut ad amorem, & carentiam amoris: ergo potiori jure hæc libertas contradictionis ponenda est in Deo. *II.* Quia si Deus non haberet potestatem contradictionis subjectivè acceptam erga esse, vel non esse creaturarum; deberet se exercere volitione, aut nolitione creaturarum; sed hoc est falsum: ergo Deus habet potestatem contradictionis, subjectivè acceptam erga quainlibet creaturam. *Prob. Min.* Quia ad non esse creaturarum sufficit carentia voluntatis ex parte Dei, cum non stante volitione ad esse creaturarum ex parte Dei, repugnet creaturam esse: ergo stante carentia voluntatis ad esse ex parte Dei, ut creatura non sit; non est necessariò nolitio positiva ex parte Dei. Quod concedunt plures Thomistarum, licet alii communius refragentur; & hi erga infinitas combinationes possibilium, & futurorum contingentium docent: Deum exercere suam libertatem per velle, aut nolle possitivè: quod & videtur superfluum, & apparet incredibile in rebus ridiculissimis, quales sunt combinationes, quæ fieri possunt, Deum positivè exercere suam libertatem.

43. *Arg. I. contra nostram sent.* Suspensio, & pura omissio omnis exercitii liberi dicit imperfectionem in Deo: ergo non potuit esse in ipso, ut pote incapaci alicujus imperfectionis. *Ant. prob. I.* Quia suspensio, & negatio omnis exercitij liberi dicit puram negationem illius; sed pura negatio exercitij liberi dicit in Deo imperfectionem: ergo suspensio, & pura omissio omnis exercitii liberi diceret in Deo imperfectionem. *II.* Quia prædicta pura omissio & suspensio solum esset voluntaria Deo interpretative: alias non esset pura omissio.

omissio; sed voluntarium interpretativum dicit imperfectio-
neum: ergo prædicta omissio diceret in Deo imperfectionem.

44 *Resp. negando Ant.* & ad I. probationem dicimus:
quod negatio & omissio omnis exercitii liberi non dicit in
Deo imperfectionem positivam, sed solum carentiam perfe-
ctionis positivæ, & hujus non perfectionis necessariae, sed
præcisæ perfectionis extensivæ, & liberæ, sine qua potest
Deus in suo esse perfectissimè consistere. *Ad II.* *Resp.* quod
omissio, & suspensio omnis exercitii liberi in Deo non ipsi
esset voluntaria interpretativæ; sed esset formaliter volunta-
ria, quatenus esset exercitium negativum & extremum libert-
atis contradictionis Dei. Nam contradictorium positivi ne-
cessarii, & immediate quia negativum est: atque adeò illud
negativum, quatenus extremum in libertate contradictionis,
est per se voluntarium per ipsammet negationem. Ex quibus
facile est respondere in forma.

45 *Sed dices:* Deus non potest exerceri liberè, quin vivat
in actu secundo per tale exercitium: sed pura omissio non
potest constituere Deum viventem in actu secundo: eo quod
non est actus, sed purum nihil: ergo non potest Deus exerce-
ri liberè per puram omissionem. *Resp.* quod pure omittere
non est vivere in actu secundo positivè, quia omissio non est
actus; atamen omittere pure cum potentia non omittendi
est exercitium libertatis contradictionis negativum: ac proln-
de quasi exercitium vitale libertatis contradictionis.

46 *Arg. II.* Deus non potest exerceri liberè per aliquid
ab ipso distinctum; sed omissio & suspensio exercitii liberi est
aliquid ab ipso distinctum, cum sit nihil, & hoc distinguatur
ab amore necessario Dei: ergo Deus non potest exerceri libe-
rè per omissionem & suspensionem omnis actus. *Resp.* quod,
licet Deus non possit exerceri liberè exercitio libertatis con-
trarietas per aliquid realiter ab ipso distinctum; potest ta-
men liberè exerceri per libertatem contradictionis per omis-
sionem puram, quæ est distincta ab ipso: nam hoc est de es-
sencia Agentis liberi libertate contradictionis.

47 *Sed dices:* Amor Dei necessarius, ut prævenit exerci-
tium liberum, non constituit Deum omittentem pure: ergo
Deus debet constitui omittens ratione alicujus exercitii liberi;

&

& consequenter non potest esse in Deo omissio libera. *Resp.* quod amor necessarius Dei pro instanti, quo cognoscitur, posse extendi ad creaturas, & non extendi illa negatione extensis, constituitur omittens, & cum posset non omittere, per ipsam omissionem constituitur voluntariè omittens.

48 *Arg. III.* Agens intellectuale perfectissimum deber operari perfectissimo modo propter finem; sed perfectissimus modus operandi propter finem est operari per actum: ergo supremo Agenti intellectuali perfectissimo, qui Deus est, necessariò convenit operari actu propter finem, & non per omissionem. *Resp.* quod Deus non est necessitatus ad operandum propter finem (loquendo absolute) solum autem ex suppositione, quod velit operari, est necessitatus ad operandum propter finem: unde ad puram omissionem non est necessarius aliis finis, quam Deum exercere libertatem contradictionis per extremum negativum; sicuti in aliquorum sententia, potest voluntas exerceri actu indifferenti in individuo præcise propter ipsum exercitium libertatis.

49 *Sed dices.* Repugnat Deo exercitium liberum, quod non sit laudabile, sed pura omissio non potest esse laudabilis, cum sit nihil: ergo pura omissio non potest esse in Deo. *Resp.* quod licet repugnet Deo exercitium liberum positivum, quod non sit laudabile, non id repugnat exercitium negativum, propter summam libertatem & independentiam à creaturis: quod dicere tenentur Thomistæ, qui docent Deum suspensivè se habuisse erga infinitas combinationes possibilium.

ART. VI. *An Deus possit exerceri liberè in tempore erga id, quod non voluit ab æterno?*

50 **Q**uod est querere An Deus habens se ab æterno suspensivè erga creaturam A. possit liberè discernere in tempore ejus existentiam; vel supposito, quod ab æterno noluerit esse; possit in tempore velle ejus existentiam. Pro quo supponendum est Deum ab æterno cog-

cognoscere comprehensivè creaturam A. ejus bonitatem, & omnes ejus conducentias, seu proportionem ad omnes fines ad quos est ordinabilis. Aliqui Theologi docent non repugnare Deo velle in tempore, quod ab æterno non voluit; at-tamen communis Sententia Thomistarum, Scotistarum, & Jesuitarum, atque nostrorum oppositum docet.

51 *Dicendum est:* Deum in tempore non posse aliquid velle quod ab æterno non voluit. *Probant quidam:* quia si Deus vellet aliquid in tempore, quod ab æterno non voluit, mutaretur, siquidem transiret de non volente, in volentem; sed Deus est mutationis incapax juxta illud Malachia 3. *Ego Deus, & non mutor:* ergo Deus est incapax volendi in tempore, quod ab æterno non voluit. Hæc tamen ratio non videtur omnino efficax, nam ex casu non mutaretur Deus intrinsecè & entitativè per novam volitionem; sed solum extensivè, & terminativè in quantum volitio, qua se Deus amat necessariò, extenderetur & terminaretur de novo ad illam creaturam; ad modum quo de novo, & in tempore subsistentia Verbi Divini terminavit & constituit humanitatem Christi sine aliqua sui mutatione.

52 *Prob. ergo efficaciter nostra Sententia:* quia Deus non potest velle in tempore, quod ab æterno non voluit negative aut positivè, sine defectu, & imperfectione levitatis, aut inconstantia; sed hoc repugnat Deo: ergo repugnat ipsi velle in tempore, quod ab æterno non voluit sive negative, sive positivè. *Prob. Maj.* Quia mutare determinationem sive positivam, sive negativam, nova ratione non occurrente, est defectus, & imperfectio levitatis & inconstantia, ut patet; sed si Deus in tempore vellet quod ab æterno non voluit, mutaret determinationem sive omissivam, sive positivam sine nova ratione & motivo ex parte objecti: ergo Deus non potest velle in tempore quod ab æterno non voluit, sine defectu, & imperfectione levitatis, & inconstantia. *Prob. Min.* Quia Deo ante determinationem sive omissivam, sive positivam erant ab æterno præsentia omnia motiva: ergo in tempore non potest occurrere aliquod motivum ad mutandam determinationem sive omissivam, sive positivam.

53 *Sed Objicies I.* Per hoc quod Deus vellet in tempore

quod ab æterno non voluit, non accresceret ipsi aliqua perfectio intrinseca, nec illi deficeret: quippe ea volitio in tempore non adderet, nisi puram terminationem ad creaturam actui necessario, quo se Deus diligit: ergo potest velle in tempore quod non voluit ab æterno. *Resp.* quod si Deus vellet in tempore, quod ab æterno non voluit, licet non accresceret Deo per ipsam volitionem aliqua perfectio intrinseca ex parte actus; deficeret ipsi perfectio intrinseca ex parte ipsius Dei: sicuti, si peccaret, deficeret perfectio intrinseca sanctitatis: & si non staret promissis, deficeret prædicatum intrinsecum fidelitatis: hæc autem perfectio, quæ Deo deficeret, si vellet in tempore quod ab æterno non voluit, esset constans in determinatione.

54 *Objicies II.* Deus infinita & summa libertate gaudet erga creaturem: ergo non solum est liber in volendo esse, vel non esse earum fines, ad quos ordinari possunt; sed etiam quando voluerit: ergo potest velle in tempore quod ab æterno non voluit. *Prob. Conseq.* Quia qui potest ponere actum, quando voluerit, potest illum ponere in tempore determinato; sed Deus habet potestatem ad actum, quando voluerit: ergo habet potestatem ad ponendum illum in tempore.

55 *Resp.* Quod Deus gaudet summa libertate componibili cum perfectionibus intrinsecis; secùs libertate incompositibili cum eis: qua ratione non gaudet libertate ad peccandum, nec ad mentiendum, nec ad non reddenda promissa: Cum ergo velle in tempore, quod antea non voluit, sit contra perfectionem ejus constantiæ, nequaquam gaudet libertate ad volendum in tempore, quod antea non voluit.

56 *Sed Insistes:* Potest aliquis sine labore inconstantia, aut levitatis virtus velle quod noluit: esto esset eadem omnino cognitio objecti, pro solo voluntatis nutu & libertate: ergo ex hoc quod Deus vellet in tempore, quod antea non voluisset, non sequeretur inconstantia & levitas in Deo. *Prob. Ant.* Nam si alicui donaret Deus cognitionem comprehensivam status Religiosi, & determinaret non amplecti statum Religiosum: & postea determinaret amplecti, id facheret sine labore inconstantia & levitaris, ut patet; sed etiam solum mutaret determinationem ex nutu libertatis & voluntatis, cum

nova cognitio supervenire non posset, supposita antecedenter cognitione comprehensiva objecti: ergo sine labe inconstantia, aut vitio levitatis potest aliquis velle, quod antea non voluit.

57 *Resp.* quod in homine (quidquid de Angelis sit) potest contingere, quod possit velle quod antea non volebat, stante omnino eadem cognitione objecti, sine nota levitatis & inconstantiae, quia homini convenit non impedire ad meliora; qua ratione, quod est impeditivum majoris boni, non potest esse materia voti. Nam homini est conveniens & expediens omnimoda conformitas cum voluntate Dei, non solum præceptiva, sed consiliativa; & hac ratione, potest homini convenire, sine nota levitatis, aut inconstantiae, stante eadem objecti cognitione, quod possit velle quod antea non volebat; at in Deo, quod non sit majus bonum intrinsecum velle esse creaturam, quam non velle esse illius; alias ad id, quod esset Deo majus bonum intrinsecum necessitatus, & aliunde ad meliora non sit necessitatus, ut postea dicemus. Hinc fit, quod Deus ex sua constantia est necessitatus ad non mutandam præconceptam determinationem.

ART. VII. *An actus liberi Dei possint deficere, aut de facto deficiant?*

58 **H**ec quæstio, meo judicio, magis est de voce, quam de re. Nam ex dictis constat actum liberum Dei esse ipsum amorem Deo necessarium, ut extensum, & terminatum ad creaturam: inde entitative sumptus est indefectibilis. Quapropter difficultas solum potest esse de defectibilitate in ratione liberi, ita ut dici possit defecisse, aut posse deficere in ratione actus liberi. Pro quo præ oculis habendum quod diversitas actuum liberorum Dei stat, prout à nobis concipitur, ex diversitate creaturarum ad quas terminantur sub eisdem omnino circunstantiis: nam aliqua earum variata, jam non est idem actus liber, sed alius, quippe objectum non est omnino idem.

59 *Supponendum, quod decreta libera alia sunt absolu-*

luta, & de re presente, ut decretum de existentia Angeli, quod adhuc terminativè deficere non potest de potentia ordinaria Dei; & alia de rebus sub conditione defectibilibus, aut defectibilibus alio modo, & de decretis liberis. Primo modo non est quæstio; sed solum de decretis liberis terminatis ad res defectibiles. In quo plurimi docent actus liberos Dei nullatenus posse deficere in ratione actus liberi, sed omnes in ratione talium mensurari eternitate, & nunc permanere; oppositam tamen Sententiam tenent non pauci, ac etiam doctri Recentiores.

60 *Dicendum nobis*, quod decreta libera Dei, quatenus libera, formaliter deficere possunt. *Prob. nostra Sententia.* Nam deficienteo quod est necessarium ad constitutionem actus liberi Dei, deficit ipse actus liber; sed potest deficere, ac de facto deficit quod est necessarium ad constitutionem actus liberi Dei: ergo actus liber Dei potest deficere: *Major est certa.* Nam deficientibus constitutivis alicujus rei, ipsa res deficit. Quapropter in Sententia Jesuitarum unum ex constitutivis actus liberi creati est carentia prædeterminationis, ipsa carentia deficiente, deficit actui libertas. *Min. prob.* Nam constitutivum actus liberi Dei est terminatio actus necessarii, quo se diligit, ac creaturem juxta varios dicendi modos jam relatos; sed hæc terminatio potest deficere & de facto deficit: ergo deficere potest, & de facto deficit constitutivum actus liberi Dei. *Min. prob.* Nam deficiente termino, deficit terminatio, sicut deficit actio termino deficiente; sed potest deficere, & de facto deficit terminus prædicta terminationis liberae: ergo potest, & de facto contingit, quod deficiat prædicta libera determinatio. *Prob. Min.* Nam terminus terminationis liberae Dei dandi Petro sanctam cogitationem est ipsa sancta cogitatio; sed hæc deficit, transit, & amplius non est, sicuti pleraque auxilia transiuntia, ut etiam Divinæ illuminationes: ergo terminus terminationis liberae Dei non solum potest deficere; sed & de facto deficit.

61 *Confirmatur.* Nam si aliqua creatura possibilis fieret impossibilis, deficeret Deo scientia illius sub denominatione scientia simplicis intelligentie: similiter futurum ante quam existat, cognoscitur à Deo scientia futurorum: ipso autem exist-

existente, deficit cognitio illius sub ratione futuri, ac cognoscitur scientia visionis, ac deficiente existentia, deficit scientia visionis illius, & succedit scientia præteriorum: & hoc non alia ratione, nisi quia deficere & variari potest objectum: ergo similiter deficiente termino actus liberis Dei, non potest non deficere actus liberis Dei sub ratione liberis formaliter.

62 *Respondent adversarii* quod, licet terminus actus liberis Dei possit deficere, & deficiat respectivè ad nunc temporis, quo realiter exiit; tamen respectivè ad nunc æternitatis nunquam deficere; quia semper manet cum eodem respectu ad terminum pro nunc temporis, pro quo in æternitate terminavit actum liberum Dei.

63 *Sed Contra est.* Quia in omni duratione, deficiente forma denominante, deficit denominatio sive intrinseca, sive extrinseca: quippe duratio est quid intrinsecum denominatione; sicuti in omni duratione, deficiente præsentia objeci, deficit cognitio intuitiva illius: ergo etiam in duratione æternitatis, deficiente termino actus liberis, non potest non deficere ipse actus liberis.

64 *Confirmatur.* Quia si deficiente termino, non deficeret actus Dei per respectum ad nunc æternitatis; sequeretur verè & propriè permanere in Deo odium erga D. Petrum Apostolum Christum negantem; permanereque odium inimicitia, erga justos, & beatos, qui letaliter peccavere. Nam actus ille odii & inimicitia persistit in Deo pro nunc æternitatis relate ad tempus, quo D. Petrus peccavit, & peccavere justi & beati; at hoc est falsum: ergo deficiente termino, verè & realiter pro qualibet duratione, deficit terminatio actus liberis Dei. *Prob. Min.* Quia, si nunc persisteret odium Dei erga D. Petrum, justos, & beatos relate ad tempus quo peccavere, nunc remaneret, & persisteret in Deo, voluntas malum æternum inferendi B. Petro, justis, & beatis: quippe odium inimicitia in Deo aliud ab hoc non est; sed nunc nulla est voluntas in Deo malum æternum inferendi B. Petro, justis, & beatis: ergo nunc relate ad æternitatem non persistit odium Dei erga D. Petrum, justos, & beatos relate ad tempus, quo peccavere. *Prob. Min.* Quia respectu
beatis

beatorum nulla est voluntas in Deo malum æternum inferendi: quippe in sensu composito beatitudinis est omnis impossibilis; etiam relate ad tempus, quo peccavere: idemque de justificatis, de quibus Concilium Tridentinum docet nihil damnationis æternæ remanere in eis: ac proinde, etiam relate ad tempus quo peccavere, nihil damnationis æternæ remanere in eis: ergo nunc non persistit odium Dei erga D. Petrum, justos, & beatos relate ad tempus, quo peccavere.

65. *Objicitur I.* contra nostram Sententiam ex pluribus Scripturæ locis, & SS. Patribus afferentibus voluntatem Dei esse immobilem, & consilia Dei perpetuam retinere immobilitatem; ac proinde ejus decreta libera nunquam deficere. Attamen pleraque Scripturæ loca extra rem sunt: quia aut sunt de decretis liberis absolutis, aut de voluntate Divina præceptiva, comminatoria, aut promissoria. Nam voluntas efficax Dei semper impletur, voluntas Dei præceptiva, & comminatoria pœnarum semper est eadem; & ejus voluntas promissoria deficere non potest. Unde in his Divina voluntas semper permanet, & deficere non potest; atque adeo est immutabilis & perpetuam retinet immutabilitatem; non vero loquuntur de voluntate Dei, ut libere terminata ad creaturas, in qua, deficiente termino, non deficeret actus quoad entitatem, sed solum quoad exercitium, & denominationem liberi: sicuti si Deus in nihilum reduceret aliquam creaturam, non deficeret immensitas in Deo, sed solum exercitium immensitatis in illa.

66. Nec aliud intendunt SS. PP. his loquendi modis: asseruntque voluntatem Divinam esse immobilem, quia mutari non potest contraria voluntate; vel quia in executione effectus a nulla creatura potest impediri; non autem loquuntur in sensu nostræ questionis. Nam si SS. PP. audirent nunc vere & realiter existere in Deo odium inimicitiae erga D. Petrum pro tempore negationis; & è contra amorem amicitiae ad damnatos pro tempore, quo fuerunt in gratia, meo judicio exhorrescerent.

67. *Objicitur II.* Nam aetibus liberis Dei tribuenda est omnis perfectio, quæ cum corum assentia non repugnet; sed ad

ad perfectionem actuum liberorum Dei pertinet, quod si semel existunt, semper necessario durent, & hoc non pugnat cum corum essentia: ergo actus liberi Dei hoc ipso, quod existant, debent necessario durare, atque adeò deficere non possunt. *Prob. Min.* Quia actus liber Dei est quid intrinsecum ipsi: ergo cum ejus libertate, & perfectione componitur quod necessario duret. *Prob. Conseq.* Quia quod est intrinsecum Deo, semper durat necessario: ergo si actus liber Dei est quid intrinsecum Deo, semper durat, & deficere non potest. *Confirm.* Quia actus intrinsecus Dei, hoc ipso quod existat, mensuratur aeternitate: nam haec, *Deus est volens creaturas*, est denominatio intrinseca ipsi; sed quod mensuratur aeternitate, necessario durat: ergo actus liber Dei intrinsecus ipsi necessario durat, & consequenter deficere non potest.

68. *Resp. ad Arg. neg.* indefectibilitatem non pugnare cum essentia, & constitutione actus liberi Dei, qualibet formaliter. Quia, cum constituitur formaliter per terminacionem ad creaturam, deficientे terminatione, deficit, qua talis formaliter: actus etenim liber Dei, etsi sit quid intrinsecum Deo ex parte entitatis actus; ex parte terminationis & termini est quid extrinsecum Deo, sine quibus Deus existere potest: sicuti eadem ratione potuit Deo deficere scientia humi futuri liberi A. quia potuit non esse futurum. Nam deficiente objecto, deficit scientia, & hoc non est posse deficere scientiam Dei subjectivę, sed tantum objectivę, hoc est, non extendi ad futurum liberum A. atque adeò pari modo cum actus liber Dei, qua talis, constituitur per terminacionem ad creaturas, quoties haec terminatio defectibilis sit, defectibilis erit in actu non entitas, sed ratio & denominatio liberi: Sentiē contrā in Sententia plurium Theologorum afferentium, eundem actum charitatis viæ posse permanere in patria: ille actus desinit esse liber per hoc quod reguletur clara Dei visione, quin actui aliquid deficiat.

69. *Ad conf. Resp.* quod aeternitas (ut jam dictum) nihil aliud est, quam ipsa necessitas metaphysica Dei ad existendum pro omni duratione conceptibili: unde si decretalibera Dei habent necessitatem metaphysicam ad existendum pro omni duratione conceptibili, mensurabuntur adæquatae aeternitatis

nitate, & erunt indefectibilia; qua formaliter libera: & hoc est, quod vertitur in questionem. Verum omnino est, quod id, quod est purò intrinsecum Deo, aeternitate mensuratur: quia quod est intrinsecum Deo connectitur essentialiter cum illo, ac proinde habet necessitatem ad existendum pro omni duratione conceptibili: at verò actus liber Dei cum ipso non habet metaphysicam connexionem: quia potest Deus existere sine illo, qua libero formaliter, & qua tale constituantur per terminationem ad creaturam defectibilem: indeque est, quod actus liber Dei non mensuratur adæquatè aeternitate; sed solùm mensuratur illa à parte ante, quatenus non potest incipere in tempore propter jam dicta; sed non mensuratur illa à parte post, quia potest deficere non entitative, sed terminative.

ART. VIII. *An Deus sit moraliter necessitatus ad potiora, seu meliora?*

70 **V**aria sunt species necessitatis moralis: alia est necessitas vaga, qua in nullo residet determinate, ut quod sint Agricolæ, & Opificis, Sacerdotes, & Ministri in Republica: qua necessitas in nullo est determinata: & haec non est ad rem pro praesenti questione. Alia est necessitas ex consuetudine & moribus inducta. Nam eo ipso, quod habitus sit potior, inest major facilitas ad actus, & major difficultas ad actus oppositos: atque adeò qui in gradu excellentissimo habitus habent, videntur quasi moraliter necessitati ad actus. Similem necessitatem inducunt in hominibus preces importunæ & minæ, continuatio occasionum, & alia hujusmodi, cuius generis necessitatis est Deus omnino incapax; quia ex his nec subest Deo facilitas, nec difficultas ad operandum.

71 Ex his necessitas moralis in Deo nihil aliud potest esse, quam quædam innata propensio ipsius bonitatis ad exequendum meliora: ad modum, quo homines habent naturalem propensionem ad patriam, in qua sunt nati, & enutriti; & sicut et inclinat ad partem, ubi maius est pondus. Sed no-

tandum, quòd melius & optimum, & potest esse negativè tale respectu sui contradictorii; atque adeò quodlibet ens est melius sui carentia: & aliud positivè tale, quia excedit aliud positivum in bonitate & perfectione: qua ratione dicitur melior panis, & melius vinum comparativè ad alium panem, & aliud vinum minoris perfectionis & bonitatis. Aliud deniq; dicitur optimum, & melius per ordinem ad finem: quia efficacius ad finis executionem, ut contingit in medicamentis. Aliqui igitur Theologorum censuere Deum ex propria bonitate moraliter necessitatum ad potiora, & meliora. Ex nostris Fuller disp. 3. latè. Ceterùm huic opinioni refragan-
tur communiter Theologi.

72 Dicendum Deum nullatenus esse moraliter necessita-
tum ad optimum, seu ad melius. *Prob. I.* Quia creaturæ
nullo modo sunt necessariæ Deo, juxta illud Psalmi 15.
Deus meus es tu, quoniam honorum meorum non eges: ergo
Deus non potest habere necessitatem moralem ad illas. *Prob.*
Conseq. Quia id quod nullo modo est necessarium alicui,
non potest esse illi moraliter necessarium; sed Deo nullo mo-
do sunt necessariæ creaturæ. Nam cum causa præcedat effe-
ctum, supponitur necessario pro priori perfectè & adequate
constituta: ergo creaturæ non possunt esse moraliter necessariæ
Deo. Hic discursus est S. Augustini lib. 83. qq. 22. ubi
ait: *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas: ubi nullus defectus,*
nulla indigentia; nullus autem defectus in Deo: nulla ergo
necessitas.

73 *Dices:* quod Deus ex creaturis nulli subest morali
necessitati; sed solum subest illi ex propria bonitate, quæ
est sui summè communicativa ad extra: atque adeò ad me-
liora propensa, quod tam longè abest ab imperfectione, ut
potius sit perfectio, sicuti est impotentia peccandi.

74 *Sed Contra est.* Quia si necessitas moralis ad optimam
provenit in Deo ab ipsis bonitate, non solum erit necessi-
tas moralis, sed etiam necessitas metaphysica; sed hoc ne-
gant Auctores adversi: ergo ad optimam nullo modo est ne-
cessitas moralis in Deo. *Prob. Maj.* Quia quod provenit ne-
cessariò à prædicato intrinseco Dei, non potest ab ipso de-
scire, & est ipsis necessarium metaphysicè: ergo si necessitas

moralis ad optima in Deo provenit ab ipsius bonitate, quæ est prædicatum intrinsecum ipsius, & ab ipso indefectibiles, talis necessitas non solum erit moralis, sed & metaphysica.

75 *Nec valet dicere*: quod ea major propensio & inclinatio in Deo ad optima & meliora subest omnino libertati Dei, in eorum executione; ac proinde talis necessitas moralis ad optima, & meliora non est necessitas metaphysica, sed purè moralis. Non, inquam, id valet: *Tum* quia licet Deus habeat libertatem omnimodam ad exequenda optima, non habet libertatem ad non habendam talem propensionem & inclinationem, cum sit innata ejus bonitati: ergo cum hanc necessitas moralis stet in prædicta inclinatione, non solum erit necessitas moralis ex parte Dei, sed etiam necessitas metaphysica. *Tum* quia si Deus habet libertatem exequendi, aut non exequendi meliora, si pro libertate, qua potest, meliora non excupatur, operabitur contra propriam inclinationem sanctam, & justam; sed hoc non potest concedi de Deo: cum concedi non possit in creatura sine imperfectione: ergo nullatenus talis inclinatio concedenda est Deo, concessa ejus omnimoda libertate.

76 *Prob. II. nostra Sent.* Quia Deo in ordine ad creaturas danda est talis libertas, qua major ex cogitari non possit; sed major est libertas carens necessitate morali, quam ligata morali necessitate, ut ex se constat: ergo Deus in ordine ad creaturas habet omnimodam libertatem, nulla morali necessitate ligatum.

77 *Conf.* Quia Deus non minus est liber in creaturarum productione, quam in earum conservatione; sed Deus nulla morali necessitate tenetur ad conservationem creaturarum: ergo & nulla necessitate tenetur ad earum productionem. *Maj. est certa, Conseq. tenet, & Min. prob.* Quia Deus habet perfectissimum dominium super creaturas: ergo nulla morali necessitate ad earum conseruationem tenetur: cum dominium nihil aliud sit, quam expedita facultas, hoc est, nullo modo impedita, utendi re prout Domino libuerit.

78 *Prob. III. nostra Sent.* Quia si Deus est moraliter necessitatus ad meliora, vel esset ad meliora negative: & hoc non

non potest dici : quia fuisset moraliter necessitatus ad productionem hujus arenæ A. quam de facto produxit ; nam hæc arena est melior suo contradictorio : & ponere Deum hoc modo necessitatum ad arenam A. meo judicio est absurdum. Vel esset necessitatus ad meliora positivè ; & nec hoc potest dici ; nam Deus cum produxit hunc mundum , vel cognovit possibilem meliorem , vel non cognovit : si non cognovit meliorem : ergo non est possibilis melior : quia si esset possibilis melior , cognovisset utique , cum omnia possibilia comprehendens cognoscat. Dicere autem non esse possibilem perfectiorem mundum temeritate non vacat. Si autem est possibilis potior mundus , ergo cum hunc produxit , produxit utique contra propriam inclinationem ad meliora. Si denique Deus esset moraliter necessitatus ad meliora per ordinem ad finem : cum Deus hominem creaverit ad consequendam vitam æternam , sequitur quod Deus sit moraliter necessitatus ad conferendum homini potiora auxilia ad eam consequendam ; ac proinde auxilia , quæ prævidentur efficacia ; quia hæc sunt meliora in ordine ad hunc finem : quod non concedent Auctores contrarii : ergo de primo ad ultimum nulla est necessitas moralis in Deo ad potiora , seu meliora.

79 Arg. I. ex Concilio Francofordiensi in Epist. ad Episcopos Hispaniæ , ubi dicitur : *Credamus Deam omn' a velle , quæ meliora sunt.* Et D. August. lib. 3. de Libero Arbitrio , cap. 3. *Quidquid vera ratione connaturalius occurrit , hoc scias fecisse.* Simili modo loquuntur alii PP. sed hoc non potest aliunde provenire in Deo , nisi ex inclinatione ad meliora sibi necessaria & innata : ergo Deus habet innatam , & sibi necessariam inclinationem ad meliora.

80 Resp. Argumentum probare (ut dictum est) necessitatem metaphysicam ad meliora : *deinde dicimus* Concilium Francofordiense , & PP. cum docent Deum velle meliora , solum id doceret ex ordine , decreto , aut suppositione , sibi omnino libera ; non ex necessitate morali inducta à majori inclinatione ad majus bonum : quia omnia bona creata in conspectu ejus sunt , quasi non essent. Isaïæ cap. 40

81 Arg. II. ex illo Christi Lucæ cap. 11. *Si vos cum filiis mali , nos filis bona filii vestris , quanto magis Pater vester de-*

Cœlo? Sed Pater terrenus est necessitatus moraliter ad datum meliora filiis : ergo Deus , qui est Pater Cœlestis , erit moraliter necessitatus ad communicandum meliora.

82 *Resp. concessa Min. & negata Conseq.* Magnum enim interest discriminem inter Patrem terrenum , & Deum. Nam Pater terrenus obligatione tenetur erga filios , & sic tenetur majora bona eis procurare ; at verò Deus nulla obligatione tenetur erga creaturas , cum sit Dominus omnium creaturarum , & nulla indigeat ; ac proinde nulla potest teneri necessitate erga creaturas.

83 *Sed dices :* Deus semper fecit meliora : ergo habet inclinationem ad meliora. *Resp.* quòd in præsenti providentia Deus fecit meliora ex propria deliberatione , aut suppositione sibi libera ; non verò ex propensione innata , & sibi non libera. Nam et si Deus sit summe sui communicativus quasi in actu primo , hoc est , quia se potest communicare ; attamen in actu secundo non est sui communicativus , nisi dependenter ab ejus libertate ; per quod fit satis tacita objectioni.

84 *Arg. III.* Voluntas Divina necessariò se conformat cum dictamine Divini intellectus ; sed Divinus intellectus approbat quod est majus bonum , & dictat melius esse eligere optimum : ergo voluntas Divina necessariò fertur in id , quod est majus bonum , & in optimi electionem. *Conf.* Quia Divinus intellectus non approbat malum , non potest Divina voluntas in illud ferri : ergo quia intellectus Divinus approbat id quod est melius , voluntas Divina in id , quod est melius , fertur.

85 *Resp. Argum.* probare necessitatem metaphysicam in Deo ad optima , vel non probare necessitatem moralem. *Divimus ergo* , quod aliud est dictamen speculativum Divini intellectus , quo judicat res , prout sunt in se : quod dictamen est necessarium in Deo , & pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ , quo ea , quæ sunt aliis meliora , necessariò cognoscit meliora ; & sub hac ratione voluntas Divina non tenetur conformari cum dictamine speculativo Divini intellectus ; aliud est dictamen practicum Divini intellectus ad rerum exceptionem & sui communicationem ; & nec cum hoc tenetur voluntas Divina conformari cum propter sui perfectissimam

libertatem, tum quia subsunt Deo plurima motiva, propter quae sanctissimè & honestissimè potest non eligere. Quapropter, dum non probetur voluntatem Divinam esse necessitatem ad conformandum se dictamini pratico Divini intellectus, nullatenus probatur necessitas moralis in Deo ad optima. *Ad Confirmat.* respondet voluntatem Divinam habere repugnantiam ad malum, eaque de causa non posse in illud ferri; attamen cognitio Dei speculativa, qua cognoscit majus bonum, non est necessariò dictamen practicum, ut Divina voluntas necessariò feratur in illud: atque adeò voluntas Divina omnis necessitatis expers, potest ferri in minus bonum. *Nec refert dicere ex nostra doctrina,* posse esse in Deo inclinationes contrarias, quia nunquam concedimus in Deo erga creaturem inclinationem innatam, sed solum electionem omnino liberam.

86 *Cum his stat*, quod Deus ex suppositione sibi libera, non solum sit necessitatus moraliter, sed etiam metaphysicè ad aliquid creatum, ut ex decretis & promissionibus factis & electione finis, ad quem est simpliciter necessarium aliqd medium: quia, ut ait Apostolus. *Deus se ipsum negare non potest*, ut ex propriis locis constabit.

ART. IX. *De amore Dei erga se ipsum.*

87 **E**xpeditis quæ ad libertatem Dei pertinent, prægredimur ad examen objecti terminativi Divinae voluntatis. Quæritur ergo I. An Deus se, & sua attributa, cæteraque prædicata intrinseca amat, & quomodo.

88 *Dicendum I.* quod Deus se, & omnia prædicata intrinseca sive absoluta, sive relativa, si in proprio conceptu dicunt perfectionem, amat. *Ratio*, quia bonum est per se amabile & unicuique proprium; sed Deus & omnia ejus prædicata intrinseca sunt infinitè bona, & maximè propria ipsius: ergo Deus se & omnia prædicata intrinseca ipsius amat. *Ulterius:* Quia Deus vult omnia creata propter semetipsum, juxta illud Proverb. cap. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est in nobis Domine:* ergo potius semetipsum amat: eo quod non stat, quod aliquid ametur propter aliud, & hoc non ametur

jux-

juxta illud, propterquod unumquodque tale, & illud magis.

89 *Dicendum II.* Deum se & sua prædicata intrinseca amare necessariò quoad specificationem, hoc est, ita se ipsum amat, ut in se ipsum non possit tendere per actum odii, seu se ipsum non potest odio habere. *Ratio est:* quia voluntas non potest tendere in objectum per actum odii, nisi in ipso repræsentetur aliqua ratio mali: eo quod sicut objectum amoris est bonum; ita odii est malum; sed in Deo per Divinum intellectum nihil potest repræsentari mali: cum Deus sit infinitè bonus, & Divinus intellectus necessariò repræsentet ipsum, uti est in se: ergo voluntas Divina non potest tendere in Deum per actum odii; sed necessariò debet tendere per amorem, quod est esse necessitatam ad speciem actus sine libertate ad actum contrarium.

90 *Restat disquinere I.* An quoad exercitium amoris sit voluntas Divina ita determinata, ut non possit omittere amorem; vel illum suspendere, hoc est, ita ut in amore nulla gaudeat libertate contradictionis. *Dicendum cum communi Sententia*, Deum se amare necessariò quoad exercitium. *Varia sunt fundamenta Theologorum*: potiora expendemus. *Prob. I.* *Quia* Deum se exercitè amare est perfectio simpliciter simplex, melior ipsa quam non ipsa, uti est se cognoscere; sed Deus est impotens carere perfectione simpliciter simplici: ergo est impotens carere exercitio amoris erga se ipsum. *II.* *Quia* Spiritus S. necessariò quoad exercitium procedit à Patre, & Filio; sed Spiritus S. procedit per Divinum amorem: ergo Divinus amor est necessarius Deo quoad exercitium. *III.* *Quia* Deus est necessariò quoad exercitium beatus, alias posset non esse Deus; sed beatitudo Agentis intellectuali includit necessariò amorem Dei: ergo Deus, ut beatus, includit necessariò, quoad exercitium, sui amorem.

91 *Ultimo probant alii:* *Quia* voluntas Divina non potest suspendere actum amoris erga ipsum Deum: ergo necessariò illum exercet. *Prob. Ant.* *Quia* voluntas non potest suspendere actum amoris erga summum & infinitum bonum clarè visum, seu repræsentatum; sed intellectus Divinus repræsentat clarè Divinæ voluntati Deum esse summum & infinitum bonum:

num : ergo Divina voluntas non potest suspendere actum
amoris erga Deum.

92 *Confirm.* Quia voluntas creata , necessariò & per modum naturæ fertur in objectum , quoties non occurrit motivum retrahens ab ejus amore , ut contingit in motivis primò primis omnino indeliberatis ; sed stante clara visione Dei summe perfecti & boni , non potest occurrere motivum retrahens ab ejus amore : ergo voluntas Divina repræsentato Deo summo bono , prout in se est , necessariò & per modum naturæ fertur in eum ; ita ut non possit suspendere actum amoris . Sed de hoc latius Tract. de Beatitudine .

93 *Quæritur II.* An Deus Divina prædicata , seu attributa amet immediate propter earum perfectionem ? In hac quæstione aliqui Theologi , qui tenent solam bonitatem Divinæ essentiæ esse objectum specificativum Divinæ voluntatis , tenent consequenter Deum non amare Divina attributa , & prædicata propter eorum bonitatem & perfectionem , ut distinctam à bonitate essentiæ ; sed propter hanc , ut inclusam in Divinis prædicatis , & perfectionibus . Cæterum communior Sententia tenet Deum amare Divina prædicata , seu attributa & perfectiones , quatenus distinctæ sunt ab essentia , quounque modo distinctæ ponantur propter earum specificas perfectiones .

94 Huic sententiæ subscribimus . *Prob.* Quia Deus diligit in se quidquid in se est , & per se diligibile ; sed Divina attributa & prædicata , ut ab essentia distincta , sunt in se & per se diligibilia : ergo Divina attributa & prædicata diligit Deus in se & propter eorum bonitatem , ut distinctam à bonitate essentiæ . *Conseq. tenet :* *Maj.* videtur certa & *Min.* prob . Quia unumquodque attributum & prædicatum Divinum , prout distinctum ab essentia , dicit per se & in se perfectionem & bonitatem ab essentia distinctam ; sed quod dicit per se & in se bonitatem & perfectionem , ut ab alio distinctam , est in se & per se amabile , ut distinctum ab illo : ergo quodlibet attributum , seu prædicatum Divinum est per se amabile , ut distinctum ab essentia Divina . *Min.* est omnino certa . Nam Divina sapientia , Sanctitas , aut quælibet alia , ut distincta ab essentia , dicunt perfectionem infinitam in Deo ex proprio con-

conceptu, quatenus distincta ab essentia Divina.

95 *Confirmatur*: Quia non minus est Deus diligibilis à se ipso, quam est diligibilis à creatura per actum charitatis; sed Deus est diligibilis à creatura per actum charitatis propter bonitatem & perfectionem alicujus attributi Divini, præcisè ab essentia Divina, ut patet in eo, qui Deum diligenter super omnia propter ejus sapientiam, aut justitiam: ergo Deus potest se ipsum diligere propter perfectionem & bonitatem suorum prædicatorum: ergo & propter perfectionem & bonitatem ipsorum prædicatorum Divinorum potest, & de facto diligit sua Divina prædicata, ut ab essentia distincta.

96 *Dices*: quod, et si Divina prædicata & attributa, ut distincta ab Essentia Divina, dicant in conceptu formalí bonitatem & perfectionem, non possunt in se, & per se immediate terminare amorem Divinum; quia non dicunt perfectionem per modum radicis, cuius rationem sola dicit essentia: ex qua tanquam ex radice procedunt attributa: ac proinde cum amor Divinus primariò terminetur per se ad essentiam, solum secundariò, & ratione essentiæ potest ad attributa & prædicata Divina terminari. His stat tota Adversariorum doctrina.

97 *Sed Contra est*. Nam aliud est, quod attributa profluant ab essentia Divina tanquam à radice; & aliud est quod dicant perfectionem formalem in suo conceptu distinctam à perfectione essentiæ. Primum est verum; sed non obstat secundum, ut patet in causa, & effectu. Nam licet effectus procedat à causa, habet diversam perfectionem & bonitatem à bonitate, & perfectione causæ; sed hoc ipso, quod attributa dicant in suo conceptu formalí dicant perfectionem distinctam à perfectione essentiæ, debent terminare ratione illius Divinum amorem: ergo Divina attributa, ut ab essentia distincta, terminant per se & ratione suæ perfectionis Divinum amorem. *Prob. Min.* Quia quod dicit in suo conceptu formalí & per se perfectionem infinitam, non potest non terminare Divinum amorem; sed omnia Divina attributa dicunt in suo conceptu formalí & per se perfectionem infinitam, ut patet: ergo omnia attributa Divina, ut ab essentia distincta, debent terminare Divinum amorem.

Sed

98 *Sed Dices*: Si Deus amaret sua attributa propter eorum intrinsecam & formalem perfectionem: ergo unumquodque diligeret tanquam ultimum finem, quod est impossibile: quia alias tot essent ultimi fines, quot sunt in Deo attributa.
Prob. Conseq. Quia quod non diligitur propter aliud, diligitur propter se: quod propter se diligitur, & sine ordine ad aliud, diligitur tanquam finis ultimus: ergo si attributa dili-
guuntur à Deo propter se & sine ordine ad aliud, diliguntur tanquam ultimi fines.

99 *Resp.* Quod id quod diligitur propter se, & non propter aliud, ut summum bonum adæquatè & undequaque perfectum sine ordine ad aliud, diligitur tanquam ultimus finis: cæterum id quod propter se diligitur, non ut summum adæ-
quatè & ex omni parte, sed ut quid integrans rationem adæ-
quatam summi boni, non diligitur ut ultimus finis; cu-
jus ratio stat in ratione summi boni undequaque perfecti.
Cum autem quodlibet attributum Divinum seorsim sumptum,
non constituat Deum perfectum in omni genere, sed solum in
propria linea, inde est quod, etsi diligatur propter ejus per-
fectionem, non diligitur à Deo tanquam ultimus finis;
sed solum tanquam quid integrans rationem ultimi finis.

100 Ex quo apparet, quid dicendum sit de perfectioni-
bus relationis, de quibus in Tractatu de Trinitate. Si autem
quaras, quo actu amet Deus ipsum actum amoris, quo se
diligit: *Resp.* Non diligi alio actu amoris reflexivo, ne de-
tetur processus in infinitum, sed ipsum actum amoris, quo
Deus se diligit esse sui formalem amorem: sicuti lux, qua
manifestat alia, est suum manifestatio, & Divina revelatio,
qua creduntur mysteria revelata, est sui revelatio: & ideo
dicitur de Scientia Dei & visione Beato-
rum.

ART. X. *An Deus se & sua prædicata intrinseca amet amore stricto, ut distincto à gaudio?*

101 **C**um voluntas per suum actum tendat in bonum, aut refugiat malum, communis consensu Theologorum & Philosophorum actus voluntatis alii dicuntur prosecutivi, & alii actus fugax. Actus prosecutivi generali notionē dicuntur amor, ad modum quo cælestium Spiritum ordines dicuntur Angeli: ac sicuti in ipsis nominis *Angeli* quadam nuncupatione est genericum, & quadam est specificum; ita affectus amoris & potest dici genericus, & potest nuncupari specificus.

111 Cum ergo objectum voluntatis sit bonum repræsentatum per intellectum juxta diversum modum repræsentandi bonum, distinguunt Theologi & Philosophi affectus prosecutivos voluntatis. Nam bonum potest qua tale repræsentari, ut præscindens à præsentia & absentia; & hac ratione affectus, qui terminatur ad illud, dicitur amor strictus & potest repræsentari, ut absens, & deficiens; at sic affectus terminatus ad illud, dicitur desiderium & potest repræsentari, ut possessum, & inexistentis in subiecto: sub qua ratione affectus terminatus ad illud, dicitur gaudium & delectatio. Et quia non aliter bonum repræsentari potest, ideo Theologi & Philosophi solum concedunt in voluntate tres actus prosecutionis, nempe amores stricti, desiderii, & gaudii.

112 Conveniunt Theologi in Deo non dari actum desiderii erga bona intrinseca: cuius ratio est clara ex proximè dictis. Nam desiderium est affectus voluntatis tendens in bonum repræsentatum, ut absens; sed bona intrinseca Dei nec sunt ipsi absentia; nec ut absentia possunt repræsentari, quia repugnat intellectui Divino repræsentatio falsa: ergo in bona intrinseca Dei non potest voluntas Divina tendere per affectum desiderii: quod expressit Apostolus his verbis. *Quod videt, quis sperat? Ad Rom. cap. 8.*

113 Certum est etiam, quod voluntas Divina vero gaudio fertur in Dei bonitatem, & ejus perfectiones intrinsecas. Ratio autem est, quia bonum posseddum, & ut tale representatum, terminat actum gaudii proprietatis; sed voluntati Divinae representatur bonitas essentiae, & ceterorum praedicatorum Divinorum, ut possessa & inexistentia in ipso Deo: ergo bonitas Divinæ essentiae, & ceterorum praedicatorum Divinorum, terminat in Divina voluntate actum gaudii proprietatis.

114 His iactis, solum restat difficultas: An sit in Deo amor strictus erga bona intrinseca ipsius. In qua difficultate Auctorum Sententiae ad tres classes reduci possunt. I. Sententia est affirmativa, quam tenent communiter Thomistæ, pluresque ex primis Jesuitis, ac aliis. II. id universim negant, quam tenent Recentiorum, plurimi ex Jesuitis. III. concedit Deo amorem strictum erga bona intrinseca, sed identificatum cum gaudio: ita plerique, qui variis dicendi modis inter se divisi sunt.

115 *Dicendum nobis*: quod in Deo non est amor stricte sumptus, ut distinctus à desiderio & gaudio erga propriam bonitatem & praedicata intrinseca. *Prob. nostra Sentent.* unico efficacissimo fundamento. Quia non potest tendere voluntas in bonum per actum stricti amoris, nisi representetur ei bonum, ut praescindens ab ejus existentia, aut non existentia in subjecto; sed Divina voluntati non potest representari bonitas Divinæ essentiae, & attributorum, ut praescindens ab existentia, & non existentia in ipso: ergo voluntas Divina non potest tendere in bonitatem essentiae, & attributorum per actum stricti amoris, ut distincti à gaudio. *Maj. est certa*: quia voluntas non potest ferri in suum objectum, nisi quatenus representatum, & eo modo quo representatur. *Min. prob.* quia Divina voluntati non potest representari bonitas Divinæ essentiae & attributorum, nisi quatenus cognoscuntur à Divino intellectu; sed intellectus Divinus non cognoscit bonitatem essentiae, & attributorum ut praescindens ab existentia, & non existentia in ipso Deo: ergo voluntati Divinæ non potest representari bonitas essentiae & attributorum, ut praescindens ab existentia, & non existentia

in Deo. Maj. cum Consequentia tenet. Min. prob. Quia intellectus Divinus non potest repræsentare bonitatem essentiæ, & attributorum, nisi per cognitionem comprehensivam, prout sunt in se: quippe non potest esse falsa, & præscindens; sed cognitio comprehensiva essentiæ, & attributorum, dicit formaliter eas perfectiones esse in Deo, & positivam existentiam in ipso: ergo intellectus Divinus non cognoscit bonitatem essentiæ, & attributorum, ut præscindentem ab existentia, & non existentia in ipso Deo.

116 *Confirm.* Quia bonitas Divinæ essentiæ, & attributorum, non potest repræsentari Divinæ voluntati, ut absens respectu illius, non potest voluntas Divina ad illam terminari, per affectum desiderii propriè dicti: ergo similiter, si bonitas Divinæ essentiæ & attributorum, non potest repræsentari Divinæ voluntati, ut præscindens ab existentia & non existentia, non potest voluntas Divina tendere in illam per affectum amoris stricti.

117 Hujus fundamenti difficultatem palam confessi sunt adversariorum aliqui; facileque appareat ex variis modis, quibus conati sunt enodare; attamen eorum perpensis doctrinis, ad duos reduci possunt. I. ergo solutio afferit, quod licet Divinæ voluntati non possit repræsentari bonitas essentiæ Divinæ, & attributorum præcisivè à possessione, & inexistentia per repræsentationem, qua repræsentatur ut possessa, repræsentatur etiam ut bona in se & propter se: unde, quatenus hoc modo repræsentata, potest voluntas Divina tendere in illam per actum amoris stricti.

118 *Sed Contra stat:* Quia tendere in bonitatem propter se est conceptus genericus affectibus prosecutivis voluntatis: ergo hoc non sufficit ad amorem strictum, ut distinctum à desiderio, & gaudio; nam per conceptum genericum, in quo species convenienter, nullatenus differunt; at conceptus specificus amoris stricti est tendentia in bonum propter se non repræsentatum, ut existens: ergo, eti bonitas Divina repræsentetur bona in se & propter se, si indivisibiliter repræsentatur ut existens, non potest voluntas Divina in eam tendere per amorem strictum.

119 *Confirm.* contra Thomistas, penes quos est usus so-

Iutionis. Nam quia eorum Sententia fides Divina est de re velatis, non vilis, superveniente visione, illud objectum non potest terminare actum fidei: ergo similiter, et si bonum secundum se praecisive, à possessione & non possessione possit terminare actum amoris stricti; accedente possessione, non potest terminare illum; sed necessario debet terminare actum gaudii. Similiter creature existentes, licet possint considerari sub praedicatis essentialibus, quia non possunt cognosci à Deo, quin simul cognoscantur ut existentes; non possunt terminare in Deo scientiam simplicis intelligentiæ; sed necessariò terminant scientiam visionis: ergo similiter, et si bonitas Divina in se, & propter se possit terminare amorem strictum necessariò representata ut possessa, non potest illum terminare, sed præcise debet terminare gaudium. Et insufficiencia hujus solutionibus ex infra dicendis constabit.

120 *II. Solatio* distinguit inter diligere Divinam bonitatem propter se, & diligere illam formaliter ut possessam, sub qua ratione terminat Divinum gaudium; at verò, ut amata propter se, terminat strictum amorem: quia possessio est quid formaliter, vel virtualiter distinctum ab ejus bonitate.

121 *Sed Contra stat I.* quod diximus impugnantes precedentem solutionem. *II. Quia nequit amari ut tale*, quod sub tali ratione representari nequit, cum objectum voluntatis sit bonum representatum ut tale; sed bonitas Divina nequit representari a Divino intellectu, quin representetur ut possessa, per illam indivisibilem representationem: ergo voluntas Divina non potest in illam tendere, nisi ut possessam. *Maj. est certa, Conseq. tenet, & Min. prob.* Quia intellectus Divinus non potest representare Divinam bonitatem in se, & propter se, nisi illam representet cum omnibus praedicatis quidditativis; sed unum ex praedicatis quidditativis Divinæ bonitatis in se & propter se, est identitas inexistens & possessione sui in Deo: ergo bonitas Divina non potest representari à Divino intellectu in se, & propter se amabilis, quin eadem indivisibili representatione representetur, ut possessa.

122 *Ex dictis corruunt cogitationes auctorum tertie*

Sententiae, qui, ut difficultatem vitent, speciem amoris stricti deformant: ac plerique contendunt, etiam de bono puro possibili posse gaudium dari, ac de bono praesenti dari actum amoris stricti, quorum cogitationes retellere non est praesentis instituti; sed pertinet ad Tractatum de actibus humanis.

123 Sed arguitur I. contra nostram sententiam, quia amor strictus Divinæ bonitatis, & attributorum nullam dicit in Deo imperfectionem: ergo Deus amore stricto amat suam bonitatem, & attributa. *Prob. Antecedens.* Nam Divinam voluntatem tendere affectivè in suam bonitatem, & attributa in se, & propter se nullam dicit imperfectionem: sed hæc tendentia affectiva est amor strictus: ergo amor strictus Divinæ bonitatis & attributorum stricte sumptus, nullam dicit in Deo imperfectionem.

124 *Resp. I. negato Ant.* Quia amor strictus Divinæ bonitatis, & attributorum pugnat immediatè cum iudicio Divini intellectus, qui non potest representare illam Divinæ voluntati, ut præscidentem ab ejus inexistentia & possessione. Unde ex amore stricto in Deo erga suam bonitatem sequeretur per infallibilem consequentiam, defectus Divinæ cognitionis in representando Divinam bonitatem: quo defectu major alius non potest esse in Deo. II. *ad probationem Antecedentis resp.* quod ea tendentia præcisive à possessione Divinæ bonitatis, esset amor strictus; cæterum cum hæc tendentia sit impossibilis Divinæ voluntati ex parte cognitionis regulantis illam, non potest esse amor strictus, sed amor gaudii. Ex quo facile est respondere in forma.

125 *Arg. II.* Nam in Deo est verè & proprio gaudium de sua bonitate: ergo est etiam de illa strictus amor. *Prob. Conseq.* Quia gaudium supponit amorem, cum iste sit primus actus voluntatis, ut docent communiter Theologi: ergo si in Deo est gaudium, non potest non esse amor strictus: quippe amor, qui supponitur ad gaudium, non potest esse amor desiderii, ac proinde debet esse amor stricte sumptus.

126 *Resp.* Quod, licet (regulariter loquendo) in creaturis, propter imperfectionem modi cognoscendi, amor strictus præcedat gaudium; hoc non potest contingere in Deo prop-

propter infinitam perfectionem modi se cognoscendi, ut ex dictis constat. Diximus id regulariter contingere in creaturis. Nam si creaturæ prima & indivisibili representatione representaretur bonum, ut absens reduplicative, tendere, in illud potest affectu desiderii, nullo praesupposito affectu amoris stricti.

127. At dices. Hæc propositio est vera: *Deus gaudet de se*, quia se amat, ut docent aliqui PP. sed hæc causalis non est vera de amore generice sumpto; quippe de genere ad speciem est mala consequentia; ut quia est animal, est homo: ergo est vera precise de amore strictè sumpto.

128. Resp. Eam causalem non esse veram in sensu formalis, sed solum in sensu illativo. Nam hæc est bona consequentia: *Deus se amat, non amore stricto, nec desiderio: ergo amore gaudii*: quæ est à diviso, negata una parte, ad alteram affirmatio: ut est animal non rationale: ergo irrationale. Unde hæc propositio *Deus gaudet de se, quia se amat*, solum est causalis logicè, non autem physicè, aut metaphysicè.

129. Arg. III. Quia Beati, esto Deum videant & possideant: amant illum non solum amore gaudii, sed etiam stricto: ergo non obest gaudii amori stricto Dei de ejus bonitate, quod illam possideat. Conf. Quia diligere Divinam bonitatem propter se ipsam est primus actus charitatis in viatoribus, & est amor strictè dictus; sed amor charitatis in viatoribus est participatio Divini amoris, quo Deus diligit suam bonitatem: ergo si actus charitatis, quo viator diligit Divinam bonitatem propter se, est amor strictè dictus: actus etiam quo Deus diligit suam bonitatem propter se, erit amor strictè sumptus.

130. Resp. neg. Ant. Nam Beati, hoc ipso quod cognoscant Deum in se, & per visionem ab eis possesum, unica & indivisibili representatione, non possunt Deum amare amore stricto; sed necessariò amant amore gaudii. Ad conf. Resp. quod charitas Beatorum, ex parte objecti formalis est participatio Divini amoris, quo Deus se diligit; cæterum ex parte judicij utrumque amorem regulantis, est magnum differentium: quia viator propter modum imperfectum cognos-

cendi potest cognoscere Divinam bonitatem in se; & propter se præcisivè à possessione, & non possessione: qua de causa potest amare Divinam bonitatem amore stricto, quod non contingit in amore, quo Deus se amat propter perfectissimum modum cognoscendi suam bonitatem: ad modum quo, actus charitatis in via est liber, & in patria est necessarius propter diversitatem cognitionis Divinæ bonitatis in via & in patria.

131 *Arg. IV. à Recentiore*, quia Spiritus S. procedit ex amore Patris, & Filii, sed non ex amore gaudii: ergo ex amore stricto. *Prob. Min.* Quia amor quo Pater & Filius se diligunt, est productivus Spiritus Sancti: ergo non potest esse amor gaudii, qui supponit suum objectum. *Resp.* quod hoc nomen *Amor* dupliciter in Divinis usurpatur, ut docent Theologi, & essentialiter, & notionaliter: essentialiter in quantum est actus Divine voluntatis communis tribus Divinis Personis; quibus inest eadem natura essentia & omnia prædicata absoluta: notionaliter autem & accipitur activè pro amore, quo Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, & passivè pro termino spirationis, qui est ipse Spiritus S. de quo Theologi Tract. de Trinit: igitur amor, quo Pater, & Filius se diligunt, & spirant Spiritum S. est amor gaudii spirativus Spiritus S. & illum dicens tanquam terminum, esto illum priori non supponat: quippe hoc est illi peculiare, quod sit speculativus & practicus: qua speculativus, supponit possum objectum; & qua practicus illud efficit, & ipsa actione ad illud extenditur. Ex quo non sequitur, quod in omnibus aliis gaudiam non supponat bonitatem possessam. Nam quod contingit in incomprehensibili mysterio Santissimæ Trinitatis propter ejus ineffabilem infinitatem male trahitur ad aliarum rerum consequentiam: alias quia in Divinis quæ sunt eadem uni tertio non sunt eadem inter se, idem liceret affirmare in creatis, quod est absurdissimum.

132 An autem amor gaudii, quo Deus se diligit prout est in se, dicendus sit charitas, concupiscentia, aut amicitia: quæstio est de vocibus. Si enim charitas sumatur pro dilectione super omnia, clarum est quod amor, quo Deus se diligit, dicendus sit charitas, quia eo se supra omnia diligit; si vero cha-

charitas dicatur relativè ad alterum , non est dicendus charitas , quia Deus non est alter à se ipso. Hac enim ratione prædictus amor non est dicendus amicitia , quia amicitia est ad alterum , ex communi consensu sapientium. Nec prædictus amor concupiscentia dici potest: quia (propriè loquendo) concupiscentia est amor desiderii , & hoc , uti diximus , in Deo esse non potest.

ART. XI. *An saltem inter Divinas Personas sit amor amicitiae verè talis?*

133 **B**reviter respondetur quod inter Divinas Personas datur vera , & propria amicitia. nostram Sententiam tenent plures. *Quæ probatur.* Nam amicitia , ut docent Theologi & Philosophi , est amor mutuus benevolentia inter aliquos , sed inter Divinas Personas datur mutuus amor benevolentia: ergo inter illas datur amicitia vera. *Pnob.* *Min.* Quia Pater æternus amat , & diligit Filium , ut constat ex Joann. Cap. 5. n. 20. Et Filius diligit Patrem ex Cap. 14. num. 31. *Quia diligo Patrem.* Deinde Pater , & Filius diligunt Spiritum Sanctum ; & è converso Spiritus Sanctus diligit Patrem , & Filium , quæ dilectio est propter bonitatem ipsorum , ut pater : ergo inter Divinas Personas datur mutuus amor benevolentia , & consequenter vera amicitia.

134 *Conf.* Quia inter Divinas Personas datur vera charitas , ut docet Divus Agustinus lib. 6. de Trinit. Cap. 5. ergo inter Divinas Personas datur vera amicitia. *Prob. conseq.* Quia charitas est vera amicitia , ut docent Theologi tractantes de ea: ergo si inter Divinas Personas datur vera charitas , datur vera amicitia.

135 *Nec refert* , quod Divinæ Personæ se ament eodem amore , & amor amicitia debet esse mutuus. Nam si Petrus & Paulus se amarent eodem amore , se amarent amore amicitia. *Prob. Ant.* Nam , esto in Petro & Paulo esset idem amor ; hoc non obstaret , ut unusquisque esset amans , & amatius amore benevolentia : ergo id non posset obstare , ut se amarent amore amicitia , eo quod amicitia dicit amorem ad

alterum, praecehendo ab identitate & diversitate amoris, & diversitate personarum: ad modum, quo esto in Petro & Paulo esset eadem albedo, verè dicerentur similes, & inter eos intercederet vera similitudo: ergo esto inter Divinas Personas sit idem amor, quo se ad invicem diligunt; hoc non potest obstat, ut se diligent amore amicitia.

136 *Sed dices I.* Si inter Divinas Personas esset vera amicitia, Divinae Personæ dicerentur plures amici; sed plures amici dici non possunt: ergo inter eas non potest intercedere vera amicitia. *Prob. Min.* Quia amicitia ex suo conceptu formalis est amor: ergo si inter Divinas Personas est unicus amor quo se diligunt, non possunt dici plures amici. *Prob. Conseq.* Nam quia in Divinis Personis una est Deitas, non possunt dici plures Dii: similiter quia in Patre, & Filio est eadem voluntas & amor, quo spirant Spiritum Sanctum, non possunt dici duo principia Spiritus Sancti: ergo si in Divinis Personis est idem amor, quo se diligunt, non possunt dici plures amici.

137 *Resp. Concessa Maj. negando Min.* Ad hujus probationem concessso Antecedenti, nego consequentiam. Ad hujus probationem, concessso similiter Antecedenti, Neg. *Conseq.* & ratio disparitatis stat in hoc, quod amicitia ex proprio conceptu, est quid relativum; unde ad eam non sufficit, utenique amor, sed debet esse ad alterum; sicut nec ad eam sufficit amor, sed debet esse amor mutuus, seu correlativus, quapropter principaliter dicit diversitatem se mutuo amantium; ac proinde, esto amor sit unus in diversitate personarum, pro illarum distinctione, dici debent distincti amici, & plures pluralitate personarum. Cum verò nomen Dei sit substantivum, & essentiale, quia est una essentia, & substantia, in tribus Personis; ideo tres Personæ non possunt dici tres Dii, et si possint dici adjectivè tres habentes Deitatem. Similiter cum ratio principii dicat primario vim & energiam productivam termini, & hæc quasi consequens sit ratione naturæ; inde est, quod cum in Patre, & Filio sit eadem natura, eademque vis spirativa Spiritus Sancti, non possunt dici duo principia Spiritus Sancti: sicuti, quia in tribus Personis est eadem omnipotencia, non possunt dici tres omnipotentes.

Di-

138 *Dices II.* Ad amicitiam nec sufficit pluralitas personarum, nec unio per amorem; sed insuper requiritur mutua inter se communicatio bonorum; sed inter Divinas Personas non est mutua communicatio bonorum: ergo inter eas non est vera amicitia. *Prob. Min.* Quia licet Pater communicet Filio suam essentiam, & omnia prater esse Patrem; Filius nihil communicat Patri: & licet Pater, & Filius communicent Spiritui Sancto essentiam Divinam prater ea, quæ sunt eis propria, Spiritus Sanctus nihil communicat Patri, nec Filio: ergo inter Divinas Personas non est mutua bonorum communicatio.

139 *Resp.* Quod communicatio bonorum inter amicos non est ipsa amicitia, qua amici constituuntur; sed est effectus illius, & solum requiritur in præparatione animi inter eos, qui sunt capaces communicandi sibi bona: ut patet inter Regem, & subditum, inter quos amicitia potest intercedere, esto subditus nihil Regi conferre possit. Ex quo sequitur, quod, et si Spiritus Sanctus nihil conferre possit Patri, aut Filio, nec Filius Patri; non impeditur ratio strictæ amicitæ inter eos: quia communicatio bonorum est præcise effectus ipsius amicitiae inter Personas capaces.

ART. XII. De amore Dei erga creaturas.

140 **A**cturus de amore Dei erga creaturas primum occurunt creaturae possibles, quæ dupliciter considerari possunt, vel ut contere intra Divinam Omnipotentiam, qua ratione nihil aliud sunt, nisi omnipotentia ipsa potens illas producere; vel in se ipsis, & quatenus sunt terminus omnipotentie Divinæ, qua ratione non sunt aliquid positivè extra Deum, sed purum nihil; objectivè autem, & pure logicè nihil aliud sunt, quam passiva non repugnantia ad existendum: eo modo quo impossibile, habet esse objectivè, & logicè, quatenus potest esse objectum intellectus, & potest, ut tale cognosci.

141 *Quæritur ergo.* An Deus amet creaturas possibles in se ipsis, & intra statum puræ possibilitatis. Dubitare nemo potest Deum ex creaturis possibilibus elegisse quas voluit, ut

existerent; ac proinde eas terminasse Divinam electionem; & consequenter actum Divina voluntatis, quo voluit ut essent & existerent: qui actus dicitur amor effectivus Dei, quo illis dat intrinsecam dignitatem, & bonitatem; & hoc modo certum est Theologis Deum non amare creaturas possibiles in se ipsis: quia hoc amore non manerent intra statum possibilitatis. Unde difficultas soluth procedit: an Deus eas amet amore simplicis complacentiae, quae terminatur ad objectum ratione propriæ bonitatis. Nam complacentia propriè talis supponit bonitatem in objecto.

142 In quo primum disquiri oportet, an creature possibiles sint amabiles à Deo; nam si non sunt amabiles, nihil amplius disquiri potest. Si autem sunt amabiles amore necessario, sequitur quod de facto eas amat; si autem amore libero, non potest esse certum eas de facto amare, quippe nulli revelatum eas amare.

143 His animadversis, ut morem geramus auctoribus pertractantibus latissimè hanc quæstionem, quæ per se nullius est frugis ad cætera pietatis studia. I. Sentent. docet Deum amare creature possibiles: quam tenent Scotus cum Aseclis, plarique Jesuitarum, Thomistarum aliqui, & aliquod ex Nostris, quorum aliqui tenent creature possibiles non amari à Deoratione sive bonitatis, sed ratione connexionis, & necessitatis cum Divina Omnipotentia. II. Sentent. tenet creature possibiles in se ipsis nullatenus esse amabiles, ac proinde à Deo non amari: quam sustinent communiter Thomistæ cum Angelico Præceptore, Suarez, & alii Jesuitarum, ac ex Nostris Altisidorensis, Henricus de Gandavo, Gabriel adducti & secuti à Villegas Controversia 9. Cap. 3. Thomas Pius quæst. 5. art. 3. dub. 5.

144 Dicendum nobis. Deum nullatenus amare creature possibiles in se ipsis. Variis argumentis prob. nostra Sententia, quæ expendere brevitati nostræ non congruit. Prob. ergo unico fundamento. Nam quod non est actu, & realiter ens, non est actu & realiter bonum; sed creature possibiles non sunt actu, & realiter ens: ergo non sunt actu & realiter bona, & consequenter nec amabiles. Maj. est certa Conseq. tenet, & Min. prob. Quia si creature possibiles essent actu, &

realiter ens, jam non essent creaturæ purè possibles, sed essent existentes: ergo creaturæ possibles non sunt actu, & realiter ens.

145 Communis adversariorum solutio edocet, quod licet creaturæ possibles non sint subjectivè actu & exercitè ens reale extra causas; attamen sunt entia objectivè, & logicè: quia sunt inter se distinctæ genere, & specie, & cum unicuique convenienter pro statu possibilitatis sua prædicata specifica, quibus specie, & perfectione differunt; inde est quod sub statu possibilis sint bonæ, perfectæ, & amabiles amore complacentiæ.

146 *Sed Contra est.* Nam creaturas possibles esse ens logicè & purè objectivè nihil aliud est, quam vere, & realiter non existere: ergo esse bonas objectivè, & logicè est realiter non esse bonas. *Patet Conseq.* Nam eodem modo se habet ratio bonitatis in esse objectivo, ac se habet ratio entitatis: ergo si ratio entitatis in esse objectivo, & purè logico dicit formaliter realiter non existere; ratio bonitatis in esse objectivo & purè logico dicit formaliter realiter non existere.

147 *Conf. I.* Quia etsi impossibile metaphysicè, ut plurimalitas Deorum sit ens objectivè, & purè logicè, quia potest cognitionem terminare; hoc ipso dicit repugnantiam ad existendum in re, & sui formaliter parentiam: ergo similiter, esto creaturæ possibles habeant esse objectivum & purè logicum, non habent esse & bonitatem exercitè, & in re.

148 *Conf. II.* Nam creaturis possibilibus pro statu puræ possibilitatis non potest convenire alia bonitas, quam ea cuius est capax status puræ possibilitatis; sed status puræ possibilitatis non est capax bonitatis, nisi solum possibilis: ergo creaturis possibilibus, pro statu possibilitatis, solum potest convenire bonitas possibilis pro modo, & conditione ipsarum creaturarum possibilium.

149 *Origo autem æquivocationis in hac questione inter Nos, & Auctores adversos stat in non discernendo habitudinem creaturæ possibilis, & ejus actualitatem, & exercitium. Habitudo creaturæ possibilis dicit omnia sua prædicata, & respectus signatè, & quasi in abstracto; ceterum hæc prædicta,*

ta, & respectus actū, & exercitē nihil sunt extra causas, & nihil sunt extra cognoscentem, nisi in pura potentia. Unde cum dicta prædicata solum sint in potentia, eorum perfectio & bonitas solum est in potentia; & actū, non est bonitas; nec perfectio, ac proinde non potest terminare amorem complacentię in Deo.

150 Fundamentum nostrum roboratur. Quia voluntas Divina non potest terminari ad creaturas possibiles, nisi prout regulata ab intellectu Divino repræsentante eas vere amabiles: sed intellectus Divinus non potest repræsentare eas ut vere amabiles: ergo voluntas Divina ad eas non potest terminari. *Prob. Min.* Quia intellectus Divinus non potest eas repræsentare ut vere & realiter, & à parte rei bonas, cum cognoscat eas vere & realiter esse nihil: ergo cum intellectus Divinus necessario cognoscat in creaturis possibilibus nihil esse reale, & esse purum nihil, necessario cognoscit nihil esse reale bonitatis actū & exercite; sed solum puram potentiam passivam, & habitudinem ad essendum, & ad perfectionem. Cumque voluntas Divina (quidquid sit de creata) non posset moveri à bonitate possibili, sed existenti re vera, inde fit quod Deus non possit amare amore complacentię creaturas pure possibiles in statu pura possibilitatis.

151 *Ulterius prob. nostra Sententia:* Quia creaturas possibiles nec potest Deus amare amore necessario, nec amore libero: ergo non potest eas amare. *Prob. Ant.* Non amore necessario, quia bonitas creaturarum possibilium est finita, & limitata; sed bonitas finita & limitata, à qua Deus non dependet, nequit terminare amorem necessarium Dei: ergo bonitas creaturarum possibilium nequit terminare amorem necessarium Dei. *Maj. & Min. sunt certae, & Conseq. est legitima.* Non amore libero, quia amor liber Dei erga creaturas possibiles debet esse defectibilis, non ex parte actus, sed ex parte terminationis; sed amor Dei erga creaturas possibiles non est defectibilis ex parte terminationis: ergo amor liber Dei non potest terminari ad creaturas possibiles. *Prob. Min.* Quia, ut amor Dei liber erga creaturas possibiles sit defectibilis ex parte terminationis, est ne-

cessarium quod sit defectibilis ex parte bonitatis earum; sed hoc est impossibile, cum bonitas sit essentialis creaturis possibilibus in Sententia contraria: ergo amor Dei liber erga creature possibles non est defectibilis ex parte terminationis. Hæc indicasse sufficit relinquentes Auctores adversos obstinato certamini.

152 *Arg. I. contra nostram Sententiam*: Nam creature possibles habent bonitatem in se ipsis: ergo possunt amari à Deo: quia quidquid est bonum, est amabile. *Ant. prob. I.* Quia creature possibles habent sufficientem entitatem & veritatem ut cognoscantur: ergo & bonitatem ut amantur, nam bonum convertitur cum ente. *II.* Nam creature possibles intra possibilitatis statum differunt inter se specie, & perfectione: ergo dicunt intrinsecè bonitatem. *Ant. videtur certum.* Nam Angelus in statu possibilitatis est perfectior homine, & bruto in eodem statu. *Conseq. prob.* Quia quid dicit perfectionem dicit bonitatem: ergo si Angelus in esse possibilis dicit majorem perfectionem, quam homo, & brutum non potest non dicere in esse possibilis bonitatem.

153 *III. Quia qualibet creatura possibilis dicit integratatem omnium prædicatorum*, quæ ei convenient: ergo qualibet dicit perfectionem. *Prob. Conseq.* Quia perfectum id dicitur, cui nihil deest de propria linea; sed creaturis possibilibus in propria linea nihil deest de propriis prædicationis: ergo sunt perfectæ in propria linea, & consequenter bona. *IV. Quia actus possibilis charitatis dicit in se honestatem & bonitatem oppositam malitiæ odii Dei*: ergo dicit intrinsecè, & in se bonitatem.

154 *Resp. neg. Ant. ad ejus I. prob. Resp. concessio Ant. neg. Conseq.* eo quod non est idem habere esse logicè, & objectivè, ac habere esse exercitè, & subjectivè, ut constat in impossibili, & parentia, seu privatione, quæ habent esse logicum, & objectivum, quin positivè & exercitè existant: Nam intellectus non solum terminatur ad esse rei; sed etiam ad non esse rei, hoc est, ad propositiones affirmativas, sed etiam negativas: & hac ratione, quod subjectivè, & exercitè esse non potest, habere potest esse logicum, & objectivum;

vum: simili modo creaturæ possibiles solum habent esse logicum, & objectivum: unde sunt capaces ut terminent cognitionem, non verò sunt capaces ut amentur, quia earum bonitas solum est objectivè talis, & identificata possibilitati, ac proinde solum possibilis, non existens subjectivè & in re; qua de causa amari non possunt: Nam bonum de facto amabile solum convertitur cum bono re ipsa existenti extra causas. Ex quo facile est resp. in forma.

155 *Ad II. prob. Resp.* quod creaturæ possibiles in statu possibilitatis solum differunt inter se specie & perfectione, non actu & exercitè, cum nihil sint; sed solum habitudine & objectivè, in quantum, hoc ipso quod forent in statu existentia, perfectione positivè differunt; non verò quod sic positivè differant in statu possibilitatis, nisi pure logicè, & in potentia. Unde Angelus in statu possibilitatis non est perfectior positivè homine, & bruto in eodem possibilitatis statu; sed solum est perfectior illis habitudine logica juxta dicta.

156 *Ad III. Resp.* quod integritas suorum prædicatorum sub possibilitatis statu non dicit positivè perfectionem, sed ad summum dicit illam habitudine, & potentia passiva, quod non sufficit in creaturis possibilibus ad sui amabilitatem; alias integritas suorum prædicatorum in peccato constitueret illud aliquo modo amabile. *Ad IV. Resp.* quodactus charitatis possibilis dicit solum in se habitudine logica honestatem, & bonitatem oppositam malitia odii Dei: non verò dicit illam exercitè & subjectivè; ac proinde pro tali statu non potest amorem terminare.

157 *Arg. II.* Nam Deus amat suam omnipotentiam: ergo amat creaturas possibiles. *Prob. Conseq.* Quia omnipotentia connectitur cum creaturis possibilibus: ergo si Deus amat suam omnipotentiam, amat creaturas possibiles. *Prob. Conseq.* Nam qui amat aliquid, amat necessariò id cum quo illud connectitur: ergo si omnipotentia connectitur cum possibilibus, Deus amans omnipotentiam, necessariò debet amare possibilia.

158 *Resp. I. Arg.* probare Deum non posse amare possibilia amore libero, si omnipotentia connectitur necessariò possibilibus. *II.* non esse omnino certum omnipotentiam con-

connecti absolute & necessariò cum possibilibus, sed solum connecti cum illis conditionatè. *III. probare arg.* Deum amare peccatum possibile, quia cum eo æquè connectitur omnipotèntia, quod dissententur Autores oppositi. *Resp. tandem:* quod duplex est connexio, una identica, & essentialis; & sic qui amat aliquid, non potest non amare terminum sic conexum cum illo: ut qui amat hominem, non potest non amare animam & corpus, quia homo nihil aliud est, nisi anima, & corpus inter se unita: alia autem est connexio relativa in quantum ad existentiam simultaneam terminorum, stante eorum diversitate: qualis est inter patrem & filium, inter causam in actu secundo, & effectum, & inter hoc modo connexa non est necessarium, quod qui amat unum extremum, amerit & aliud; ut qui amat causam amet effectum. Cum ergo omnipotèntia solum connectatur cum possibilibus connexione pure relativa, & quoad coexistentiam simultaneam, non sequitur quod Deus amans suam omnipotentiam, amerit possibilia quæ sunt terminus illius: sicut non sequitur, quod Deus amans scientiam simplicis intelligentiæ, quæ cognoscit peccata possibilia, quæ sunt terminus ejus, amet ipsa peccata possibilia. Ex quo facile est respondere in forma.

159 Sed dices: Qui amat efficaciter finem, non potest non amare medium unicum simpliciter necessarium ad consecutionem finis, & licet medium in se bonum non sit, bonitatem participat ex fine, ut potio amata ex fine sanitatis; sed creature possibles sunt necessaria simpliciter ad esse omnipotentiæ: ergo Deus amans omnipotentiam, non potest non amare creature possibles.

160 Resp. Magnum esse discriumen inter medium unicum & finem, & inter possibilia & omnipotentiam. Nam medium est necessarium antecedenter ad consecutionem finis, & ideo participat ex illo bonitatem; at verò possibilia & omnipotèntia sunt sibi necessaria correlativa simultaneè & in existendo: quia si pater non potest concipi sine filio, nec filius sine patre: ita omnipotèntia non potest concipi sine possibilibus, nec possibilia sine omnipotèntia. Unde cum hæc connexio sit reciproca, & relativa inter extrema diversa, non infert quod amato uno extremo, aliud ametur: & presertim si inseparabile non sit.

161 *Arg. III.* Quia Deus amat salutem reproborum; sed hæc solum est possibilis: ergo Deus amat salutem reproborum; ut possibilem. *Min. prob.* Quia salus reproborum nunquam est futura: ergo salus reproborum solum est possibilis, & ut talis amatur à Deo. *Conf.* Quia Futurum conditionatum, cuius conditio purificanda non est, terminat actum Divinæ voluntatis; sed tale futurum solum manet in statu possibilitatis, quia nunquam erit: ergo tale futurum terminat actum Divine voluntatis in statu possibilitatis.

162 *Resp.* Quod Deus quantum est ex se, vult salutem reproborum, ac ex vi hujus voluntatis vult eam existere, si per ipsos non sterterit, proindeque ex vi illius salus reproborum, et si non sit futura absolute, est futura conditionate; ac proinde non est pure possibilis, esto nunquam futura sit, quippe ex vi voluntatis, qua Deus vult omnes homines æterni consequi salutem, media præparavit, quibus, si uterentur, futura foret illis æterna salus. Nullum autem Theologorum dubium subiit, quin Deus possit aliqua decernere absolute, & alia sub aliqua conditione, quæ non manet pure in statu possibilitatis, cum sint determinata ad essendum sub aliqua conditione, quæ purificari potest, esto non purificetur.

163 *Ex quo ad confirm.* *Resp.* quod Futurum conditionatum, hoc ipso quod terminet actum voluntatis Divinæ, quo sub conditione purificabili determinetur ad existendum, non manet in statu puræ possibilitatis; sed transit ad statum futuritionis, non absolute, sed sub conditione: quod à nullo Theologorum negari potest, nisi velit facere irrisoriam eam voluntatem Dei, qua vult omnes homines salvos fieri.

164 *Arg. IV.* Quia Deus habet displicantiam erga peccata possibilia: ergo habet complacentiam erga actus honestos possibles; quia contrariorum eadem est ratio. *Ant. prob.* Quia peccatum essentialiter est contra voluntatem Dei, & ejus beneplacitum; sed quod est contra ejus voluntatem & beneplacitum, terminat ejus displicantiam: ergo peccatum possibile terminat displicantiam Dei.

165 In hoc argumento aliqui ex auctoribus contrariis non verentur concedere, Deum amare possibilitatem pecca-

ti: *Tum* quia possiblitas est quid trascendens actus bonos, & malos: *Tum* quia possiblitas peccati ita connectitur cum omnipotentia, sicuti possiblitas actus boni. Et quidem, si Deo actu displicet in peccato possibili, talis displicantia erit ipsi necessaria, & illi omnino inevitabilis, quod non continget in peccatis futuris & existentibus, quæ omnia vitabilia, fuere Deo, licet ea justissimis, & sanctissimis de causis voluerit permettere.

166 *Resp. ergo ex dictis:* quod Deo in peccato possibili non displicet actu & exercite, quia possiblitas malitia pec-
cati non est malitia existens in actu, sed solum non repugna-
tia ad existendum: unde solum displicet in ea signare, & ha-
bitudine, quatenus ex determinatione sue sanctitatis est de-
terminatus ad illud odio habendum, ex suppositione quod
existat. Nec quod peccatum ex propria essentia sit contra vo-
luntatem Dei præcipientem, aut prohibentem insert, quod,
in statu merè possiblitas actu, & exercite terminet Divinam
displicantiam, sed solum insert quod sit terminativum Di-
vinæ displicantia, ex suppositione quod existat. Alias minoris
momenti objectiones mittimus, & quia inclusæ in præce-
dentiibus, & ex dictis facile dilui possunt.

ART. XIII. *An Deus possit amare crea- tas propter earum bonitatem?*

167 **C**ertum est nullam creaturam existere posse, nisi
terminet actum Divinæ voluntatis, qua velit
esse, & existere, juxta illud Sap. 11. *Quomodo autem possit*
aliquid permanere, nisi tu voluisses, id est, existere: Quia
permanentia nihil aliud est, nisi continuatio existentia. Cer-
tum est itidem creature existentes esse formaliter, & per pro-
priam initiatem intrinsecè bona: quia Deus nihil potest fa-
cere, quod sit per se malum: unde hoc ipso, quod Deus pro-
ducat creature, creature per se ipsas sunt formaliter bona,
& convenit eis bonitas ratione transcendentali, communis
omni enti reali. His certis, quod vertitur in questionem, est:
An Deus possit velle creature propter intrinsecam eorum

bonitatem : Exempli gratia. Existere Angelum A. propter intrinsecam bonitatem ipsius in existendo, quin Angelum ordinet ad alium finem.

168 In quo Thomista, & plures alii docent Deum nullatenus posse amare creaturem propter earum bonitatem immediate, tanquam propter motivum amandi. Contrarium tamen tenent Theologorum plurimi: atque adeo disceptanda est quæstio in terminis puræ possibilitatis, abstrahendo ab ordine præsentis providentiaz. Nam omnes Theologi fateri tenentur aliud esse loqui de absolute possibili Deo, ac loqui de possibili ex aliqua suppositione.

169 **Dicendum.** Deum posse velle & amare creaturem propter earum intrinsecam perfectionem. **Prob. I.** Quia Deus potest facere Angelum, qua bonum in se; sed quæ potest facere, potest velle: ergo si potest facere Angelum, qua bonum in se, potest illum velle & amare, qua bonum in se. **Conseq. tenet :** *Min. est certa, & maj. videtur non posse cadere sub dubitatione.* Nam Deus omnia fecit, quia in se bona immediate. **Conf.** Nam qualibet creatura est per suam entitatem intrinsecè bona, bonitate diversa à bonitate Dei; sed quod est bonum intrinsecè, est amabile qua tale; quippe, ut ait Philosophus: *bonum est amabile, & unicuique maxime proprium:* ergo qualibet creatura est amabilis propter propriam bonitatem, sicuti est cognoscibilis per propriam entitatem. Non ignoramus excogitatas ab adversariis solutiones, quas præcludere conabimur sequenti argumento.

170 **Prob. II.** Deum considerando antecedenter ad decretum producendi creaturem hujus universi: Nam sub ea consideratione ex nullo capite repugnat vello existere Angelum A. propter ipsius Angeli perfectionem, & bonitatem; sed quod ex nullo capite repugnat, est possibile Deo: ergo est illi possibile velle existere Angelum propter ejus bonitatem & perfectionem; ac consequenter, si potest velle unam creaturam propter ejus intrinsecam bonitatem, eadem ratione poterit omnes alias creaturem velle, quia omnes sunt intrinsecè bona. **Min. cum Conseq. tenet. Maj. autem non aliter probatur,** quam expendendo contradictionis capita ad adversariis excogitata.

171 *Obicitur I.* Si bonitas creaturarum propter se ipsam posset amari à Deo, posset respectu Dei exercere causalitatem finis; sed nulla bonitas creaturarum potest exercere causalitatem finis respectu Dei: ergo bonitas creaturarum non potest amari à Deo propter se ipsam. *Maj. videtur certa.* Nam bonum amatum propter se & ratione sui, exercet rationem finis: eo quod de sui ratione est, quod propter se ametur. *Min. prob.* Quia exercere causalitatem aliquam est & exercere superioritatem; sed nihil creatum potest exercere superioritatem erga Deum: ergo nihil creatum potest exercere in Deo causalitatem finis.

172 *Conf.* Quia si bonitas creaturarum propter ipsam posset amari à Deo immediate, ea posset esse immediate, & per se objectum actus Divinæ voluntatis; sed hoc repugnat: ergo bonitas creaturarum non potest amari à Deo immediate, & propter se. *Maj. est certa, Min. autem prob.* Tum quia objectum est causa actus: Tum quia objectum dat speciem actui; sed repugnat quod aliquid creatum sit causa, aut det speciem actui Divino: ergo repugnat quod bonitas creaturarum propter ipsam possit amari à Deo immediate.

173 *Resp. ad hoc Argum.* Simili forma militare contra Sententiam asserenter Deum cognoscere creaturem immediatè in se ipsis, quam tenent plures ex contrariis Auctòribus. Nam in tali Sententia eandem objectivam causalitatem habent creature. *Dicimus ergo*, quod aliud est exercere rationem causæ finalis in Deo necessariò, & inevitabili-
ter; & aliud exercere rationem causæ finalis purè elicitive, & dependenter à libertate Dei. Primo modo solum convenit Divinæ bonitati exercere rationem causæ finalis respectu Dei; secundò vero modo potest convenire bonitati creature exercere causalitatem finis respectu Dei: ad modum quo miseria pauperis est sufficiens in actu primo ad actuali miseriercordiæ; sed non est sufficiens in actu secundo, nisi dependenter à libertate subjecti. *Ad Min. autem dicimus*: quod duplex est causalitas, alia realis & physica, & alia purè intentionalis & metaphysica; qualis est causalitas finalis, & objectiva: licet ergo repugnet creature exercere causalitatem realem

& physicam respectu Dei : quia causalitas physica dicit influxum in esse substantiale , vel accidentale , cuius est in capax Deus ; at vero causalitas finalis & objectiva , cum nullum dicat influxum in Deum , nec in ejus actus , nisi pure terminativum , & extrinsecum ; sicuti Deo non repugnat quod sit objectum ejus offendæ , quia se habet pure extrinsecè : ita ei non repugnat , quod aliquid creatum sit objectum , & motivum actus amoris ejus : quippe in hoc solum se habet extrinsecè objectum , & finis.

174 *Objicitur II.* Deus nihil vult , nisi propter se : ergo non potest velle creatureas propter earum bonitatem creatam . *Ant. prob.* Quia si posset velle creatuream propter ejus bonitatem creatam , posset habere duos ultimos fines ; sed hoc repugnat : ergo non potest velle creatureas propter earum bonitatem creatam , sed precise propter se . *Prob. Maj.* Quia si Deus velleret creatuream propter ejus intrinsecam bonitatem , & non propter propriam bonitatem ; creatura amaretur à Deo propter eam , & sine ordine ad aliud ; sed quod sic amat , amat ut ultimus finis : ergo creatura tunc amaretur à Deo ut ultimus finis : sed alias Deus necessariò se amat ut ultimum finem : ergo tunc Deus haberet duos ultimos fines .

175 *Resp.* Quod duplex est ultimus finis , alius positivè , & alius negativè . Ultimus finis positivè est summum bonum , quod diligitur propter se , & cætera diliguntur propter ipsum ; & hoc modo solum potest esse unicus ultimus finis , ut ex ipsis terminis constat . Alius est ultimus finis negativè , qui propter se amat , & non propter aliud , esto & possint alia amari , & non propter ipsum : hoc autem modo nullatenus repugnat plures habere ultimos fines ; ut constat in Justo peccante venialiter , qui licet habitu habeat Deum , ut ultimum finem ratione charitatis : attamen in actu peccati venialis non habet Deum , ut ultimum finem : quia peccatum veniale non est rescribile in ipsum . Unde bonum intentum per peccatum veniale propter se amat à Justo , ac proinde , ut ultimus finis negativè : & simili modo potest peccare diversis peccatis venialibus , imò & homo mortali bus , & habere plures ultimos fines negativè : idemque di-

ci potest in Sententia adstruente actus indifferentes in individuo. Ex quibus dicimus, quod licet Deo repugnet habere duos ultimos fines positive, non repugnat ipsi habere plures ultimos fines negative; quia potest creaturem propter earum intrinsecam bonitatem amare sine ordine ad aliud, propter exercitium suæ libertatis in se communicando.

176 *Nec refert si dicas: Quod Deus non potest velle creaturem propter motivum imperfectum, & amare ipsas propter earum bonitatem est motivum imperfectum: siquidem est aliud perfectius, scilicet bonitas Divina. Non, inquam, id refert.* Quia res non dicuntur perfectæ per hoc quod habeant omnem perfectionem excogitabilem, alias nulla creatura esset perfecta contra illud Deuteronomii 32. *Dei perfecta sunt opera;* sed per hoc quod nihil eis desit ex his quæ exigunt ex genere, vel specie; ac proinde creatura non dicitur positivè imperfecta, ex hoc quod desit aliquid ei ex perfectione non debita; ut homo non dicitur creatura imperfecta ex hoc, quod desit ei perfectio Angeli; sed solum ex hoc, quod deficiat ei brachium, exempli gratia, quia id ei ex propria specie debetur: unde quod non adæquat perfectionem alterius non sibi debitam, solum dicitur imperfecta negativè respectu illius. Sic pariter in præsenti, licet amor in Deo propter bonitatem creaturem non sit æque perfectus objectivè, ac amor illarum propter ipsius Dei bonitatem, non est positivè imperfectus, & dedecens Deum: quia Deus non tenetur in operatione libera præscribere sibi perfectius motivum, ut ex dicendis constabit, nec est necessitatus ad optimum. Supposito, quod Deus possit diligere creaturem propter earum intrinsecum perfectionem: restat disquirere, quid de facto.



ART. XIV. An Deus amet creaturas de facto propter bonitatem intrinsecam earum?

177 **D**icendum I. Deum de facto amare omnes creature propter se ipsum, & propter finem à se præscriptum, qui est sui communicatio creaturæ intellectuali. In hoc convenire debent, ac de facto convenientur Theologici. *I. Quia*, Proverb. 16. dicitur: *Omnia propter semetipsum operatus est in nobis Dominus*: ergo si Dominus omnia operatus est propter semetipsum, omnia propter se ipsum voluit, tanquam propter finem. *II. Quia* in Deo ratio ultimi finis commensuratur cum ratione primi principii; sed Deus est primum & universale principium omnium creaturarum: ergo est ultimus finis propter quem factæ sunt omnes creature: atque adeò Apocalypsis cap. 1. dicitur: *Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis. III. Quia*, ut ait Apost. ad Ephes. cap. 1. *Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis sue*; sed consilium Divinæ voluntatis fuit se ipsum communicare creaturis intellectualibus propter suam infinitam bonitatem: ergo Deus omnia operatur propter sui communicationem creaturis intellectualibus ob ipsius Dei bonitatem. *IV. Quia* Deus voluit creature esse ob aliquem finem, sed non alium, quam se ipsum: ergo voluit creature esse propter se ipsum, tanquam finem. Quod exposcit ratio providentiaz earum, quia hæc nihil aliud est, nisi ordo rerum in finem: Unde omnia corporalia creavit Deus propter hominem, hominem autem propter suam bonitatem creavit, ut se illi communicaret: qua ratione dicit Apostolus ad Corinth. 1. cap. 3. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.* In quo convenientur SS. PP.

178 **Dicendum II.** quod Deus omnia volens propter suam bonitatem, tanquam propter ultimum finem, voluit etiam moveri immediate à bonitate creaturarum per ordinem ad finem sibi præscriptum; ad modum quo, etsi merita

Chris-

Christi Domini sunt causæ universales in ordine ad nostram sacerdotaliæ & justificationem illorum virtute, bona opera Justorum habent suo modo causalitatem in sanctificationem & justificationem Justorum per modum meriti de congruo, & impetrationis. Hanc sententiam tenent plures, stantque plura pro ea argumenta.

179. *I. Quia* in Deo datur amor amicitiæ erga Justos; sed amor amicitiæ dicit amare bonum amico, quia bonum amici est: ergo Deus amans ut amicos Justos, amat bonum illorum, quia bonum illorum est: ac proinde bonum creatum illorum terminat, & movet immediatè amorem Dei. Verum hoc fundamentum intendunt auctores contrarii eludere. *Tum* afferendo quod amor amicabilis terminatur ad bonum amici propter ipsum bonum amici in subjecto capaci amandi amicum propter ipsum bonum amici, ut continget inter creaturas intellectuales; secus autem in subjecto incapaci, qualis est Deus respectu creaturæ, quia nihil potest velle propter bonitatem creatam. *Tum* quia de ratione amicitiæ solum est velle bonum amico propter ipsum tanquam finem *cui*, in cuius commodum totum bonum resultet, quin inde aliqua utilitas resultet amanti; non vero requiritur quod bonum amici ametur propter ipsum, tanquam propter finem *cujus gratia*.

180. Attamen ex hac solutione sequitur, quod amicitia Dei erga Justos solum sit analogè talis respectu amicitiæ verè talis, quæ inter creaturas intellectuales & amicitiam Justorum ad Deum. Quia amicitia inter creaturas intellectuales & justorum ad Deum terminatur ad bonum amici, quia bonum illius, tanquam propter finem *cujus gratia*; quomodo non terminatur juxta adversarios amicitia Dei ad Justos. Deinde, quia si amicitia Dei ad Justos, solum terminaretur ad ipsos, ut ad finem *cui*, & non ut ad finem *cujus gratia*, talis amicitia solum esset actus puræ beneficentia. Nam beneficentia est virtus qua benefacimus aliis propter utilitatem ipsorum, esto illi non se habeant, ut finis *cujus gratia*, totumque emolumentum & utilitas in ipsos redundet: ergo amicitia Dei erga Justos solum erit pura beneficentia, & non vera amicitia. Sicque sacræ Scripturæ verba

quibus exprimitur amicitia Dei iuxta Justos , derorquentur in sensum impropprium sine manifesto inconvenienti.

181. *III. Quia de facto Deus vult dare gratiam Justis propter eorum merita , saltem in executione , conferre quae hominibus beneficia propter preces & orationes Sanctorum , quorum ratione immediate movetur , & sunt motivum ad ea conferenda ; sed merita & orationes Sanctorum sunt quid creatum : ergo Deus ad hæc conferenda movetur immediate , & ratione cuius gratia , à bonitate meritorum & precum Sanctorum . Nam id quod movet ad conferendum aliquid non conferendum eo non stante , se habet ut ratio motiva immediata , & causa moralis ad collationem .*

182. *Conf. Quia Deus confert hominibus gratiæ auxilia ad obtinendam remissionem peccatorum , & gratiam sanctificantem , motus immediate à meritis Christi , ut est omnino certum inter Catholicos ; sed merita Christi sunt quid creatum & bonitatis creatæ : ergo Deus movetur immediate à bonitate creatæ .*

183. *III. Quia supposita unione hypostatica in humanitate Christi , hæc per se ipsam terminat , & movet ad maximum Dei amorem erga eam . Itidem supposita dignitate matris Dei in B. Virgine Maria , propter talem excellentiam diligit eam Deus excellentiori amore , quam diligit ceteros Sanctos . Similiter quanto plus Iusti Deum amant , tanto plus diliguntur à Deo ; ita ut dilectio creaturæ sit motivum immediate datum dilectionis Creaturis , juxta illud Joan. cap. 14. Si quis diligit me , diligitur à Patre meo , & cap. 16. Christus ad Apostolos : Ipse Pater amat vos , quia vos me amatis . Quibus verbis innuitur clare , amorem ex parte creaturarum causam esse , motivum , & rationem ut creaturæ diligentur à Deo : ergo cum amor creaturarum ad Deum , & dignitas maternitatis in B. Virgine , ac esse humanitatem Christi unitam hypostaticè Verbo Divino sint quid creatum ; Dei voluntas movetur immediate ab aliquo creato , tanquam à motivo & ratione cuius gratia .*

184. *IV. Quia in Deo datur complacentia in Christo , qua homine , juxta illud Mathæi cap. 12. Hic est filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui : & complacet in operibus*

bus à se factis , ac complacet in bonis operibus Iustorum, ut sæpe sæpius innuunt Sanctæ Scripturæ ; sed complacentia in bono movetur immediatè ex bono ipso, ut ex terminis constat : ergo si Deus complacet in bono creato , movetur immediatè ab illo : ac per consequens bonum creatum terminat immediatè , & per se actum Divinæ voluntatis. *Denique quia* in Deo datur displicentia peccati propter ipsius malitiam : ergo & complacentia in opere bono propter ipsius honestatem.

185 Mittimus fundamentum aliorum desumptum ex virtutibus moralibus , quæ sunt in Deo , & ex harum differentia à virtutibus Theologicis , quæ pro motivo immediato habent ipsum Deum , vel quid Divinum ; ac virtutes morales habent pro motivo immediato aliquid creatum , scilicet operum honestatem: quia doctiores ex contratiis docent, motivum immediatum virtutum moralium in Deo esse ipsam honestatem actionis Divinae , ac proinde motivum illarum non est quid creatum.

186 Argumenta , quæ contra nostram Sententiam objiciuntur ab adversariis , soluta manent præcedenti quasito. Ut autem faciliori modo percipiatur nostra Sententia , nota quod sicut Deus ad salutem hominum voluit moveri ex meritis Christi , & ex ipsis meritis Christi voluit bona opera Iustorum habere rationem meriti , & imprecationis apud Deum; ita Deus volens propter suam bonitatem hominum salutem , ut eam ipsam obtinerent , voluit immediate moveri à bonitate creaturarum , ut homines majori studio accenderentur ad bona opera , consipientes Deo per ea placere , ipsumque amare , iisque gratias referre ; eo quod & complaceat in his , quæ ad nos & ad nostrani salutem ordinavit : quod certè est unum ex præcipuis motivis , quibus tenemur ad Dei dilectionem , ad obsequia ei præstanda , & ad maximam gratiarum actionem.

187 *Ex dictis sequitur* , quod nullo ex capite repugnat Deo amicitia erga creaturas intellectuales ; quia potest amare ipsas propter earum bonitatem immediatè , aliunde constat ex Scriptura Iustos esse amicos Dei , quæ in proprio sensu accipienda sunt , dum nullum est inconveniens , uti in præ-

senti contingit, de quo latius Theologi Tract. de Charitate.

ART. XV. An sit Desiderium in Deo?

188

CUM egerimus de amore Dei erga seipsum, & de amore benefico ipsius erga creaturas, cum inter actus prosecutivos post amorem sequatur desiderium, ut expendamus reliquos Divinæ voluntatis actus, quæritur: An sit desiderium in Deo? Conveniunt omnes desiderium esse actum voluntatis, quo terminatur ad bonum, quatenus absens aut physicè, aut intentionaliter per cognitionem: quæ certa sunt Theologis & Philosophis, qui plura discutiunt de natura & proprietatibus hujus affectus. Negant jure Theologi in Deo desiderium erga bona intrinseca, sive essentialia, sive notionalia: quia desiderium solum est de bono futuro; sed nulla bona Dei intrinseca, essentialia, sive notionalia sunt Deo futura, quippe omnia necessariò metaphysicè Deo inexistunt: ergo de illis non potest esse desiderium in Deo.

189 Solum ergo potest subesse dubio: An erga ea, quæ per se facturus est, & nondum fecit, ut animas futurorum hominum, desiderio teneatur; aut de bonis extrinsecis quæ dependent à voluntate creata? In quo Thomistæ absolute negant desiderium in Deo, etiam quoad bona extrinseca. Contrarium tamen tenent Suarez, & Vazquez pluresque alii, ac ex nostris Fuster, Grandin.

190 Dicendum in Deo esse verè desiderium in ordine ad bona sibi extrinseca, & ad bona creaturarum, quæ pendunt à voluntate creata. *Prob.* Quia desiderium nihil aliud est, nisi voluntas boni futuri; sed in Deo datur in ordine ad dicta voluntas boni futuri: ergo in ordine ad dicta datur in Deo desiderium. *Min. prob.* Quia Deus vult à creaturis amari, & glorificari, itidemque omnes homines salvos fieri; quæ non sunt bona existentia pro nunc, *exempli gratia*, amor & glorificatio Dei respectu hominum existentium pro anno sequenti: ergo datur in Deo respectu dictarum rerum amor boni futuri, & consequenter desiderium.

191 *Nec valet dicere*, ad desiderium requiri amorem boni futuri cum aliqua anxietate & hæsitatione, quarum cum sit incapax Deus propter suam felicitatem, ac scientiæ certitudinem; ideo amor ille boni futuri desiderium dici nequit. *Contra enim stat.* Nam in animabus Beatorum est verum & proprium desiderium reunionis ad propria corpora in eorum resurrectione; & tamen de tali reunione non est in illis ulla anxietas, aut hæsitatione: ergo ad veram rationem desiderii anxietas, aut hæsitatione erga bonum futurum non requiritur.

192 *Conf.* Nam licet misericordia in hominibus dicat conceptum compassionis alienæ miseriæ, quia datur in Deo actus sublevandi alienam miseriam, esto in ipso non detur compassio, quia illius est incapax; datur vera misericordia: ergo similiter, licet in Deo non detur anxietas & hæsitatione, quæ consequuntur hominum desideria, dum detur in ipso amor boni futuri, datur verè, & propriè desiderium. Ex qua etiam solutione sequeretur, saltem ex parte anxietatis Beatos nihil posse desiderare vero desiderio. *V.g.* hominum salvatorem, peccatorum pœnitentiam &c. quia anxietatis sunt incapaces.

193 *Nec itidem valet dicere*, quod ad desiderium verum & rigorosum, non sufficit amor boni futuri utcunque; sed requiritur quod sit boni futuri quod quisque non habeat faciliter, & pro suo nutu in sua potestate: cum autem Deus sine difficultate & pro suo nutu habeat in sua potestate bona sibi extrinseca, aliaque bona, quæ dependent à voluntate creatarum, inde est quod nullum in eo datur desiderium erga bona sibi extrinseca, nec erga bona, quæ pendent à voluntate creatarum.

194 *Sed Contra est.* Nam licet omnia (absolutè loquendo) habeat Deus in sua potestate; attamen ejus bona extrinseca ex vi præsentis providentiæ pendent à libertate creatarum, ac verè & propriè sunt in ejus potestate, ut docet Apostolus; sed amor boni futuri, quod ab aliena pendet potestate, est verum, & proprium desiderium: ergo ad bona Deo extrinseca, & quæ à voluntate creatarum pendent, datur in Deo verum & proprium desiderium. Etenim si nolumus de nomine questionem agere, quomodo nuncupandus est amor iste

boni futuri in Deo? Nam gaudium est de bono præsentis amor simplex terminatur in bonum, præscindens à futuritione; hæc autem voluntas vera & sincera Dei, qua vult omnes homines solvos fieri, non præscindit à futuritione, sed ex ejus præparantur à Deo media, ut salvi fiant, si per ipsos non steterit: ergo huic voluntati Divinæ nihil deest ad rationem desiderii; nisi vocibus abutamur. Unde Apostolus 1. ad Thessalonicenses cap. 4. de hoc voluntate loquitur, & ait. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

195 De desiderio erga ea, quæ Deus ipse facturus est, & nondum fecit, non discussum à Theologis: censeo tamen, quod volitio illa, qua Deus decernit rerum existentiam, non potest dici desiderium; sed est amor simplex effectivus existentiæ earum; desiderium autem supponit subjectum, cui bonum desideratur. Cum autem per volitionem illam, qua Deus decernit existentiam creaturarum, non supponat ipsas futuras, sed ex vi ipsius sint futurae; ea volitio vere & propriè non potest dici desiderium existentiæ earum, sed solum amor effectivus illarum.

196 *Sed Dices:* ea ipsa, quæ quis est determinatus ad agendum, potest desiderare: *Exemp. grat.* potest quis desiderare iter peragere, quod jam est determinatus ad agendum. Et Christus Dominus, cum jam esset determinatus ad celebrandum Pascha, dixit: *Lucæ cap. 22. n. 15. Desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* ergo potest esse desiderium executionis eorum quæ quis est determinatus ad agendum & similiter executionis in Deo: erga ea, quæ facturus est.

197 *Resp.* Quod potest quis desiderare ea, quæ determinatus est ad agendum, quando est aliqua circumstantia ad executionem, quæ non pendet ab ejus voluntate, ut contingit in Christo respectu celebrationis Paschæ, cui post adventum temporis præscripti ad illud celebrandum subesse poterant aliquot impedimenta, cum anteā tentaverint Judæi ipsum occidere. At verò quando quis est determinatus ad aliquid agendum, nullaque præpeditur obice ad ejus executionem; sed hac subest illi, quomodo, & quando voluerit, nullo modo potest teneri desiderio illius: quia habetur moraliter ut pos-

sessum, quod sic est in potestate ipsius: & ideo non est locus desiderio, qui est motus ad bonum absens subiecto, cui bonum desideratur.

198 Qui omne desiderium negant in Deo, consequenter negare tenentur spem in Deo, cum spes nihil aliud, quam quoddam desiderium boni absentis. Concors Theologorum Sententia spem negat Deo; esto plures, uti Nos, desiderium in ipso concedant variis de causis: *Tum* quia spes est desiderium obtainendi ab alio, aut alterius virtute bonum: Deus autem nequit aliquid ab alio obtainere: nam ut ait Apost. *Quis prior dedit illi;* & alterius virtute, cum sit omnipotens. *Tum* quia spes dicit desiderium afflictum, cuius est incapax Deus: Verum haec pro nunc examinare non vacat, quia subsunt aliquibus difficultatibus. Vera ergo ratio est, quia spes est desiderium boni ardui, & difficilis consequi: sed Deo nihil est arduum, ac difficile consequi: ergo in Deo nullius rei potest esse vera, & propria spes: cum enim sit omnipotens, subest illi, cum voluerit, posse, ut docet Augustinus ex Sapientia 8.

199 Post affectus prosecutivos voluntatis, restant disquindi actus aversionis, recessionis, & fugae à malo. Quia sicut voluntas actu volitionis tendit in bonum: ita actu nolitionis refugit à malo: ad modum quo aciem oculorum intendimus in pulchrum, & eam avertimus ab horribili, & fædo: & ideo actus ille voluntatis, quo à malo avertitur, recedit & fugit, genericè loquendo, dicitur *displacentia*: & quia malum potest considerari secundum se, & prout in persona, sic terminat odium: & prout futurum, qua ratione terminat timorem, & prout præsens terminat tristitiam. Quia eomodo, quo voluntas tendit in bonum, eodem modo recedit, & *aversatur* malum; nam actus contrarii contra-modo se debent habere.

**ART. XVI. An in Deo sit odium propriè
tale?**

200 **T**Homistæ communiter illud negant, & solum concedant metaphoricum, quatenus concedunt dari in Deo actum voluntatis, quo vult peccatori malum modo infra insinuando. Ceteri verò Theologi, Nostræ, Scotistæ & Jesuitæ communiter adstruunt, odium vere & propriè in Deo: quæ sententia nobis probatur.

201 *Dicendum* dari in Deo verè & propriè odium erga peccata & peccatores. De peccato prob. I. ex Psalmo 44. ubi Psalmographus de Deo canit: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem:* & Jeremiæ cap. 44. nomine Dei loquentis: *Nolite facere verbum abominationis hujusmodi, quam odivi:* Et hujusmodi loquendi formæ frequentissimæ sunt in Scriptura; sed ejus verba accipienda sunt in proprio sensu, nec detorqueri possunt ad metaphoram, nisi adstet grave inconveniens, quale non stat in præsenti: ergo in Deo est vere propriè odium peccati. His mire consonant SS. PP. frequentissimè inculcantes odium Dei erga peccata.

202 *II. Prob.* Quia in Deo est vera & propria displicentia peccati, qua talis; sed displicantia peccati, qua talis, est verè & propriè odium: ergo in Deo est vere, & propriè odium peccati, qua talis. *Maj.* meo judicio ab nullo Catholicorum negari potest: *Conseq. tenet,* *Min. autem per se constat:* Nam in Deo displicantia, qua talis, non est vere timor, nec tristitia, quas à Deo relegant omnes Theologi: ergo est propriè odium: *III. Prob.* Nam qui verò amore amat unum ex contrariis, verò odio contrarium habet, saltèm quoad specificationem propter infra dicenda; sed Deus vero amore, & complacentia amat sanctitatem: ergo verò odio displicet in malitia peccati; cum malitia peccati sit sanctitati contraria. *IV.* Quia Deus verò odio prosequitur quod vult non esse; sed Deus verè, & realiter vult, quantum est ex se, peccatum non esse, juxta illud Psalmi. 5. *Quoniam non Deus volens ini-*
quitatem tu es: ergo Deus verum odium habet ad peccatum.

Nec

203 Nec refert si dicas, quod odium est de subsistentibus; & peccata non sunt res subsistentes: Non inquam, id refert. Quia licet odium inimicitiae non possit esse, nisi inter personas subsistentes, absolute & generaliter loquendo, est omnino falsum. Nam sicut verè amamus delicias, honores, & dignitatis; ita vero odio habemus, & horrore prosequimur labores, ærumnas, paupertatem, & alia hujusmodi; cum autem peccatum sit de se majus malum in ratione mali, ea ratione, potiori de causa potest odium terminare.

204 Dicendum in Deo dari & vere & propriè odium erga peccatores ratione peccati. Prob. I. ex Scriptura: nam Psalm. 5. dicitur de Deo: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Sapientia 14. Odio sunt Deo impius, & impietas ejus Ecclesiastica 12. Altissimus odio habet peccatores: quæ verba detorqueri ad metaphoram non possunt, cum inconveniens non stet: & sic loquantur frequenter SS. PP. ergo datur in Deo vere & propriè odium erga peccatores. II. Quia Deus habet actum aversivum, & displicantiam erga peccatores ratione peccati; sed hæc aversio & displicantia erga peccatores ratione peccati est formaliter & propriè odium: ergo in Deo datur propriè & formaliter odium erga peccatores ratione peccati; Min. prob. Quia hæc aversio, & displicantia non est propriè timor, nec tristitia: ergo est propriè odium: III. Quia peccato ratione peccati fit vere inimicus Dei, sicut ratione charitatis fit homo amicus Dei: sed homo ratione charitatis fit verè & propriè amicus Dei: ergo ratione peccati fit verè & propriè inimicus Dei. Sed amicitia importat necessariò verum & proprium amorem: ergo inimicitia importat necessariò verum, & proprium odium.

205 Respondent communiter Thomista: quod displicantia & inimicitia, quam Deus habet erga peccatores, non est verè & propriè odium: quia odium est velle malum alicui reduplicativè, quia malum illius est: cum autem Deus non possit velle malum alicui, quia malum illius est; sed solum propter finem sanctissimum ostensionis suæ justitiae, & correctionis aliorum; inde est quod non prosequitur vero & proprio odio peccatores. Nam ut ait Hieronimus lib. 1. contra Pelagianos. Aliud est cedere Magistri, & parentis affectus
Ee aliud

aliud contra adversarios crudeli animo defavire. Quapropter conspicimus judicem velle capitale supplicium reo, patremque filio pravis corrupto moribus flagella absque odio rei, & filii; quia propter finem bonum hæc exequuntur. Unde eadem de causa, esto Deus velit malum peccatoribus, quia illud non vult, qua malum illorum, sed propter sanctissimos fines displicantia; & inimicitia quam habet ad illos, non habet rationem odii verè & propriè.

206 Sed contra hanc solutionem, qua unice defenditur sententia contraria, stat. I. *Quod odium propriè & formaliter non stat in actu volitionis, quo quis vult malum alicui, qua malum illius; sed in actu recessivo, & nolitionis:* quippe odium non est actus prosecutivus, sed actus contrarius voluntati. Ac sicut actus prosecutivus, ut amor Dei, imperat actum recessivum & fuga, qualis est detestatio peccatorum propter Deum: ita actus fugæ & recessivus erga peccatorem imperat actum prosecutivum volendi illi malum, quia malum illius est: in quo actu prosecutivo non stat formaliter odium: ergo dum pro priori ad hunc actum prosecutivum est in Deo actus fugæ, displicantæ & aversionis erga peccatum ratione peccati, stat in Deo vera & propria ratio odii erga peccatorem.

207 II. *Quia, esto Deus sanctissimus de finibus velit malum peccatoribus propter peccata;* hoc non obest ut velit malum peccatori propter peccatum, qua malum illius est immediate; sed hoc in sententia adversariorum sufficit ad verum & proprium odium erga peccatores ratione peccati: ergo Deus erga peccatores ratione peccati habet verum, & proprium odium. *Prob. Maj.* Quia Deus vult malum peccatori propter peccatum, qua pena peccati est; sed qua pena peccati est, est malum peccatoris, qua malum illius est: ergo vult malum peccatori, qua malum illius est ratione peccati. *Maj. cum Conseq. tenet, & Min. jure negari non potest:* Nam pena formaliter nihil aliud est, quam malum afflictivum, qua afflictivum subjecti ratione culpa, aut peccati. Et enim si malum afflictivum non sit ratione peccati, rationem penæ habere non potest, ut constat in Martyribus, & his qui persecutionem patiuntur propter Justitiam. *Qua propter Deus,*

ut justissimus judex, non potest velle immediatè pœnam peccatoribus, quin velit illud malum, quod importat pœna, qua malum peccatorum est; & ideo voluntas Dei extenditur ad mala pœna, ut docet D. Thom. I. p. q. 19. art. 9.

108 Dispar est enim ratio in recto judice respectu Rei, & patris respectu filii: Judex, & reus considerari possunt ut personæ particulares, & judex ut persona gerens curam Republicæ, & reus ut Reipublicæ inimicus; licet ergo judex, qua persona particularis, possit reum plectere capitali supplicio, sine odio personali; tamen reum, qua reum, & qua judex curam gerens Reipublicæ, non potest non odio habere; ac exinde plectere supplicio. In patre verò propter amorem filii amor ordinat flagella, tanquam media ad emendationem filii; sicut Chirurgus discindit cum dolore tainorem in ægerto propter ejus sanitatem; Deus verò cum punit, aut decernit pœnam peccatori, necesse est quod velit malum illi, quatenus malum illius est.

209 III. *Quia* Deus odio prosequitur damnatos, volendo illis eternos cruciatus, quatenus illis torquentur: & illos habet ut sui inimicos qui, quantum est ex parte affectus, vellent ipsum Deum non esse: ergo saltem erga damnatos non potest negari Deo verum odium: ac præsertim cum Justitia erga peccatores damnatos possit exerceri odio erga illos, quia inimicos Dei.

210 *Arg. I.* Quia odium est velle malum alicui, qua malum formaliter illius; sed Deus non potest velle alicui malum qua malum illius est: ergo non potest aliquem odio habere odio vero, & strictè tali. *Prob. Min.* Nam objectum specificativum Divina voluntatis est bonum, ut bonum: ergo Divina voluntas non potest tendere in malum, qua malum: cum extendi non possit extra terminos sui objecti specificativi.

211 *Resp.* Quod odium non est primo & per se velle malum alicui, sed aversio à malo, & ex consequenti velle malum alicui: ac quod licet Deus non possit habere actum prosecutivum erga malum simpliciter tale, quale est peccatum; attamen erga malum pœna potest habere actum prosecutivum: *Tum* quia secundum se est quid physicum disconveniens sub-

jecto : *Tum* quia in illa disconvenientia est ratio convenientiae & bonitatis per respectum ad Divinam Justitiam : & hac ratione pena terminat voluntatem Dei , & actum prosecutum illationis mali physici , qua disconvenientis subjecto ratione peccati , ac sub ratione boni convenientis Divinæ Justitiae . Et si quid probat argumentum , probat utique non posse dari in homine odium propriè dictum : quia voluntas hominis non potest tendere in malum , qua malum ; sed sit tendit in malum , semper tendit sub aliqua ratione boni . Ex quo facile Resp. in forma .

212 *Arg. II.* Odium propriè tale dicit imperfectionem in Deo : ergo non est in ipso . *Prob. Ant.* Quia actus per quem non diffunditur bonitas Divina , dicit imperfectionem ; sed per actum odii non diffunditur bonitas Divina , cum potius retrahatur : ergo odium dicit in Deo imperfectionem . *Prob. Maj.* Quia actus , qui non est exercitium communicationis bonitatis Divinæ , dicit imperfectionem ; sed per actum , quo non diffunditur bonitas Divina , non exercetur communicatio Divinæ bonitatis : ergo actus quo non exercetur communicatio Divinæ bonitatis dicit imperfectionem . *Conf.* Quia odium , & displicantia assert secum tedium , & minuit plenitudinem gaudii ; sed Deus est incapax tedium , & diminutionis gaudii : ergo Deus est incapax odii propriè dicti .

213 *Resp. ad Arg. falsam esse Ant. probationem.* Nam v. g. actus nolitionis alterius mundi in Deo non dicit imperfectionem : cum nolitio alterius mundi sit exercitium Divinæ voluntatis , quo alio mundo noluit communicare suam bonitatem ; unde actus Divinæ voluntatis , quo retrahet se Deus à communicanda sua bonitate propter suam justitiam , aut pro suo libito , non dicit imperfectionem positivam in Deo ; sed solum carentiam merè negativam perfectionis liberæ , & non necessariæ Deo , quas carentias perfectionis in Deo omnes Theologi tenentur concedere . Ex quo facile est respondere in forma .

214 *Ad confirmationem Resp.* quod licet odium in nobis regulariter aferat secum tedium , displicantiam , animi commotionem , & diminutionem gaudii ; hos effectus non indu-

cit in Deo , quia illorum incapax , sicuti dicitur ab omnibus Theologis de misericordia in Deo ; esto in nobis afferat secum compassionem : & aliqui Theologi de ira , esto in nobis afferat secum commotionem .

215 *Ex quibus efficitur esse in Deo verè & propriè odium peccati quidem propter intrinsecam malitiam , & fæditatem ; peccatoris autem propter ipsam peccati malitiam , ratione cuius efficitur dignus odio Dei . Odium autem abominationis , & execrationis non dicit differentiam specificam odii , sed solum gradualem magnitudinem illius . Nam sicut quos maxime odio habemus , eorum nomen formare , aut audire non patimur : ita dicimus hac de causa , abominari , & execrari , ac odio habere , odio abominationis . Præterea notandum est , quod odium Dei correspondet culpæ , & peccanti juxta conditionem culpæ : Si culpa est gravis , odium Dei erga illam , & peccantem est odium grave , quo dissolvitur amicitia Dei erga peccatorem ; si verò culpa sit levis , odium quod ex parte Dei correspondet illi , est odium leve , per quod non dissolvitur amicitia cum Deo , uti docent omnes doctores Catholici .*

ART. XVII. *An Deus absolutè loquendo sit necessitatus , quoad exercitium , ad odium culpæ & peccatoris?*

216 **O**MNES Theologi jure convenient Deum , quoad specificationem esse necessitatum ad odio habendum peccatum , & peccatorem ; quia ejus voluntas non potest tendere in peccatum , & peccatorem per actum amoris , atque hoc ipso , quod se exerceat erga peccatum & peccatorem , debet se exercere per actum displicantie & odii . Unde difficultas à paucis discussa , & à plerisque leviter tractata est : An Deus sit necessitatus ad exercitium odii posita culpa , & ea supposita ad exercitium odii peccatoris ?

217 **Dicendum I.** Quod Deus non est necessitatus quoad exer-

exercitium ad odium peccati. *Prob.* Quia si Deus esset necessitus quoad exercitium odii erga peccatum, vel esset ratione suæ infinitæ bonitatis, vel ratione malitiæ peccati: cum non appareat aliud principium, unde possit talis necessitas provenire; sed nullo ex his capitibus est Deus necessitatus ad exercitium odii erga peccatum: ergo Deus non est necessitatus ad exercitium odii erga peccatum. *Prob. Maj. quoad pri-*
mam partem. Nam sanctitati creatæ non repugnat omissione odii erga peccatum: nam alias sancti semper deberent esse in continuo exercitio odii peccati: ergo nec sanctitati Divina repugnabit omissione: seu non exercitium odii peccati. *Quoad secundam partem prob.* Quia malitia peccati, omnium sententia, non est infinita (quidquid sit de offensa peccati mortalis) sed potius finita, nec nocumentum aliquod infert Deo: ergo non est Deus necessitatus ad exercitium odii illius. *Prob. Conseq.* Quia bonitas creaturarum est finita, & Deus eis non egreditur, ad amorem illarum non est necessitatus quoad exercitium: ergo si malitia peccati non est infinita, nec Deo nocumentum infert, non potest necessitare Deum ad exercitium odii peccati.

218 *Sed dices:* Quod Deus ratione suæ Sanctitatis est necessitatus ad exercitium odii peccati; sicut ratione illius est necessitatus, quoad exercitium, ad sui amorem, licet necessitas ad amorem Dei, quoad exercitium, non exigatur à sanctitate creatæ. *Sed contra est:* Quia ideo Deus est necessitatus quoad exercitium ad sui amorem, quia est infinitè bonus, semperque objectivè præsens: unde Divina voluntas non potest suspendere exercitium amoris; at malitia peccati non est infinita: ergo malitia peccati non potest habere vim necessariam ad movendum Deum ad exercitium odii. Quibus accedit, quod quotiescumque non appareat motivum evidens ad restringendam libertatem actuum Dei erga creaturem, concedenda est ei prædicta libertas.

219 *Dicendum II.* Quod peccator, hoc ipso quod peccat, contrahit debitum, ut odio habeatur à Deo. In hac assertione convenire debent omnes Theologi. Ratio est, quia peccator, hoc ipso quod peccat operatur contra legem, *cum sine lege non sit prævaricatio:* ut ait Apostolus; sed lex ad diffe-

ferentiam consilii affert secum comminationem pœnae transgressori: ergo peccator, qua transgressor, necessariò contrahit debitum pœnae; sed pœna est effectus odii Dei: ergo peccator, hoc ipso quod peccet, contrahit debitum odii Dei.

220 *Cum hoc tamen stat,* quod Deus non sit necessitatus quoad exercitium ad odio habendum peccatorem. Nam Deus, et si sit Legislator, ut potest absolutus Dominus, potest dispensare in suis Legibus juxta modum quo docent Theologi eo Tractatu, & potest remittere pœnas Legibus impositas: ergo non est Deo necessarium quoad exercitium pœnas peccatorum peccantibus inferre: ergo non est necessitatus quoad exercitium ad odium peccatoris. *Prob. Conseq.* Quia in tantum esset necessitatus quoad exercitium ad odium peccatoris, in quantum esset necessitatus ad exercitium inferendi ei pœnam: ergo si ad hoc non esset necessitatus quoad exercitium, non est necessitatus quoad exercitium ad odio habendum peccatorem. *Ulteriusque* quia (sicut diximus) Deus non est necessitatus quoad exercitium ad odio habendum peccatum, potiori ratione non erit necessitatus, quoad exercitium ad odio habendum peccatorem: quia peccator non est odio dignus, nisi ratione peccati.

221 Timorem, & tristitiam omnes Theologi negant in Deo: quia cum per suam essentiam sit essentialiter beatus, est incapax mali, quod est objectum motivum timoris, & tristitiae. Quando autem in Sacris literis attribuitur Deo pœnitentia, ut quando dicitur Genesis cap. 6. *Penitent me fecisse hominem:* accipienda sunt prædicta verba per metaphoram, qua explicatur & innuitur displicantia, & odium Dei erga homines peccatores: nam pœnitentia de sui ratione dicit displicantiam, & odium erga peccatum.



**ART. XVIII. An sit in Deo ira verè, &
propriè?**

222 **H**ÆC quæstio de nomine magis, quam de re à pluribus censetur. Suarez & alii tenent verè, & propriè esse in Deo iram, quatenus est in Deo affectus vindicativus offensæ, & injuriæ illatae ipsi per peccatum, depuratus ab imperfectionibus, cum quibus reperitur in creaturis: quam sententiam firmare contendit Lactantius lib. de ira Dei cap. 17.

223 Communis tamen Theologorum sententia nagat in Deo veram, & propriam iram cum Magistro Sentent. in 1. dist. 45. §. Ideo iutem. Ratio autem est, quia Philosophorum, & Sanctorum PP. sententia ira est appetitus vindictæ, ex tristitia, & dolore mali illati; sed Deus, est incapax tristitia, & doloris ex malo illato: ergo est incapax iræ. Min. cum Conseq. tenet. Maj. autem stat in communi conceptione, & assertione: nec licet cuilibet privato voces extrahere à communi significatione. Conf. Nam etsi pœnitentia sit odium peccati, & in Deo sit odium erga illud, quia pœnitentia est odium peccati, ut commissi; nemo ponit in Deo pœnitentiam, esto ponat in illo odium peccati: ergo, licet in Deo sit appetitus vindictæ peccati, quia hic appetitus non potest esse ex tristitia & dolore mali illati per peccatum, talis affectus vindictæ non potest dici verè, & pro ira.

224 *Ulterius.* Quia dari potest appetitus justæ vindictæ expers iræ, ut appareat in recto Judice, qui sine ira in reum vult exercere in eo publicam vindictam: ergo voluntas justæ vindictæ non est verè & propriè formaliter ira, ut jam docuere aliqui PP. Quapropter metaphorice intelligendam iram in Deo expresse docuere Origenes Homil. in 2. Judic. Ad Rom. cap. 1. Lib. 4. cont. Celsum. Hilarius Psalm. 2. Ambrosius Psalm. 37. Chrysostomus Serm. de pœnitent. Epiphanius hæresi 138. Hieronymus Psalm. 29. Isaiae 65. Malachia 1. Augustinus Psalm. 105. Epist. 157. Lib. 13. de Trinit. cap. 16. Cyrillus Alexandrinus Lib. 5.

Cont.

Cont. Julianum. Isidorus Hispalens. lib. 1. de summo bono cap. 5. Damascenus lib. 1. de Fide cap. 14. & Divns Thomas 1. part. quæst. 20. art. 1. ad 2. Sed omnium clarissime Sanctus Basilus Isaix cap. 5. ubi loquens de ira, & furore ait: *Proinde religiosum sit ac pium neutrum admittere dici propriè de Deo: Tropica enim sunt ista locutiones:* Unde, esto in Sacris literis frequentissime nominetur ita Dei, ac dicatur *Deus iratus*, hoc accipi debet metaphoricè, quatenus Deus vel minatur, vel intendit vindictam sumere de peccatoribus.

ART. XIX. *De diversitate actuum Divinæ voluntatis.*

225 **D**ivinæ voluntatis actus variè distinxere Theologi: ac prima & frequentior divisio est, in voluntatem *benepaciti*, & in voluntatem *signi*. Voluntas *benepaciti* dicitur in Deo voluntas eorum, quæ pro suo benepacito vult, ut mundi, & Angelorum creationem &c. Voluntas *signi* dicitur voluntas Dei, quæ significatur per præceptum, prohibitionem, consilium, permissionem, & operationem. Nam Deus, quæ præcipit, vult fieri; quæ prohibet, vult non fieri: quæ sunt consilii, fieri vult: quæ permittit, vult non prohibere; ac denique cum nihil possit existere sine voluntate Dei, effectus ipse à parte rei existens sua existentia denotat fuisse ex voluntate Dei. Et quia his signis cognoscitur ejus voluntas, dicitur voluntas *signi*.

226 Rursus dividunt voluntatem Dei in voluntatem *antecedentem*, & voluntatem *consequentem*: & communius voluntatem *antecedentem* dicunt eam, cuius actus terminatur ad objectum secundum se; *consequentem* verò, cuius actus terminatur ad objectum sub omnibus circstantiis, & in executione. Alii diversimodè explicant juxta proportionem, & modum defendendi proprias Sententias: Nos autem clariori methodo procedemus.

227 Voluntas ergo Dei erga res creatas alia est absoluta eorum, quæ immediatè per se ipsum fecit, ut creationis Cœli, & Terra: facit, ut creationis animalium rationalium, aut

facturus est, ut resurrectionis mortuorum; & alia eorum quæ vult fieri à creatura, aut non fieri, qualis est voluntas præceptiva & consiliativa: voluntas prohibitiva, ac etiam voluntas permissiva, ac denique voluntas naturalis, qua vult causas naturales & necessarias suos effectus producere. Rursum in Deo alia est voluntas absoluta, qua absolute vult aliquid esse independenter ab omni alio, quam à sua voluntate, ut creationem Angelorum: & alia conditionata, qua vult aliquid esse dependenter & sub aliqua conditione, ut indulgentiam Sodomitarum, sub conditione quod essent in Sodoma decem justi, cuius & in Sacris literis sunt plura alia exempla, quæ consilientes brevitatibus, mittimus.

228 Omnes autem Theologi fatentur in Deo esse voluntatem efficacem, qua sine resistencia creaturarum terminus ejus ponitur in re: & quia ex vi illius unicè existit effectus, dicitur *efficax*, qua ratione ait Apostolus ad Rom. 9. *Voluntatis ejus, quis resistit?* Quod & pluries asseritur aliis Sacrae Scripturae locis: quapropter principia difficultas stat de voluntate inefficaci.

ART. XX. *An sit in Deo vera voluntas inefficax: seu aliis terminis. An voluntas Dei semper impleatur?*

229 **I**N quo Basilius Pontius, Bañez, Zumel, & alii docent nullam esse in Deo voluntatem, quæ suo modo non sortiatur effectum. Communior tamen Theologorum Sententia tam Thomistarum, quam Scotistarum & Jesuitarum oppositum tenet.

230 *Dicendum* dari in Deo veram voluntatem inefficacem, hoc est, voluntatem, cuius objectum, seu terminus non semper existit in re. *Prob. I.* Nam Deus vere vult omnes homines vivere, & operari secundum rectam rationem, exequique omnia Divina præcepta: nam id serio jubet, & quod jubet vult; alias præceptum esset irrisorium; sed non omnes ho-

homines vivunt secundum rectam rationem, nec exequuntur Divina præcepta: ergo Deus serio vult quod non ponitur in executione: Sed voluntas ejus, quod non ponitur in executione, est voluntas inefficax, & voluntas, quæ non impletur: ergo datur in Deo voluntas inefficax, quæ non impletur.

231 *Prob. II.* Quia Deus conferens gratiam sufficientem ad opus, eam confert ex voluntate operis; sed gratia sufficientis non semper habet effectum juxta illud Actorum Cap. 7.
Vos semper Spiritui Sancto resistitis: ergo datur in Deo voluntas, quæ non semper effectum habet.

232 *Prob. III.* Ex celebri loco Apostoli ad Timotheum 1. cap. 2. *Qui (Deus) vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* sed hæc voluntas in hominum plarisque caret effectu, & frustratur: ergo datur in Deo voluntas sine effectu, & consequenter inefficax. Non ignoramus, quæ ad hæc respondent adversarii; sed quia Deo dante copiose acturi de hoc arguento, pro nunc ab eo supersedemus, contenti indicasse. Et enim pro nunc nobis sufficientia duo priora fundamenta, quibus aptari nequeunt solutiones, quæ parantur fundamento desumpto ex verbis Apostoli.

233 *Ratio autem horum est,* quia quæ Deus vult fieri per alia agentia modo libero, non potest velle esse, nisi coope-rante eorum libero arbitrio; sed liberum arbitrium creatura-rum potest non cooperari: ergo quæ Deus vult fieri per alios, ita vult fieri, ut ex libero arbitrio creaturæ possit non fieri; & consequenter illa voluntas non est necessariò effectiva, & efficax; sed est efficax in affectu, & inefficax in effectu; qua-tenus Deus verè vult id fieri à creatura, sed creaturæ liber-tatem lardere minime intendit: & hac ratione hæc voluntas, qua Deus vult aliquid secundum se, & dependenter à libero arbitrio creaturæ, dicitur voluntas *antecedens*: & voluntas, qua rerum esse determinatur sub omnibus circumstantiis, di-citur *consequens*. Quid difficultatis ad hæc objici possit non appearat; argumenta autem quæ militant contra voluntatem:

Dei antecedentem de omnium hominum salute, loco
prædicto discutie-
mus.

ART. XXI. An inter actus Divinæ voluntatis sit ordo?

234 **N**ihil aliud est ordo secundum Philosophum, nisi dispositio partium secundum prius, & posterius; cumque in Deo non sit realiter, nisi unicus actus voluntatis, quo se amat necessariò, & creaturas libere; exinde constat non posse esse in Dei voluntate ordinem realem, cum unicus sit ejus actus. Attamen cum hic actus Divinæ voluntatis secundum quod terminatur ad creaturas, secundum nostrum modum concipiendi, diversus sit pro diversitate terminationum: propter ejus æquivalentiam disquirimus an habeant inter se ordinem.

235 Pro quo *notandum est*, quod res quædam natura sua habent ordinem ad alia, qui ordo cognoscitur à Deo illis inesse per scientiam simplicis intelligentiæ, per eandemque cognoscit Deus omnem possibilem ordinabilitatem earum, tam ex se, quam ex nutu Dei, cui tanquam Supremo Domino subsunt; ita ut quomodo libuerit, eas ad fines quos libuerit, ordinare possit, non obstante quod aliae aliis secundum suam naturam perfectiores, & nobiliores sint: quia id competit Deo ratione essentialis dominii, quod habet in creaturas.

236 *Notandum ulterius*, quod in præsenti providentia omnia quæ à Deo creata sunt, ordinem habent præscriptum ab ipso, juxta illud Pauli ad Rom. 13. *Quæ autem sunt, à Deo ordinatae sunt*: & cum earum ordo proveniat à sapientia, & voluntate Dei, quærimus: an inter actus Divinæ voluntatis, quibus ordo rebus creatis inditus est, sit etiam ordo modo quo diximus. Nec in præsenti disquirendum est de ordine intentionis finis, electionis mediorum, imperii, & usus mediorum. Nam in voluntate ultra intentionem finis, & electionem mediorum, eorumque usum, an detur imperium practicum intellectus, necessarium ad executionem finis: quæstio est alterius loci. Unde solum disquirendum de ordine, quem possunt sortiri inter se actus voluntatis, qui sunt intentiones.

tionis , & electionis , quin discutiamus in particulari in præcipuis Dei operibus quis finis primo intentus à Deo , & quæ media ordinata ad illum , ut in opere incarnationis : in quo Theologi eo Tractatu , & similiter de opere prædestinationis.

237 Dicendum est ordinem esse inter actus Divinæ voluntatis. I. ex Judith. cap. 4. Quæ loquens cum Deo , ait: *Tu fecisti priora , & illa post illa cogitasti : id est , dispozuisti , & Proverb. 8. de Divina Sapientia , quo conditus est universus , & juxta quam mortales vitam ducere debent: ab aeterno ordinata sunt : ergo inter actus Divinæ voluntatis & intellectus est ordo. II. Quia ubi est actus intentionis , & electionis mediorum , est ordo : quia intentio est prior , & electio posterior ; sed in Divina voluntate est intentio finis , & electio mediorum , ut omnes Theologi fateri tenentur , tam in fine universalis , quam in finibus intermediis Dei : ergo inter actus Divinæ voluntatis ordo est. III. Quia inter actus , in quibus est prius & posterius , est ordo ; sed in actibus Divinæ voluntatis est prius , & posterius , ergo &c. Prob. Min. Nam actus , ex quo operans movetur ad alium actum , est prior illo ; sed Deus ex uno actu movetur ad alios : ergo sunt in Deo actus , qui sunt priores aliis actibus : & consequenter est ordo inter actus Divinæ voluntatis.*

238 Ordinem actuum Divinæ voluntatis diversimodè dignosci contendunt Theologi : aliqui tenent eum ordinem servare , secundum quem res habent majorem immediationem ad finis executionem. Alii distinguunt media physica , & media moralia : respectuque mediorum physicorum docent , priorem esse intentionem finis ; respectu verò mediorum moralium , qualia sunt merita , & orationes , priora esse intentione finis , qua se habent ut causæ morales executionis finis. Scotistæ docent ordinem actuum Divinæ voluntatis desumi ex majori propinquitate ad Deum.

239 Nos autem conformiter ad dicta tenemus , ordinem Divinorum operum , & actuum Divinæ voluntatis unicè pendere à voluntate Divina , quæ quandoque ordinat res ad fines connaturales , ad quos ex natura sua habent ordinem , & tum coincidunt finis operis , & finis operantis ; quando autem res

natura sua non dicunt ordinem, ordo unicè desumitur ex ordinatōne Divinæ voluntatis. Ast cum finis operantis sit duplex: alter quo moyetur ad productionem rei, is finis dicitur finis *constitutionis*, seu finis propter quem constituitur res existens; alter verò finis *ordinationis*, in quem res producta, propter suum finem ordinatur ad alios fines, ut videre est in Angelis, qui ex fine constitutionis creati sunt propter gloriam Dei, & ex fine ordinationis destinati sunt ad custodiam hominis, & obeunda alia ministeria; & posse Deum sic ordinare actus suos, & res creatas nullus in dubium vertere potest.

ART. XXII. *An Deus sit Sanctus.*

240 **S**anctitas, & adjectivum *sanctum* dicitur de personis, & de rebus: & quidem res duplicitè dicuntur sanctæ, & quia ordinantur ad sanctificationem Dei, juxta illud orationis Dominicæ; *Sanctificetur nomen tuum*, vel quia ordinantur ad sanctificationem nostram, uti sacramenta, bona opera, & alia hujusmodi, per quæ crescimus in sanctitate, uti constat ex pluribus sanctæ Scripturæ locis. Sanctitas autem personarum, casque esse sanctas consistit in esse innocuos, & immunes à culpa, quadam virtute habitidine, per quam personæ sunt gratae Deo. Unde Gentiles, & Philosophi sanctos compellabant, quos cernebant justos, innocuos, nullo vitio sedatos, ac deditos numinis cultui. Sanctitas autem Christiana est donum Dei, quo si adsint culpæ, expiantur, & illo dono operantes non possunt peccare juxta illud Joann. Epist. 1. cap. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Unde prædicti hoc dono, eoque operantes sunt immunes à culpa, justi gratique Deo in ordine ad vitam æternam: qua de causa *Sanctus* idem valet, ac in lege *Sancitus*. Et ex hac communi idea sanctitatis, eam jam in Schola Theologi disiunt, aut describunt, *esse radicem rectitudinis in operando*: de quo latius Theologi Tractatu de gratia sanctificante, & justificante.

241 Deum esse sanctum, imò sanctissimum pluries confess-

testatur Divina Scriptura Levitici 20. Quia *Sanctus* sum ego *Dominus*. Josue 24. Deus enim *Sanctus*, & fortis emulator est. 1. Regum Cap. 2. Non est *Sanctus*, ut est *Dominus*. Ecclisaie 6. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus* Deus Sabaoth: idque novere Gentiles adhuc Idolatriæ tenebris excœcati, Santos compellantes Deos, quos tot criminibus fœdatos venerabantur. Cumque Sanctitas sit perfectio simpliciter simplex, ut docent Theologi, non potest non Deo convenire.

242 Ex quo conceptus formalis sanctitatis Dei (quidquid alii dicant) stat in necessaria conformitate voluntatis Divinæ cum æterna moralitatis regula. Ratio autem est, quia sanctitas formaliter ea est, quia subjectum est impotens peccare & dignum amore; sed Deus ratione necessariæ conformitatis ad æternam moralitatis regulam est impotens peccare, & amore dignus: ergo necessaria conformitas ad æternam moralitatis regulam est formalis sanctitas in Deo. *Maj. constat ex dictis, Min. prob.* Nam quod necessariò excludit disconformitatem ab æterna moralitatis regula, necessariò excludit peccatum, quippe peccatum nihil alind est quam disconformitas ab æterna regula moralitatis; sed conformitas necessaria ad illam excludit necessariò disconformitatem ab ea: ergo prædicta conformitas excludit necessariò peccatum. Cumque prædicta conformitas faciat, quod opera Dei sint recta & justa, & ipsa facit Deum amabilem, ut moraliter operantem; ac proinde sanctitas formalis Dei stat in necessaria conformitate voluntatis ipsius cum æterna regula moralitatis.

243 *Ex hoc infertur I.* essentiam Divinam esse sanctam moraliter per sanctitatem Divinæ voluntatis, sicuti cognoscem per Divinum intellectum: & eo modo sanctitatem distinguunt ab essentia Divina, quo voluntas Divina distinguitur à Divina essentia conformiter ad sententiam, quam quisque in hac re tenuerit. *II.* quod Divinæ Personalitates non habent conceptum formalem sanctitatis respectu Diuinorum Personarum. Nam Divinæ Personalitates respectu illarum non dicunt in suo conceptu formalí necessariam conformitatem cum æterna regula moralitatis: cum earum munus solum sit Personas Divinas constituere. Unde in Deo non sunt

tres formales sanctitatis, sed una sanctitas. An autem Personalitas Verbi Divini habeat conceptum formalem sanctitatis respectu humanitatis sibi hypostaticè unitæ, Tractatu de Incarnatione disquiretur.

244 *III. Principalissime infertur*, repugnare Deum velle, & amare peccatum. *Tum* quia velle peccatum est velle malum; sed repugnat Deum velle malum: ergo repugnat velle peccatum. *Tum* quia Deus odio habet peccatum, ut confitat ex dictis; sed non potest velle, quod odio habet: ergo non potest velle peccatum. *Tum* quia Deus punit peccata; sed nemo punire potest, quod fieri vult: ergo, aut Deus in justè punit peccata, aut nullo modo fieri vult. *Quæ omnia comprehendit* Apost. ad Rom. cap. 3. illis verbis. *Nunquid iniquus est Deus? Absit.*

245 *Infertur* ex immediate dictis, Denm nullatenus posse esse causam peccati præcipiendo, consulendo, adhortando, suadendo, instigando, movendo, alliciendo, tentando, seducendo, aut immittendo malas cogitationes: quia, ut ait David Psalm. 144. *Deus est sanctus in omnibus operibus suis*: cui consonant plurima alia Sacræ Scripturæ loca. Tantum inhæsit Dei sanctitas aliquibus Philosophis, & Hæreticis, ut, ne maculam inferrent Deo per se bono, sibi persuaserint aliud esse principium, quod foret causa mali, uti Manichæi, & alii Hæretorum ab ipsis prognati.

246 Ex nuperis Hæreticis Luterani, & Calvinistæ sanctitatem Dei abolere conati, dum docent malorum operum Deum auctorem, cum quibus acri studio decertarunt plurimi Catholicorum: Nos vero pro nunc eorum objectiones breviter diluemus. *Objiciunt 1.* Nam Deus decernit, & prædefinit hominum peccata: ergo vult ea, cum decretum, & prædefinitio sint actus Divinæ voluntatis. *Prob. Ant.* Nam mors Christi, ut illata à Judæis, Herode, & Pilato, fuit in ipsis gravissimum peccatum; sed eam decrevit Deus, ac definiit iuxta illud. *Act. 4.* *Convenerunt adversus sanctum tuum Iesum quem unxiisti, Herodes, & Pilatus facere, quæ manus tua, consilium tuum decreverunt fieri:* ergo Deus decrevit, & prædefinit peccatum. Idem argumentum fieri potest ex cap. 22. *Lucæ num. 22. Gen. cap. 45. n. 8. & 50. n. 19.* loquendo de venditione Joseph. *Resp.*

247 *Resp.* Quod verbum decernere praedito loco, & aliis similibus solum usurpatur pro permittere, non autem pro positive velle, uti docet Ecclesia, cuius est judicium de vero Sanctorum Scripturarum sensu indicare, & sit palam per Santos Doctores, qui per septemdecim saecula floruerent in ea. Et quia permisso peccati dicit in Deo actum positivum, quo libere vult non impedire peccatum; ideo permisso illius aliquando significatur in sacris literis nomine *decreti*, aut verbo *decernendi*.

248 *II.* Nam Deus producit impios ad exercendum in eis suam iustitiam; sed Deus non potest exercere in eis suam iustitiam, nisi velit peccare: ergo Deus vult eos peccare. *Prob. Maj.* ex *Prov.* 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Idem videtur innui *Exodi Cap. 9. n. 16.* & ad *Rom. Cap. 9. n. 17.*

249 *Resp.* Deum nullatenus producere homines, ut sint impii, & peccatores; sed potius eos producit, ut sint justi, & probi: Ceterum cum homines considerit liberos, jura libertatis laedete nolens, voluit permittere, ut sua libertate in peccatum & impietatem defleterent, & ea prævisa misericordi, aut punire, & quem decernit pro sua culpa punire, dicitur *destinasse in diem malum*; non quod illum moverit ad culparum, sed quod propter illam destinavit ad pœnam, quod etiam commendat suam sanctitatem.

250 *III.* *Quia Deus excitat, & impellit homines ad peccatum:* ergo illud amat. *Ant. prob. ex 2. Regum cap. 16. Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* & 3. *Regum Cap. 22. Wade, decipes Achab, & prævalebis:* Idemque habetur aliis Scripturæ locis. *Resp.* Quod Dominus non præcepit, quod prohibet, & Semei non præcepit; sed permisit maledicere David & in hoc sensu accipi debet verbum *præcepit*. Ad locum ex 3. *Regum Cap. 22. Verba Textus sunt. Et dixit Dominus, decipes, & prævalebis: egredere, & fac ita:* quibus verbis solum significatur permisso Dei spiritui nequam, ut deciperet Acab, & falsos Prophetas: & hæc sola est vis verborum illorum: *egredere & fac ita.*

251 *IV.* *Quia Deus obdurat cor peccatorum, ut in peccato permaneant, ut constat ex Cap. 7. *Exodi 8. & 9. Indu-**

ravit Deus cor Pharaonis , & Deutoron. cap. 2. Induraverat Dominus Spiritum Sebon Regis Hesebon : & idem innuitur Josue, cap. 11. 1. Reg. cap. 2. 3. Reg. cap. 12. Isaiae cap. 19. & 63. Jeremiæ cap. 20. Joann. cap. 12. & ad Rom. cap. 1. & 9. ergo Deus peccatum vult. *Resp.* Deum nullatenus obdurare positive cor peccatorum ; sed solum dicitur cor eorum obdurare & excæcare , quatenus in peccati pœnam depeget uberiora auxilia , quibus leniri possint majori facilitate eorum corda , illustrarique eorum mentes. Unde quatenus non obstat eorum indurationi , & permissivè se habet erga illam , dicitur obdurare peccatorum corda ; non vero quod positive velit eorum impenitentiam , juxta illud Ezechielis cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii , dicit Dominus meus , & non ut convertatur , à viis suis , & vivat ?* & Petri 2. cap. 3. *Dominus patienter agit propter vos , nos lens aliquos perire sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hæc sunt principaliora hæreticorum argumenta ; quæ latè diluunt Catholici.

252 *Ulterius arg. contra nostram sententiam.* Nam Deus concurrit immediate ad actum peccati : ergo vult peccatum, quia Deus non concurrit ad id , quod non vult : ergo si concurrit ad actum peccati , vult actum peccati , & consequenter ipsum peccatum. *Hanc objectionem* variè Catholici enervant. Durandus , Dola , & alii negant Deum inmediate concurrens ad actum peccati , quo omnino corruit argumentum. Thomistæ concedunt quidem Deum concurrere ad actum peccati *pro materiali* , ut entitas physica est ; non *pro formalí* , ut est defectus à lege : atque adeo Deum non velle peccatum, qua tale. Jesuitæ docent Deum concurrere ad actum peccati immediate , non ex propria determinatione , sed ex determinatione creaturæ , ac proinde non esse per se causam peccati , nec illud velle : sed de hoc latius tractandum alio loco , interim quisque in proprio sensu potest abundare.

253 *Denique objicitur.* Nam Deus , vult in creatura potentiam peccandi : ergo vult ipsum peccatum ; quia potentia peccandi ad nihil aliud est ordinata , nisi ad peccatum. *Resp.* Quod Deus non vult positivè potentiam peccandi *re-duplicative* , *ut talem* ; sed solum vult illam *specificative* , *qua-*

quatenus vult libertatem creaturæ , in qua est potentia peccandi ; sed nullatenus vult exerceri per peccatum ; imò potius , quia cognovit exerceri posse per illud , legem & præcepta tulit , ut frænaret & dirigeret ejus libertatem : quia hic est finis legis. Unde nunquam vult potentiam peccandi , reduplicative , ut talem , sed solum materialiter , & specificative.

ART. XXIII. De virtutibus Dei.

254 **V**irtutes in nobis nihil aliud sunt , nisi inferiores habitus , seu habitudines , quibus inclinamur ad actus bonos conformiter ad rectam rationis regulam : & hoc modo certum est non esse in Deo virtutes , cum in ipso nihil possit esse realiter distinctum ab eo. Unde de ipso virtutes dici non possunt , nisi quatenus sunt actus virtutum , hoc est , actus eliciti ab ejus voluntate ex motivo formalis virtutum : ad modum , quo potest homo sine habitu temperantie actum temperantie elicere : cum actus , qui habitum generant , non possunt ab ipso procedere.

255 Certum est autem in nobis esse virtutes , quæ nos ut inferiores ad superiores ordinant , ut Religio , pietas , & observantia : Religio in ordine ad Deum ; pietas in ordine ad Patres ; & observantia in ordine ad Superiores in vita Christiana , vel Civili : & has virtutes omnino Deo repugnare , quia repugnat creatura Deo ipso superior. Deinde certum est etiam , quod Deo repugnant omnes illæ virtutes , quæ resident in nobis ad coercendum , & moderandum motus appetitus sensitivi , cum in Deo non sit ; unde temperantia , & virtutes adjunctæ cum non sint in Angelis , quia spiritus sunt , potiori ratione Deo repugnant. Denique certum est etiam , non esse in Deo virtutem fortitudinis , qualis est in nobis , nam hæc virtus in nobis metum moderetur , & pericula despiciat ; at Deus metus , & periculi , est incapax: stat autem fortitudo Dei in ejus omnipotentia , quæ , quia à nulla creatura resisti potest , fortitudo ipsius dicitur. Hæc cum sint omnino certa , restat disquirere de virtute justitiae.

ART. XXIV. *An sit in Deo justitia rigorosa, & stricte sumpta, seu vera & propria Justitia commuta. tivat?*

256 **H**ec quæstio acri studio discutitur inter Theologos. Aliqui pertractant Tractatu de Merito, disputantes: An præmium meritorum sit debitum Iustis ex stricta Justitia. Alii Tractatu de Incarnatione, discutentes: An opera Christi Deum obligaverint ex stricta Justitia ad remissionem peccati? Pro cuius enodatione notandum est, quod justitia multipliciter accipi solet. *I.* generaliter prout est idem, ac sanctitas: qua ratione creaturæ intellectuales dicuntur Justæ, & sanctæ, accipiturque pro omni actu virtutis, quatenus commensuratur, & regulatur recta rationis Regula: ac sic sapissimè in Scriptura opera virtutum dicuntur opera Justitiarum. *II.* accipitur pro omni virtute in ordine ad alterum, non respiciente omnijmodam æqualitatem, quales sunt Religio, pietas, & alia consimiles, quæ dicuntur partes potentiales justitiae, quia in aliquo deficiunt ab stricta justitia.

257 *III.* accipitur pro virtute in ordine ad alterum constitutive æqualitatem in rebus, attenta ipsarum rerum æqualitate: qua ratione communiter definitur: *Constat*, & *perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*, hoc est, actus inclinans voluntatem ad attribuendum unicuique, quod illi debetur secundum æqualitatem rei ad rem. Cum ergo debitum ad alterum ratione rei, possit esse partis ad partem, vel totius ad partes, vel partium ad totum; triplex dici potest Justitia, nempe *Commutativa*, quæ versatur inter partes servando æqualitatem arithmeticam rei ad rem, ratione dati, & accepti, actionis, & actionis; ac rei & actionis, quæ, quia frequenter intercedit in contractibus, qui quadam commutatione perficiuntur, *Commutativa* dicitur. De reliquis speciebus Justitiae postea crit sermo, quia nunc solum de Justitia stricta agendum.

258 In hac gravi difficultate affirmant plures nostrorum, Thomistarum, Scotistarum, Jesuitarum, & aliorum, esse in Deo strictam Justitiam, & obligationem ex ea, non quidem absolute; sed innato, & presupposito pacto Dei cum creatura. Negant vero nostrorum, Thomistarum, Scotistarum, Jesuitarum, & aliorum plures.

259 *Dicendum in Deo non posse esse strictam, & rigorosam Justitiam erga creaturam.* Pro hac sententia sunt communiter nostri, præsertim Marsilius, Maior, Gabriel, Abulensis, Osorius, Zequius, Stapleton, Rua, Pesantius, Kellison, Bonacina, Rocafull, & alii, qui citati reperiuntur in variis Auctoribus. Fundamentum hujus sententia nobis unicum est. Nam Deus habet dominium essentiale omnino perfectum, inabdicabile à se ipso super omnia creata: sed hoc ipso non potest esse obligatus ex stricta Justitia ad creaturam: ergo Deus non potest obligari ad creaturam ex stricta Justitia, ac consequenter stricta Justitia non potest esse in Deo. *Maj. cum Conseq. constat. Min. prob.* Nam hoc ipso quod Deus habeat plenum, absolutum, essentiale, & inabdicabile dominium super omnia creata, habet plenam facultatem intendi omni re creata, prout sibi libuerit, sine injuria alterius: quia haec est ratio, & definitio dominii absoluti cuiuslibet rei, apud Philosophos, Jurisconsultos, & Theologos: ergo hoc ipso quod Deus habeat dominium absolutum plenum, essentiale, & inabdicabile omnium rerum, non potest esse obligatus ex stricta Justitia creaturæ. *Prob. Conseq.* Qui habet potestarem utendi re sine alterius injuria, est necessarium, quod nullus alias habeat strictum jus in rem, ut habens dominium possit uti re, prout ipsi libuerit sine injuria alterius: ergo eo ipso quod Deus habeat plenum dominium in omnia creata modo dicto, est necessarium, quod non sit obligatus ex stricta Justitia ad creaturam.

260 *Conf. & explicatur jactum fundamentum.* Nam dominium perfectum dicit potestarem in rem unicè & adæquate, quin aliquis præter Dominum habeat strictum jus in illam: ac proinde dominium constituitur per carentiam juris in altero: ad modum quo libertas constituitur per principia indifferentiæ, & carentiam cuiuslibet principii necessitantis: ergo

si in Deo est plenum absolutum, esse entiale, & inabdicabile dominium in omnia creatura, in nulla creatura potest esse jus strictum in aliquod creatum, quod subsit dominio Dei.

261 Ad hoc fundamentum varie respondent Auctores contrarii. Prima, & communior solutio est: quod, licet Deus habeat plenum, & absolutum dominium in omnia creatura, & antecedenter ad ejus voluntatem nulla creatura posse habere jus strictum in aliquam rem creatam erga ipsum; tamen consequenter supposito pacto & conventione Dei cum creatura de aliquo faciendo, hoc ipso quod creatura illud faciat, resultat jus strictum in creatura erga Deum, & obligatio stricta Dei erga creaturam, cum interveniat strictus contractus: *facio, ut facias*: ac proinde obligationem ex stricta Justitia antecedenter repugnare absoluto dominio Dei; non vero illi repugnare consequenter, & ex libera ipsius Dei suppositione.

262 Sed contra hanc solutionem stat. I. quod Deus ex nulla suppositione potest deperdere quod est sibi entiale; sed dominium plenum, & absolutum in omnem rem creatam est illi entiale: ergo nulla facta suppositione potest Deus illud perdere in omnem rem creatam: ergo qualibet facta suppositione manet plenum, & perfectum dominium Dei in re creata: ergo qualibet facta suppositione ad nullam rem creatam potest esse jus strictum in creatura erga Deum. Prob. h.ec Consequent. Quia superiores per se constant. Nam dominium perfectum rei penes unum dicit necessariò exclusionem stricti juris in alio ad ipsam rem: ergo si ex nulla suppositione potest Deus amittere dominium perfectum in quamlibet rem creatam, ex nulla suppositione potest consurgere in creatura jus strictum ad Deum erga quamlibet rem creatam.

263 II. Quia, hoc ipso quod creatura sit essentialiter dependens à Deo in essendo & operando, ex nulla suppositione potest creatura absolviri à dependentia à Deo in essendo, & operando. Similiter, quia Deo est entiale omnia cognoscere, nulla suppositione potest fieri creatura incognoscibilis Deo: ergo si dominium in omnem creaturam est Deo entiale, ex nulla suppositione potest esse jus strictum in creatura ad aliquam rem erga Deum.

Ref-

264. *Respondent II. alii.* Quod dominium absolutum aliquius rei solum excludit jus alterius in usum Domino possibilem; non verò excludit jus alterius in usum impossibilem Domino: cumque supposita Dei promissione & pacto, sit Deo impossibilis usus negationis rei; talis negatio non cadit sub Dei dominium: quia dominium solum est ad usus possibles Domino, non ad usus impossibiles. *Alii dicunt*, quod dominium solum dicit exclusionem stricti juris in eo genere, quo est dominium: unde cum in Deo solum sit dominium excellentiæ supra omnia creata, & non dominium utilitatis: quia utilitatis, nihil Deus ex creaturis accipit, & hoc dominium sit penes creaturam; potest esse in illa strictum jus erga Deum, quin ob sit supremo excellentiæ dominio Dei.

265. *Sed hæc facile dejiciuntur I.* quia usus possibilis Dominus, qui nullatenus potest à se abdicare dominium ex nulla suppositione, potest fieri impossibilis Domino, alias posset ipsius rei abdicare dominium: ad modum quo in creatis qui vere potest donare, potest abdicare à se dominium rei donatæ; sed Deus nullius rei creatæ potest à se abdicare dominium: ergo nullius rei creatæ potest esse illi impossibilis usus, quantum est ex parte dominii (quidquid sit ex alio capite dominio non oppositum) consequenterque dominium essentiale Dei dicit repugnantiam quod usus possibilis rei fiat Deo impossibilis, ex jure stricto creaturæ.

266. *II.* Quia hoc ipso, quod Deus habeat dominium excellentiæ ex se, & essentialiter super omnia creata, et si nullam fortius utilitatem ex rebus creatis; ac creaturæ habent inter se rerum dominium inferius, prædictum dominium excellentiæ dicit potestatem utendi re, prout libuerit, quin alteri possit injuriam inferre: ergo dicit essentialiter non posse esse in altero jus strictum in aliquam rem erga Deum. Etenim sicuti repugnat aliquem esse ab omni debito absolutum, & aliquem habere aliquod jus strictum erga ipsum: ita repugnat Deum habere absolutum, & essentiale dominium suarum actionum, & omnium rerum creatarum; & quod aliqua creatura respectu alicujus rei habeat jus strictum, & rigorosum in ipsum. *Nec dici potest* tale jus in creatura enasci ex voluntate ipsius Dei: Nam Deus nequit velle quod

quod est ipsi impossibile, & cum sit impossibile abdicare à se dominium absolutum, & essentiale supra omnia creata; est illi impossibile, velle conferre creaturæ jus strictum & rigorosum ad ipsum.

267 Alii progressi sunt ad discurrendum posse pro eodem instanti esse dominium penes Deum, & creaturam, ut servarent indeinde dominium Dei, & statuerent jus strictum in creatura erga Deum; sed hic discursus affinis videtur cogitationi impiorum, qui duo prima principia conati sunt statuere: ac proinde sicuti duo principia, seu duo Dii repugnant: ita repugnant duo domini dominio absoluto supra eamdem rem pro eodem instanti. Ex quo facillimè confutari possunt leviores aliaz solutiones accuratè perpenso *hoc syllogismo*. Dominium absolutum, & perfectum alicujus rei dicit essentialiter exclusionem juris stricti in altero ad eam rem; sed Deus habet absolutum, & perfectum dominium à se inabdicabile supra omnia creata: ergo in nulla creatura potest esse jus strictum in aliquam rem creatam, quæ subest dominio Dei.

268 Contra nostram Sententiam Arg. I. ex Scriptura: Nam Deus ex stricta Justitia est obligatus justis ad præmium meritorum: ergo est in Deo stricta Justitia? Ant. prob. I. quia si Deus non præmaret justorum merita, foret injustus, juxta illud ad Hæbreos 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*: Unde Agust. lib. 4. contra Julianum ait: *Deus ipse (quod absit) erit injustus, si ad ejus regnum non admittitur justus*: & idem docet lib. de natura & gratia; sed si Deus non deberet justis præmium ex obligatione strictæ justitiae, & si illud non redderet, non foret injustus, quamquam foret infidelis: ergo ex stricta justitia est obligatus ad præmium Justorum: II. ex illo ad Thimotheum II. cap. 4. *Reposita est mibi corona Justitiae, quam reddit mihi Dominus in illa die Justus Judex*; sed id quod reddit Deus ut Justus Judex, reddit ut obligatus ex stricta justitia: ergo. III. quia præmium correspondet Justis ratione bonorum operam juxta illud, i. ad Corinthi. cap. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem*: & idem habetur Matthæi 16. & Apocalyps. cap. ultimi. Atque adeò præmium

mium beatitudinis tribuitur Iustis à Deo , sicut tribuitur merces operario laboranti in vinea , ex Mathæo cap. 20. sed quod redditur alicui ratione operis , & tanquam merces & stipendium, redditur ex stricta Iustitia, juxta illud ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, id est Iustitiae: ergo Deus ex stricta Iustitia debet præmium meritis Justorum.*

269 Conf. 1. ex Trident. Sess. 6. cap. 16. docente: *Bene operantibus usque in finem proponenda est vita æterna tanquam gratia filiis Dei, per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsis Dei promissione bonis ipsorum meritis, & operibus fideliter reddenda: Ac antea Consilium Arausicanum II. Canon 18. ait: Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant: ergo si vita æterna est merces meritorum, debetur Iustis à Deo ex stricta Iustitia.*

270 Conf. II. Nam juxta SS. PP. Deus est debitor Iustis. Sic loquuntur Ciprianus lib. de Opere, & Eleemosyna, Chrysostom. Hom. 3. in Matthæum, Ad Rom. Serm. 8. Amb. lib. I. de Officiis cap. 16. August. Psalm. 83. Serm. 16. de Verb. Apostoli Fulgentius, Gregorius, & alii; sed Deus non potest esse debitor Iustis, nisi ex stricta Iustitia, quia ex fidelitate sibi est debitor: ergo Deus ex stricta Iustitia est debitor Iustis. Hoc est præcipuum argumentum oppositæ sententiae. *Ad resp. neg. Antec. ad cuius primam probationem dicimus, quod prædicto loco Apost. ly injustus est idem ac infidelis: nam in sacris literis sæpius Iustitia accipitur pro fidelitate, & justus pro fideli, ut patet ex cap. 3. ad Rom. illis verbis: Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, ad offensionem Iustitiae suæ (id est fidelitatis suæ, quia sic promiserat) propter remissionem præcedentium delictorum, in susceptione Dei, ad offensionem Iustitiae ejus in hoc tempore, ut sit ipse Justus, id est, fidelis in promissis, ut habent communiter Interpretes cum PP. Unde ex prædicto loco non probatur, Iustitia stricta in Deo.*

271 *Ad II. resp. Apostolum illis verbis, reposita est mihi corona Iustitiae, solum loqui de Iustitia generaliter accepta,*
Hh prout

prout est idem, ac sanctitas juxta illud Christi Mathæi, cap. 4. Sic nos decet implere omnem *Justitiam*; non verò loqui de *Justitia stricta*, & licet coronam gloriae reddat Deus, ut justus *Judex*, non sequitur, quod reddat obligatus ex stricta *Justitia*; sed quia in adimplendis promissis, quoddammodo servat formam *Justitiae strictæ*. Nec ex hoc quod reddat præmium ut justus *Judex*, inferatur reddere obligatum ex stricta *Justitia*: sicuti nec ex hoc, quod, ut justus *Judex* improbis inferat pœnam, inferatur ex stricta *Justitia* esse obligatum ad eam eis inferendam; cum possit peccatorum misceri, & pœnam condonare.

272 *Ad III. Resp.* quod vita æterna datur justis tanquam merces, & ratione laboris, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum meritis fideliter reddenda, ut docet Tridentinum: quod non probat reddi ex *Justitia stricta*, esto præcesserit pactum, & conventio, ut post dicemus. Nec verba Apostoli. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: accipi debent omnino absolute, sed in communi hominum judicio; quia scopus Apostoli eo loco, & Epistola ad Galatas est, quod *Justificatio*, non est ex operibus legis naturæ, aut scriptæ, sed per fidem formatam Christi, ex proposito gratiæ Dei, contra Cherintum, & alios Hæreticos ex Judaismo asserentes non sufficere fidem Christi formatam ad *Justificationem*; sed esse insuper necessariam circuncisionem, & observantiam legis scriptæ, cui debita erat gratia Evangelii, ut constat ex Epiphonio hæresi 28. & 29. Augustino in Epistola ad Galatas, & lib. Expositionis inchoata Epist. ad Rom: de quo videri possunt Sacri Expositores.

273 *Ad I. confirmationem Resp.* Sanctum Concilium Tridentinum solum asserere, vitam æternam bonis operibus ex Dei promissione fideliter reddendam, quod nullus Catholicon negare potest; sed de debito *strictæ Justitiae nullatenus* loquitur. *Ad II. Resp.* quod PP. asserentes Deum esse debitorem *Justis*, non loquuntur de debito *strictæ Justitiae*, sed debito ex promissione orto, ut docet Augustinus Psalm. 83. sub finem his Verbis: *Debitorem Dominus ipse fecit se: non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur redde, quod ac-*

cepisti, sed reddere quod promisisti: & Serm. 18. de Verbis Apostoli. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo; sed quod ei placuit promittendo.

274 Sed instant Auctores adversi, *I.* quia PP. asserunt: quod Deus foret injustus, si præmia justis negaret; sed nemo dicitur proprie injustus, violata fidelitate, & non stricta justitia: ergo est justis debitor ex stricta justitia. *II.* quia munus justitiae Dei præscribitur à PP. reddere unicuique secundum opera sua, sive mercedem, sive pænam; sed nulli debetur pœna ex mera fidelitate: ergo nulli ex sola fidelitate debetur præmium. *III.* quia sicut Deus promisit gloriam bonis operibus Justorum, ita promisit justificationem peccatori contrito, juxta illud Zachariae, cap. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos;* sed Deus solum ex fidelitate debet gratiam contrito: ergo cum gloriam justis beat ratione operum, non ex sola fidelitate est debitor ipsis, sed ex stricta justitia. *IV.* quia gratia, quæ promissa contrito confertur, semper est ex gratia, & non merito; sed gloria promissa bonis operibus justorum confertur ex meritis: ergo non confertur illis ex debito fidelitatis, sed justitiae.

275 *Resp. ad I.* quod PP. efferentes Deum injustum futurum, si justis non redderet debita præmia, solum loquuntur de injustitia fidelitati opposita, uti Apostolus cum ait: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri:* quia cum fidelitas sit pars potestativa justitiae, si Deus non reddebet præmia justis, hoc ipso quod foret infidelis, foret injustus, uti docent plurimi PP. sed clarissime Bernardus Serm. 1. de Anuntiatione, his verbis: *Nec talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret?* Nec verum est quod PP. nunquam asseruere Deum fore injustum, si facta promissione negaret contritis gratiam, ut videtur est in August. lib. Exposit. inchoata Epist. ad Rom.

276 *Ad II. Resp.* quod PP. loquuntur de justitia Dei quoad modum: quia modum illius observat in præmiandis bonis operibus justorum, & puniendis malis iniquorum. Unde sicut non punit delicta obligatus ex stricta justitia, nec ex stricta justitia remunerat merita, juxta illud Sapientie 12,

Virtus enim tua justitiae initium est, & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis: Ad III. Resp. neg. Min.
Nam quantum est ex parte debiti, non alio modo debet Deus gratiam contrito, quam gloriam bonis operibus justorum, ut patet ex verbis relatis Concilii Tridentini.

277 *At IV. Resp.* Quod gratia promissa contrito semper confertur ut gratia: attamen hoc non obstat, ut conferatur tanquam ex merito congruo ipsius contritionis in aliquorum sententia: sic quod merita justorum habeant jus ad præmium, oritur in actu secundo ex Dei promissione, & gratia, attenta condignitate personæ: unde præmium vitæ æternæ conceditur justis, ut merces in promissione fundata, & in debito justitiae.

278 *Sed dices:* Si Deus promitteret alicui elicienti acutum honestum naturalem, gloriam, teneretur tali actu elicito dare illi gloriam, solumque teneretur dare illi gloriam ex pura fidelitate; sed Deus justis est debitor gloriae, attenta condignitate meritorum: ergo justis est debitor gloriae plusquam ex pura fidelitate; & consequenter ex stricta justitia.

279 *Resp.* quod omnium sententia, Deus nequit obligari nisi ex sua promissione: unde Deus cum possit promittere absolute, & sine ulla conditione, potest etiam promittere sub conditione, que ipsi placuerit; unde parvulus promisit gloriam sub sola conditione baptismatis, sine actuali dispositio-
ne ex parte ipsorum: adultis gratiam & gloriam, dependenter ab ipsorum dispositione: & in his nullum reperitur jus strictum ex parte Dei erga parvulos, vel adultos: bonis autem operibus justorum promisit gloriam & gratiam per modum præmii, attenta ipsorum operum condignitate. Unde cum tota hac obligatio ex parte Dei oriatur ex voluntaria ipsius promissione, in qua voluit observare modum quendam justitiae, prædicta obligatio non potest esse plusquam solius fidelitatis.

280 *Arg. II. & replicatur:* Promissio onerosa operis condigni, opere posito, obligat promittentem ex stricta justitia ad rem promissam præstandam; sed Deus promisit justis gratiam & gloriam, positis meritis condignis: ergo eis positis est Deus obligatus ex stricta justitia ad donandum justis gratiam & gloriam.

Resp.

281 *Resp.* Quod potest quis facere promissionem onerosam , & nolle obligati , nisi ex fidelitate. Sicuti potest quis vere materiam gravem , & nolle obligari , nisi sub culpa levi: quia obligatio non extenditur ultra animum se obligantis: unde stat , quod detur promissio onerosa , & obligatio & quod ex illa obligatio sit solius fidelitatis. *Ulterius dicimus*, quod licet promissio onerosa, opere posito, inducat obligacionem ex stricta justitia in subjecto capaci , qualis est creatura, quæ potest à se dominium abdicare ; secus autem in subjecto incapaci , qualis est Deus propter perfectionem sui dominii, quod non potest consistere cum obligatione ex stricta justitia: ad modum quo gratia habitualis constituit Dei Filium adoptivum purum hominem , aut Angelum : secus vero hominem Christum.

282 *Sed dices* : Deus potest obligari creaturæ ex fidelitate : ergo & obligari illi ex stricta justitia. *Prob. Conseq.* Nam Deus obligatus ex fidelitate ad aliquid donandum , eto illud non possit non donare : quia hæc impotentia est consequens liberam ipsius promissionem ; per illam non minuitur Dei dominium : ergo obligatio ex justitia , consequens liberam promissionem Dei , nullatenus minuet dominium Dei.

283 *Resp. negata Consequentia.* Et Ratio discriminis est: quia Deus ratione promissionis est sibi metipsi debitor , licet res promissa sit in utilitatem creaturæ , non autem est debitor primo , & per se creaturæ. Nam ratio obligationis est sua fidelitas , quæ se tenet ex parte ipsius Dei : unde non extrahit rem promissam ab ejus dominio ; at verò promissio Dei quo-cumque modo facta , cum non possit lacerare ejus dominium, nunquam potest gignere jus strictum in creatura erga Deum. Eademque ratione , & si Deus , cum sit summè liber ex aliqua suppositione libera , potest sibi necessitatem inducere : ut ex intentione efficaci finis inducit sibi necessitatem ad electio-nem mediorum , quia necessitas prædicta est consequens exercitium liberum Divinæ voluntatis , & Divina libertas nequit destrui ipsius exercitio ; Divinum autem dominium semper laceratur , stante jure stricto ex parte alterius.



ART. XXV. An in Deo sit justitia distributiva?

284 **C**um dixerimus justitiam strictè sumptam versa-
ri in reddendo debitum alteri , & quod hoc de-
bitum potest versari inter partem , & partem pro æqualitate
rei , cum possit etiam debitum versari , inter totum & partes ,
hoc est , inter communitatem , & partes ejus , ad hanc con-
stituendam æqualitatem , & pro merito partium distribuendo
bono communī , est virtus justitia distributivæ , quæ non re-
sideret in partibus communitatis ; sed in personis , in quibus
residet cura communitatis , seu Reipublicæ , uti Reges , Ma-
gistratus , Prælati & alii : de qua virtute quæritur an sit for-
maliter in Deo?

285 *Dicendum nobis :* quod in Deo nullatenus est justitia
distributiva. *Prob. I.* Quia hæc versatur in distribuendo bo-
na debita strictè partibus , quippe sunt communitat̄is , & hæc
non est distincta à partibus collective acceptis ; sed bona Dei
non sunt debita collectioni creaturarum ; sed solum sunt pro-
priè illius , tanquam Supremi Domini : ergo ad ea distribuen-
da non potest esse in Deo justitia distributiva. *II.* *Quia Do-*
minus rerum suarum non tenetur res suas distrahere , aut dis-
distribuere. Nam hoc ipso , quod sint sub ejus dominio , potest
de eis disponere , & facere prout sibi libuerit , quin nemini
faciat injuriam : ac proinde nullus potest habere jus strictum
ad eas : ergo in nulla creatura potest esse jus strictum , ut Deus
conferat & distribuat ei sua bona. Paucissimis docuit Apostolus ad Rom. 11. his verbis. *Quis prior dedit illi , & retrici-*
buetur ei.

286 *Dicendum tamen Deum in conferendis donis suis*
quandoque voluisse observare modum justitiae distributivæ.
Quod prob. Quia Deus voluit conferre gratiam adultis , jux-
ta propriam dispositionem , & dare gloriam justis conformiter
ad eorum merita ; sed hoc est munus justitiae distributivæ ,
& ejus modus : ergo Deus in conferendis suis donis observat
modum justitiae distributivæ in aliquibus rebus. *Quo colli-*
mant

mant aliquot Evangeliorum Parabolæ & plurima Scriptura-
runt verba, ut Math. 16. *Reddet unicuique secundum opera
eius: & ad Rom. 2. Unusquisque propriam mercedem accipiet
secundum proprium laborem.*

ART. XXVI. *An sit in Deo justitia vindica- tiva stricte, & proprie?*

287 **J**USTITIA vindicativa in creatis ea est, qua judex
& Superior pœnam pro delictis infligit, quæ
subjectivæ est in judice & superiore; ita ut si Judex delinquen-
tem absolvat à pœna præscripta à lege delicto, peccet contra
virtutem iustitiae vindicativæ. In quo certum omnino Deum
esse Legislatorem, & Legis actus esse præscribere, quæ agenda
sunt; prohibere, quæ agenda non sunt sub comminatione
pœnæ, quæ justa dicitur per proportionem ad delictum, seu
Legis transgressionem.

288 *Certum itidem est*, quod Deus, qua Legislator &
judex, peccatores debita possit punire pœna: quia peccator
per ipsum peccatum fit pœnæ debitor, ac illius reatum contra-
hit: ac proinde Deum, ut Legislatorem & Judicem habere
jus ad infligendam pœnam pæccatori, & hæc dicitur iustitia
vindicativa: Suarez, & alii censem hanc non esse diversam
à iustitia gubernatrice; alii censem pertinere ad iustitiam
commutativam, quia pœna correspondet delicto secundum
æqualitatem: alii censem pertinere ad iustitiam distributivam:
quia, sicut ad illam pertinet præmia pro meritis conferre: ita
ad illam pertinere debet pœnam inferre pro delictis: proin-
deque qui censem esse in Deo verè, & proprie iustitiam
commutativam, aut distributivam, tenere debent esse in Deo
verè & proprie iustitiam vindicativam.

289 *Dicendum nobis* Deum in puniendis peccatoribus
observare modum iustitiae vindicativæ; attamen non esse in
Deo stricte iustitiam vindicativam. Nostra Sententia duas ha-
bet partes. Prima, quod Deus observet in puniendis pecca-
toribus modum iustitiae vindicativæ, facile probatur. Quia
munus iustitiae vindicativæ est pœnam delinquenti infligere
pro

pro delicti qualitate; sed Deus peccata punit pœna commen-
surata delicto pro eorum qualitate: ergo in puniendis delictis obseruat modum iustitiae vindicativæ. *Min. constat*, ex
Isaia 22. In mensura judicabit eam. Et *Apocalyps. 18. Quan-*
tum glorificavit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tor-
mentum, & luclum. *Quod & habetur pluribus aliis Scriptu-*
ra locis.

290 Secunda autem pars, quod Deus non puniat pecca-
ta ex iustitia vindicativa strictè sumpta. *Prob.* Quia iustitia
vindicativa ponitur in *Præfectis Reipublicæ*, ipsos strictè obli-
gans ad punienda delicta, ita ut si non puniant, sint forma-
liter injusti; sed Deus non est obligatus iustitia stricta ad
puniendos peccatores: ergo non punit peccatores ex iustitia
vindicativa strictè sumpta. *Maj. constat ex dictis.* *Min. au-*
tem prob. Quia Deus etsi sit Legislator, est tamen rerum om-
nium, & legum Dominus: ac proinde potest ex se dispensare
cum omnibus peccatoribus, in infligenda pœna, qua ratio-
ne misericordia utitur: ergo non est obligatus ex stricta jus-
titia vindicativa ad puniendo peccatores: alias non punien-
do foret formaliter injustus, quæ paucis verbis comprehen-
dit auctor libr. *Sapient. cap. 12.* dicens: *Virtus enim tua*
iustitiae initium est: & ob hoc quod omnium Dominus es: om-
nibus te parcere facis.

ART. XXVII. *An Misericordia sit in Deo,* *& aliæ virtutes?*

291 **M**isericordiam Domini frequentissimè decan-
tat sacrorum voluminum congeries: Sat Ca-
tholico illud David: *Misericors, & miserator Dominus, Psalm.*
110. Misericordias Domini in æternum cantabo, *Psalm. 88.*
Cæterum cum in creatis affectus subveniendi miseris in sub-
levanda eorum miseria communiter innascatur ex compas-
sione miseriæ; cum Deus compassionis sit incapax, ut pote
infinite beatus, est in ipso misericordia, quantum ad forma-
le ipsius, quod stat in affectu, & effectu subveniendi miseriæ
rationalis creature. Dei ergo misericordiam solo naturali lu-
mi-

mine cognovere Gentiles. Nam miseriis oppresi ad Deos clamabant. Nam censebant esse naturæ Deorum miseris subvenire. Ejus effectus meditandos relinquimus devotis Christianis, ut Deus in sua misericordia glorificetur.

292 Esse itidem in Deo *Benignitatem*, qua benignissimus est, docet etiam pluribus locis Scriptura. Paulusque ad Rom. 2. ait: *Quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit.* Et Joelis 2. *Quia benignus & misericors est:* Stat autem benignitas in affectu beneficiandi, non utcunque, quia sic non differret à beneficentia absolute sumpta; sed in affectu beneficiandi immeritis, hoc est, non obstante demerito personæ: qua ratione benignissimum Deum mortales omnes cogimur fateri, sicuti de liberalitate, & magniscentia, natura testante, & millies prædicante Scriptura.

293 Restat discurrere de *Gratitudine*, qua quis rependit, aut recolit beneficium acceptum. Hanc virtutem nullatenus posse esse in Deo concors tenet Theologorum Sententia: *Tum quia Deus nullum beneficium utile potest accipere à creatura: Tum quia, etsi creatura possit Deo tribuere aliquod obsequium supererogationis, id est, non præscriptum lege, aut præcepto determinatè; tamen omnia creatura obsequia sunt debita Deo creatori, qua ratione dixit Apostolus ad Rom. 2. *Quis retribuetur ei?**

294 *Veracitatem* esse in Deo, constans est omnium hominum sententia, pluries ipsa veritate sacrarum literarum confirmata Sat illud Apost. ad Rom. cap. 3. *Est autem Deus verax, &c.* Et ex lumine naturæ constat. Nam ipsi Gentiles Deorum suorum dicta venerabantur, adeò ut censerent, eos labi mendacii deturpari non posse: Cum autem voces, externaque signa ad exprimendos internos conceptus deseruant, in hac conformitate vocis ad conceptum stat *veracitas*, & in disconformitate vocis ab illo, stat *mendacium*: unde cum mendacium omnibus hominibus sit odiosum, & veritas omnibus amabilis, sit quod veracitas est perfectio simpliciter simplex, qua Deus carere non potest: unde Apost. ad Hebreos 6. ait: *Impossibile est mentiri Deum: de quo latius Theologi tract. de Fide.*

295 Restat differere de *Fidelitate*. Munus hujus virtutis

stat in adimplendis promissis. Porro Divinarum promissionum plenum est utrumque testamentum, pariterque utrumque prædicat Deum fidelem, ut videre est Deuth. 7. 32. Psalm. 144. 1. ad Corinth. 1. & 10. 2. ad Thessal. 3. *Fidelis autem Deus est.* Promissio autem stat in voluntate aliquid faciendi in favorem alterius, ipsi manifestata animo se obligandi ad eam rem: atque adeo voluntas interna faciendi aliquid in favorem alterius, etiam ipsi manifestata, si desit voluntas se obligandi, solum erit propositum & determinatio voluntatis; non vero promissio, quæ dicit formalem obligacionem. Hæc autem stat in ipso actu voluntatis, quo quis se vult obligari, tum respectu rei, quæ est materia promissionis, tum respectu personæ, cui fit promissio; ita tamen ut in persona, cui fit promissio, nullum sit strictum jus ad rem promissam, sed totum debitum; & origo illius stat in promittente, qui sibi ipsi ex honestate est debitor. Unde cum fidelitas formaliter in suo conceptu dicat perfectionem simpliciter simplicem, necessario est ponenda in Deo: cum possit cum creaturis conversari, & eis verè & propriè promittere: ac de fidélitate Deorum omnes gentium nationes eandem habuerint sententiam.

DISPUTATIO VII.

**DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ
TRINITATIS.**

**ART. I. E explicatur Mysterium, & erroris
contra illud.**

1 **E** Gimus de Deo & ejus perfectionibus, quatenus in creaturis eluent, ac fidei lumine notæ sunt nobis: nunc agendum de Sanctissimo Trinitatis Mysterio ad cuius altitudinem, nec cœlestium Spirituum intelligentia, per se solam assurgere potest, supernaturali destituta luce. Qua ratione Seraphin ab Isaia visa dum clamarent: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth:* velabant facies suas, demonstrantia Deum in Trinitate Personarum omnis creaturæ in infinitum superare captum: atque adeò fidei luce præente inter densissimam hujus Mysterii caliginem, oportet viam inire, ut non ad dexteram, aut sinistram, sed via recta incedamus, posthabitatis philosophicis, aut logicis ratiocinationibus, captivantes intellectum in obsequium fidei, & adorationis tanti Mysterii.

2 Sacramentum ergo Sanctissimæ Trinitatis, quod latuit Philosophos, & Deus solum revelavit aliquibus Patrum Veteris Testamenti, notum fecit nobis Dominus noster Jesus Christus, Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ, ut ait Apostolus ad Hæbreos cap. 3. in Evangelica lege præfertim illis verbis, quibus Apostolis injunxit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti,* Matthæi 28. Quod Sacramentum quid sit juxta mentem Catholicæ Ecclesiæ, breviter explicabimus.

3 Cum Deus essentialiter unus sit, ut supra evicimus, ita ut repugnet plures Deos esse, una illi est Divinitas, essentia, & natura. Cum tamen ab æterno intellectu, & voluntate polleat, ab æterno se cognovit, & sui cognitione effor-

mavit sui perfectissimam imaginem , seu *Verbum mentis*, cui communicavit suamnet essentiam , naturam , & Divinitatem : cumque inter producentem , & productum sit necessaria distinctio realis , & haec non possit esse essentialis , aut naturalis , cum una in utroque sit natura , & essentia ; fit quod solum possit esse personalis : cumque verbum , expressio , & imago sit similis producenti , ex vi processionis fit quod producens sit Pater , & productus sit vere , & proprius filius , ejusdemmet indivisibilis naturæ , essentiæ , & proprietatum. Deinde cum ex eadem æternitate Pater , & Filius sese , ut unum Deum ament , spirarunt Spiritum amoris perfectissimum , spirationeque communicarunt suamnet Divinitatem , essentiam , & naturam : unde ratione productionis est realiter distinctus à Patre & Filio Personaliter , & ratione ejusdem Divinitatis , essentiæ , & naturæ , non est alias Deus à Patre & Filio , sed solum diversa ab illis Persona.

4 Hac de causa Christiani Catholici fatemur unum esse Deum in Trinitate Personarum , nempe Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum , ita ut Pater sit verissimè Deus , Filius verissimè idem Deus , & Spiritus Sanctus verissimè idem Deus : quia in his tribus Personis est eadem Divinitas essentia , & natura , ac consequenter tres Personæ sunt unus Dens. Confitemurque quod omnia , quæ competunt Divinitati , ut æternitas , infinitas , immensitas , scientia , sanctitas , & omnipotencia , & cæteræ Divinæ perfectiones insunt tribus Divinis Personis , indivisibiliter ; ita ut sicuti tres Dii nec sunt , nec dici possunt ; nec sunt , nec possunt dici tres immensi , sancti , aut omnipotentes ; sed unus immensus , & unus omnipotens.

5 Confitemurque tandem , quod , esto tres Personæ sint unus Deus , sunt inter se realiter personaliter distinctæ : sive Pater non est Filius , nec Filius Pater , nec Pater & Filius Spiritus Sanctus ; nec Spiritus Sanctus , Pater , aut Filius ; ita ut sit vera Trinitas Personarum , in unitate ejusdem essentiæ , & naturæ . Pater tamen est ingenitus , & generans Filium : Filius genitus à Patre : & Spiritus Sanctus , Spiritus à Patre & Filio , procedens , tanquam ab unico principio : & totum hoc ex æternitate ; unde in illis non potest esse majus , aut

aut minus duratione, aut perfectione, & solum est prioritas originis, & processionis: & differunt tantum proprietatibus personalibus.

6 Errores contra hoc Mysterium, & eorum origines, si adamussim recensere vellemus, opus esset longam contexere historiam, quod jam præstitere alii, tuin ex Historicis, tum ex Dogmaticis, ac non nulli ex Scholasticis: nos brevitati dediti compendio itemur. Sæculo I. Christiano Cherintus, & Ebion docuere Jesum Christum D. N. non aliud fuisse, quam hominem ex Maria, & Joseph progenitum: non verè, & propriè Dei filium; sed solum talem appellatione propter excelentissima dona à Deo collata, sic destruentes Santissimæ Trinitatis fidem. Cum autem contra hos hæreticos scripsisset Apostolus Joannes Evangelium, ex ejus principio, & verbis Apostoli in pravum detorsere sensum. Sæculo II. emerfere Gnostici & Valentiniani, qui loco Trinitatis monstrosa errorum confinxere portenta. Praxeas tamen ex Montani asseclis fuit confusionis, & unitatis personarum quasi primus assertor. Nam cum Catholici confiterentur Patrem Filium, & Spiritum Sanctum esse tres hypostases, cum ΥΠΟΣ ΤΑΞΙΣ nomen apud Græcos, tum potius significaret substantiam & Divinam naturam, ut hujus defenderet unitatem, negavit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres hypostases, & personas, concedens solum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tria vocabula Divinæ operationis; Deumque, qua Creatorem, dici Patrem, qua ex Virgine natum, Filium, & Verbum, & qua Sanctificatorem hominum, Spiritum Sanctum: uti eadem persona potest dici Cardinalis, Archiepiscopus, & Prorex, munerum diversa vocabula, sed non designantia diversas personas.

7 Hinc Sectarii Praxeæ, cum urgerentur à Catholicis confiteri Patrem ipsam, dicti sunt Patripaniani. Hunc errorrem secuti sunt Sæculo III. Noctus, à puo Noetiani, & Sabellius, à quo Sabellianoi, quo nomine notiores facti sunt hujus erroris alumni. Eodem Sæculo Paulus Samosatensis Antiochenus Episcopus, ut se expediret à difficultate Mysterii, Jesum Christum purum hominem prædicavit, sequutus Cherintum, & Ebionem: quem errorem & postea ebibit Photinus Episcopus Sirmiensis.

A*Q*

8. Ast cum Arius Alexandrinus Presbyter, Sæculo IV. conspiceret Joannis Evangelio claram distinctionem Verbi à Deo Patre, capere non valens quod esset hypostasi, & persona diversum, & quod non esset natura & essentia distinctum, asseruit: Verbum è numero creaturarum esse, creatumque cum antea non esset, sicuti reliquæ creature; quanquam ordine creationis, & dignitatis excellentia omnibus anteiret: atque adeo non esse ejusdem substantiæ, & essentiæ cum Patre; sed illi dissimile, nec uti verum Deum adorandum. Docuitque Verbum prædictum, in utero Virginis hominem factum, egisse per se ipsum in corpore assumpto animæ rationalis officia: & de Spiritu Sancto docebat etiam unam esse ex præcipuis creaturis, qui Deo ministrabat in sanctificazione creaturarum, non autem verum Deum; quem errorem specialiter elegit propugnandum Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, à quo hæretici negantes Divinitatem Spiritus Sancti, Macedoniani nuncupati sunt.

9. Quot scandala, quot dissidia, quæ turbæ ex errore Arii exortæ sunt in Ecclesia, Ionum esset recensere; sed ejus doctrina, ac ipse damnatus est in Concilio Nicæno sub Constantino Magno anno 325. ex orbe Christiano, congregatis trecentis decem & octo Episcopis: postquam Sæculo anteriori Paulus Samosatensis duobus Conciliis damnatus est: primo celebrato Antiochia anno 264. secundo eadem urbe anno 270. Serpsit nihilominus Ariana pestis Imperatorum plausu, & potentia per Orientis, Africæ & Europa Regiones invectaque est in nostram Hispaniam per Uvandalos, & Goths; sed Catholicorum studio sæculo 7. penitus extincta visa est.

10. Sequentibus sæculis emergere conata, per varios, sed debili progressu, donec Sæculo XVI. Luteri Spiritu, hujus hæreseos faces berathro sepultas, denuo revocavit. Michael Serbetus Tarragonensis edocens nihil esse Trinitatem, solam in Deo esse unam personam, alia ab ipso creata esse, ac ex nihilo facta, perindeque Christum pure hominem fuisse: Messianum Judæis promissum, nobis magistrum, & mediatorem, propter excellentia dona ipsi à Deo collata, dictum Deum nuncupativè, sicuti Moyses dictus Deus Pharaonis.

Hu-

Hujus errores sunt amplexi Valentinus Gentilis, & alii, quos disseminarunt in Polonia, Transsilvania, Hungaria, & aliis Regionibus; sed Serbetus Calvini præscripto blasphemarum luit pœnas, vivus combustus Genevæ nec dissimili mortis genere periere plærie Sociorum.

11 Tandem principio sæculi decimi septimi infastus Socinus Senensis eosdem errores majori studio, ac subtilitate propagavit, ac ut nihil difficultatis inesset Christianæ Religioni, ejus mysteria omnino eliminare contendit. Nam in Deo decebat non esse, nisi unicam personam: Verbum nihil aliud esse, nisi Divinam Sapientiam Spiritum Sanctum: nihil aliud, nisi ejus virtutem, & potentiam, quo corruit Trinitatis Mysterium: cumque doceret Jesum Christum solum esse unum ex hominibus in fine sæculorum ex Maria natum, Mysterium Incarnationis omnino eliminavit. In materia Eucharistiae Calvinianis consentiebat, dicebatque: nec baptismum necessarium esse ad consequendam vitam æternam, pene adaptans Religionem Christianam Alcorani compagationi: unde, sublata difficultate credendi Mysteria, facile sibi plausum fecit inter Protestantes. Qua propter in Borealis Regionibus plurimi sunt huic errori addicti, & à Socii cognomine, audiunt jam vulgo *Sociniani*. De Judæis, & Mahometanis dicemus postea.

ART. II. *Christum non esse purè hominem?*

12 **A**D demonstrandam ex Sacris Scripturis Sociniorum impietatem, primum ostendemus Christum non fuisse purè hominem, sicut Moysem, aut unum ex Prophetis, sed aliud præter hominem, qui mortalium oculis apparebat consequenterque: aut hominem, Angelum, vel aliam creaturam, vel hominem verè Deum, uti Catholici confitemur.

13 I. Nam Joannis cap. 1. constat, quod Jesus Christus est Verbum, quod erat in principio apud Deum, & caro factum, cuius gloriam quasi unigeniti à Patre, vidit ipse Evangelistæ.

gelista Joannes : & cui testimonium perhibuit Joannes Baptista dicens : *Hic erat, quem dixi qui post me ventarus est, ante me factus est, quia prior me erat* : quibus verbis Joannes Baptista docet, Christum ante ipsum fuisse, & esse ipso priorem in existendo : at Jesus Christus, si fuit pure homo, qui cœpit esse in utero Virginis, non potuit esse prior in existendo, & generatione Joanne Baptista, cum hujus conceptione sex mensibus, præcessit Iesu Christi conceptionem : ergo si Jesus Christus præcessit duratione, & in existendo Baptistam, necesse est quod fuerit aliquid præter hominem, antecedens Baptista conceptionem.

14. II. Ex cap. 8. Joan. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* : quibus verbis Jesus Christus quærentibus Judæis : quomodo Abraham viderit, cum nondum quinquaginta annos haberet, planè, & verè Judæis respondit ; sed si Christus esset pure homo ex Virgine natus in fine Sæculorum, non posset esse duratione prior Abraham : ergo aliquid aliud fuit præter hominem Jesus Christus. III. Ex Joan. cap. 17. illis verbis : *Clarifica me, tu Pater, apud temet ipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset apud te, id est, claritate, quam habui apud te, priusquam mundus esset* : ergo Jesus Christus habuit claritatem apud Patrem ante mundi creationem, & consequenter aliud fuit præter hominem ; cum homo ante conceptionem ex Maria Virgine non fuerit, Catholicorum, & Socinianorum Sententia. Præterea quia in Christo, & per Christum conditæ sunt universæ creaturæ, ut post ostendemus : ergo est aliquid præter hominem præexistens ad earum productionem.

15. His clatissimis testimoniorum respondent Sociniani Baptista, cum dixit quod Jesus Christus erat prior illo, & Christus ipse, quod erat prior Abraham, habuisseque claritatem apud Patrem, antequam mundus esset, non locutum de vera præexistentia reali, in vera duratione ; sed de præexistentia in mente Divina, & in ordine excellentiæ, & dignitatis : quia Jesus Christus Messias, mediator, & magister hominum fuit, primus in ordine Divinorum decretorum, quippe Abraham, Baptista, Prophetæ & alii, per ordinem ad ipsum decreti, & ordinati sunt à Deo : quam solutionem in-

inspiravit eis diabolus, sumpta occasione ex his, quæ disputant
Theologi de ordine Divinorum decretorum.

16 Sed quantum à veritate distent hi hæretici, facile pa-
tet. I. Quia si prioritas in mente Divina esset sufficiens ad ve-
ritatem enuntiationis Baptiste, & Jesu Christi Domini de
sui prioritate antequam Abraham & mundus esset; etiam esset
sufficiens, ut Adam posset dicere vere & proprie: *ego sum
ante Cœlum, & terram*: Sed hoc nullus sanæ mentis assere-
re potest: ergo & nullus sanæ mentis potest inhærcere solutio-
ni Socinianorum. *Prob. Maj.* Nam Adam, & cæteri hominum,
quorum fuit primus parens, in mente Divina fuerunt prio-
res Cœlo, & terra, quippe propter hominem Cœlum, & terra
creata sunt; finis autem intentione præcedit, ea quæ sunt ad
ipsum finem: ergo si Adam fuit prior in mente, & intentione
Cœlo, & terra, potuit vere dicere: *ego sum ante Cœlum, &
terram*: cumque verbum Substantivum *Sum, es, fui* in sua pro-
prietate significet verè esse, cum Baptista usus sit præterito im-
perfecto, erat, & Christus præsenti *sum*, fit clarissime loqui
de vera, & reali existentia & non de existentia intentionalis in
mente Divina.

17 II. Considerando, qua causa & occasione dixit Ju-
dæis Jesus Christus ea Verba: *Antequam Abraham fieret ego
sum?* Cum enim dixisset eis Christus: *siquis sermonem meum
servaverit, mortem non videbit in æternum.* His auditis di-
ixerunt Judæi: Si Abraham, & Prophetæ mortui sunt, quo-
modo dicas: *siquis sermonem meum servaverit, non gaſtabit
mortem in æternum*: *nunquid tu major es patre nostro Abra-
ham, qui mortuus es?* Quæsiereque quis esset: *Quem te ipsum
facis?* Christus verò, ut innueret eis, quis esset cum dixisset.
Est Pater meus, qui glorificat me: ut eos doceret, esse ma-
jorem Abrahæ dixit eis: *Abraham Pater uester exultavit,*
ut videret diem meum: *vidit, & gavisus est.* Ex quo intu-
lere Judæi, quod Abraham vidit, ut constat illis verbis:
Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Nam
si Abraham vidit illum diem Christi, etiam Christus vidit
Abraham: quod ipsis apparebat impossibile, cum nondum
quinquaginta annos haberet. Ut eis autem Christus planè satis-
faceret, & ostenderet verè vidisse Abraham, dixit: *Antequam
Abra-*

Abraham fieret, ego sum; visio autem vera non sit per existentiam in mente Divina, & ordine Divinorum decretorum: ergo cum Christus dixit Antequam Abraham fieret, ego sum, loquutus est de vera existentia reali: nam præexistentia intentionalis nihil erat ad rem presentem, de qua Judæi interrogarunt Christum: quis tunc vere & realiter esset: ut patet ex illis verbis: Quem te ipsum facis? seu quis re vera tu es? Quod autem Sociniani obsecrati non credunt, illico intellexere Judæi; nam audita Christi propositione tulerunt lapides, ut Christum tanquam blasphemum lapidarent.

18 His angustiis depresso Sociniani commenti sunt dicere: ea verba non dixisse Judæis Christum ferio & ex animo; sed per sarcasnum, & irrisiōnē eorum cœcitatē perstringentem. Sed quanta sit Socinianorum dementia, facile constat ex ipsis verbis Christi dicentis. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Nam geminatum *Amen* in ore Christi, idem est ac firmissima asseveratio, & assertio æquipollens juramento, ut ex pluribus locis novi Testamenti patet. Ex quo constat Socinianos studio errorem defendendi cœco furore percitos.

19 III. Quia Christus illis verbis: *Clarifica me Pater, claritate, quam habui apud te, priusquam mundus esset:* denotat clare habuisse de præterito gloriam, ad quod verificandum non sufficit destinatam illi gloriam in mente Divina, quia hæc non est gloria habita, sed habenda: sicuti S. Paulus non potuit vere dicere habuisse gloriam Apostolatus antequam mundus esset, esto ante creationem mundi destinatus esset ad illam: ergo si Christus non fuit præexistens ante suam Conceptionem ex B. Virgine: & si antequam mundus esset fuisset destinatus ad illam gloriam, non potuit vere dicere habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus esset. Paulus etiam id edocet illis verbis ad Rom. cap. i. *qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Si enim non habuit aliud esse præter carnem, super vacaneum esset dicere, *secundum carnem:* cum aliud esse non habuerit juxta Socinianos: ergo Apostolus dicens, quod factus est Christus *secundum carnem,* id est, *secundum quod homo, innuit aliquid præter carnem esse Christum.*

ART.

ART. III. De Divinitate Iesu Christi.

20 **C**onmonstrato, quod Christus præextitit Conceptioni ex B. Virgine, breviter ostendemus contra eosdem Socinianos, ac eorum præcessores, non fuisse purè hominem; sed esse, ac fuisse verum Deum, qui creavit Cœlum & terram, atque omnia quæ ipsis continentur: quippe de legit sibi populum Hæbraicum, dedit ei legem, ac ex eo Messiam proniisit, qui esset omnium gentium lumen, magister, mediator, & Redemptor, qui est Jesus Christus verus Messias, confessione Socinianorum.

21 *Prob. I.* Nam Christus fuit verus Messias promissus in lege, & Prophetis; sed Messias promissus est ipse Deus Israel: ergo Christus est ipse verus Deus Israel, seu quem Hæbrei colebant, ut omnium rerum creatorem. *Min. prob.* Tum ex Isaia cap. 9. ubi consentientibus Rabinis, loquitur de Messia & ait. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi:* ubi inter nomina Messiae est nomen EL in originali, quod est propriissimum Dei, sic vertere septuaginta Interpretes, ne pateat effugium dicendi, nominari Deum purè nuncupativè, & non proprio: *Tum ex eodem Propheta cap. 35.* Ubi de eodem Messia loquens ait: *Deus ipse veniet, & salvabit vos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: Tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum:* Sed hæc completa sunt in Christo Jesu: *juxta Matthæum cap. 11.* Ergo Christus Jesus est Deus ipse, qui venturus erat ad salvandum nos. *Tum ex cap. 45.* ubi clarissime loquens de Messia ait: *Labor Ägypti, & negotiatio Äthiopie & Sabaim viri Sublimes ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt, vincit manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur; tantum in te est Deus, & non est absque te Deus: vere tu es Deus absconditus Deus Israel Salvator.* Quæ nullo modo adaptari possunt Cyro Persarum Regi, ut contendunt Rabini; sed solo Christo vero Messiae. *Tum ex illo Jeremiæ 23.* loquentis de Messia: *Et*

hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster: cui in Hebrewo respondet Tetragrammaton, quod est propriissimum nomen Dei, cui & consonat Baruc cap. 3. aiens de Messia. Hic est Deus noster.

22 *Prob. II. Ex veteri, & novo Testamento. I. ex illo Isaiae 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum & ea quae sub ipso erant replebant templum, & Seraphim stabant super illud &c. Et clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus: Et post: Et audivi vocem Domini dicens: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi: ecce ego, mitte me: Et dixit: Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Execera cor populi hujus, & aures ejus aggrava: & oculos ejus claudere; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde intelligat, & convertatur, & sanem eum. Ubi primò notandum quod Isaias verum Deum Israel vidit, sive in se ipso, sive in typo, & figura, ut constat ex illis verbis: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, cuius gloria repleta est omnis terra. Secundò quod audivit ejus vocem, ut constat legenti. At is cuius gloriam vidit & vocem audivit, fuit Christus Jesus: ergo Christus Jesus est verus Deus Israel. Min. constat ex Joan. cap. 12. Aiente: Hac locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut Sermo Isaiæ Prophetæ completeretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Execavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligent corde, & convertantur, & sanem eos. Hac dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo: ergo is, cuius gloriam vidit, & audivit Isaias, fuit Christus Jesus.*

23 *Tum ex illo Zachariæ cap. 12. Effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum, & aspicient in me, quem confixerunt. Hac autem dicta sunt à Domino, qui fecit Coelum, & terram, ut ipse Prophetæ loquitur principio capitinis, qui solus est verus Deus, & di-*

dicit: Habitatores Jerusalem ipsum aspecturos quem confixi erant; at is fuit Christus Jesus: ut patet ex Joann. 19. Ubi postquam dixisset: Christo jani mortuo crura fracta non fuisse ait: Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo: Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Ergo Jesus Christus est verus Deus Israel, qui extendit Cœlum & fundavit terram.

24 Tum ex illo Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus, multiplex millia lœtantium, Dominus in eis in Sina in Sancto: ascendisti in altum, cepisti captivitatem accepisti dona in hominibus: Ubi David loquitur de vero Deo Israel, ut patet ex illis verbis: Et enim Cœli destillaverunt à facie Dei Israel. Quem alloquens ait: Ascendisti in altum &c. Ubi, accepisti dona in hominibus, est Habraismus, idemque, ac dedisti dona hominibus: at is fuit Jesus Christus, ut constat ex Apost. ad Ephes. 4. aiente. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus: Tum quia solus verus Deus adoratur ab Angelis, & solus creavit Cœlum, & terram; sed hæc quæ scripta sunt in Psalmis de vero Deo, competunt Christo, ut constat ex Apost. Epist. ad Hæbreos. Nam de Deo dicitur Psalm. 96. *Et adorent eum omnes Angeli ejus: & Psalm. 101. Et tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli. Quæ dicta esse de Christo Filio Dei testatur Apostolus cap. 1. his verbis: Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: Et post: Ad filium autem: Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli: Ergo is fuit Christus. Quo argumento coacti Ariani negarunt Epistolam esse Canoniam. Tum quia verus Deus Israel fuit, qui populum Hæbreorum salvavit de Ægypto, ut constat Exodi cap. 20. Is autem fuit Jesus Christus, ut testatur Apostolus Judas in sua Epist. illis verbis: *Quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit. Quo nihil clarius.***

25 Prob. III. Ex novo testamento: Tum ex Joan. cap. 1. Nam Jesus Christus est Dei Verbum, homo factus, Unigenitus

tus Patris, qui inter nos vixit, ut constat ex verbis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti à Patre: sed Verbum factum homo est verè Deus: ergo si Christus est hoc Verbum factus homo, est verè Deus.* *Quod confirmatur:* quia Joannes afferit, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ex his quæ facta sunt: is autem per quem omnia facta sunt, Deus est. Nec sine specie insanæ dici potest à Socinianis, quod Verbum Dei, de quo scribit Sanctus Joannes Apost. nihil est aliud quam decretum Dei de Jesu Christo creando, quod decretum nomine *Verbi* significatur; & quia executioni mandatum est, & factus est Jesus Christus, dicitur quod Verbum erat in principio apud Deum, & quod Deus erat Verbum, & quod Verbum factum est caro, seu homo; non autem quod Verbum sit aliquid persona distinctum à Deo, qui creavit Cœlum, & terram.

26 Hæc jam excogitarant antecessores Socinianorum; sed facile disparent Evangelistæ lectione. *Tum* quia de Verbo de quo Joannes loquitur, dicitur: *Quod in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & illa lux in tenebris lucebat, & quod tenebrae eam non comprehendere: Quæ de æterna Divinæ mentis dispositione de creando Christo nullatenus dici queunt cum per se sit occulta & tenebrae eam comprehendere non possint* juxta illud: Pauli ad Rom. cap. 11. *Quis cognovit sensum Domini: Tum* quia Verbum est verum lumen, in cuius testimonium venit Joannes Baptista; Baptista vero missus fuit à Deo, ut testimonium perhiberet de Jesu Christo, demonstrans illum hominibus, non vero, ut testimonium perhiberet de Divinæ mentis dispositione de creando Christo: cum antea per Prophetas id pluries reyelasset, & manifestasset. *Tum* quia Verbum, quod dicitur vita, lux, lumen, in mundo fuit, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit; æternæ autem mentis dispositio de creando Christo, non fuit in mundo, sed in Divina mente: nec mundus potuit per se cognoscere.

27 *Tum* quia si Verbum internum Dei, seu ejus decretum diceretur factus homo, quia executioni mandatum; omne decretum Dei posset dici objectum illius, dum executio-

ni est mandatum ; & sic Verbum , & decretum Dei posset dici factum Joannem Baptistam , dum executioni positum fuit decretum de creando Joanne Baptista. Similiter factum ranas , & culices , dum mandatum fuit executioni decretum Divinum de ranis , & culicibus creandis. En in quas absurditates incidant Sociniani : ergo Verbum , de quo loquitur Joannes , non est æternæ mentis dispositio , sed persona subsistens in Deo , ac Deus ipse , per quem omnia facta sunt , qui factus homo in utero B. Virginis , est verus Christus.

28 Denique : quia Joannis 20. Apostolus Thomas Jesu Christo post resurrectionem ei apparenti , respondit , & dixit ei : *Dominus meus , & Deus meus* , non admiratione ductus , (ut autumant Hæretici) cum nec in codicibus Gracis , nec Latinis sit articulus admirationis ; sed ut ait Evangelium , *Respondit Thomas , & dixit ei :* (nempe Jesu Christo) *Dominus meus , & Deus meus* , professus Jesum Christum esse ejus Deum , & Dominum. Apostolusque Joannes clarissime epist. 1. cap. 5. Socinianorum errorem percellit his verbis : *Ut sumus in vero filio ejus. Hic est verus Deus , & vita eterna:* Cavillos , & subterfugia Hæreticorum quia frivola , mittimus.

29 Prob. IV. Ex Apostolo Paulo Act. 20. illis verbis : *Attendite vobis , & universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo : & Joan. epist. 1. cap. 3. In hoc cognovimus charitatem Dei , quia ille pro nobis animam suam posuit.* Cum autem Jesus Christus Ecclesiam acquisierit sanguine suo ut idem Apostolus docet ad Ephes. 5. sit quod Jesus Christus sit Deus. *Tum ex 2. cap. ad Philipens. illis verbis : Qui cum informa Dei esset , non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Quibus verbis docet Apostolus Christum non arbitratum esse rapere Deo honorem , dum se diceret aequalem Deo ; judicium autem Christi falsum non fuit : Si ergo Jesus Christus , non rapuit Deo honorem , dum arbitratus est esse se aequalem Deo , necessario Deus est : quia creature ad Creatorem nulla potest esse aequalitas : *Tum quia ad Colosens. 1. de Jesu Christo docet , quod omnia per ipsum , & in ipso creata sunt , & ipse est ante omnes , & omnia in ipso constant:* Idem-

Idemque docet scribens ad Hæbreos cap. 1. *Per quem fecit, & sacerdota: si ergo Christus omnia creavit: Deus est juxta ipsum Apostolum eadem ad Hæbreos Epistola cap. 3. Qui autem omnia creavit, Deus est: Plurima alia mittimus, quia necessitate erat longissimè protrahere Sermonem.*

30. *Ultimo.* Quia Jesus Christus est Filius Dei Patris, non communis modo, per gratiam, & adoptionem, sicuti Sancti veteris, & novi Testamenti; sed Filius Unigenitus illius, ut docet Joannes cap. 1. illis verbis: *Vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti à Patre: Et postea: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit: cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, & epist. 1. cap. 4. In hoc apparuit charitas Dei nobis: quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut per eum vivamus: Qua ratione eum Paulus vocat ad Rom. 8. Filium proprium: his verbis: Qui proprio filio suo non pepercit. Unde est verè, & propriè Filius Patris; sed Filius verè, & propriè talis est ejusdem naturæ cum Patre: ergo si Pater est natura sua Deus, etiam Filius debet esse ejusdem naturæ, & consequenter Deus.*

31. Porro plures confessi sunt Jesum Christum Filium Dei Nathanael Joannes cap. 1. Matth. cap. 11. & Apostolus Petrus, Matth. 16. illis verbis: *Tu es Christus Filiis Dei vivi: quorum nullus, ac præsertim Petrus loquabatur de filiatione per gratiam, & adoptionem, sed de filiatione vera & propria, & naturali; quia Christus dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est; id est, me esse Filium Dei speciali Patris beneficio & revelatione cognovisti: ad cognoscendum autem Christum esse justum, & adoptione, & gratia Filium, non erat necessaria specialis Patris revelatio, cum ex aliorum testimonio noscere posset, sicuti Joannis 1. Petrus ipse cognovit Christum, ut Messiam ex testimonio Andreae fratris: Ex quo fit, quod confessio Petri non fuit de Filiatione adoptiva, sed de Filiatione vera, propria, & naturali.*

32. *Insuper admiratione dignum, quod Sociniani non capiant, quod ipsimet Judæi obsecrati intellixere Joannis enim 5. dicitur, quod Judæi, quærebant Jesum Christum inter-*

terficere: *Quia non solum solvebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo.* Qua de causa accusatus est ab eis apud Pilatum, cum ante Princeps Sacerdotum, ad jurasset Christum, ut diceret ei num esset Filius Dei? Matth. 26. Præcipuumque caput accusationis apud Pilatum illud fuit, juxta verba Joannis cap. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori: quia Filium Dei se fecit:* qua de causa jam in Crucem acto, Principes Sacerdotum blasphemabant, & illudebant ei dicentes: *Si Filius Dei es descendens de cruce* Matth. 27. Nec accusatio fuit, quod se diceret Christus justum, & Filium Dei per adoptionem: nam hoc non poterat notari blasphemia, sicuti fecit Princeps Sacerdotum scindens vestimenta, & dicens: *Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus?* Ecce nunc audistis blasphemiam: Quod & confessus est Centurio, visis portentis quæ tunc fiebant, his verbis: Matth. 27. *Verè Filius Dei erat iste:* qui confessus est, & glorificavit Deum in eo ipso, de quo Christus actus in Crucem blasphemabatur, & irridebatur a Principibus Sacerdotum.

33 *Ultimo.* Daemon ipse, cum Christus in Jordane Filius prædilectus fuisset declaratus a Patre, id experiri voluit in deserto ipsum tentans, eique dicens: Matth. cap. 4. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant:* Et iterum: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Quis autem crederet Daemonem tanta cura sollicitum de filiatione adoptiva, & per gratiam. Satagebant ergo Dæmones, esset ne Filius Dei naturalis, quod & confessi sunt Matth. 8. cap. dicentes: *Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei.*

34 *Tum* quia Jesus Christus alio modo erat Filius, ac erant Angeli, juxta illud Pauli ad Hebreos 1. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te:* Ast Angeli sunt Filii Dei per adoptionem, & gratiam: ergo Christus est Filius per naturam. Nec excellentia gratiæ in Iesu Christo, qua Messia, potuit illum extrahere è numero adoptivorum, nec ex ea unigenitus potuit dici; sicuti nec B. Virgo Maria propter excellentiam, & incomparabilem gratiam, quam habuit præ ceteris sanctis mulieribus, nec dicitur, nec dici potest filia unigenita Dei. Unde Soci-

niani capere nequeunt , quod Dæmones , & Judæi cognovere.

ART. IV. Solvuntur argumenta ex Scriptura.

35 **P**lurima contra Christi Divinitatem objecere anti-
qui Hæretici argumenta , jam enodata , & soluta
ab Ecclesiæ PP. denuo revocata à Socinianis : quorum præ-
cipua capita exhibemus , ad quæ cætera revocari possunt.

36 *I. Quia* Jesus Christus Dei Patris sapientia , est crea-
tura ex illo Proverb. 8. *Dominus creavit me in initio viarum*
suarum. Et Ecclesiastici 1. *Prior omnium creata est sapientia;*
diciturque factus à Deo , ut constat ex Apostolo Petro Act. 2.
Certissime sciat , ergo omnis domus Israel , quia & Dominum
*eum , & Christum fecit Deus , hunc Jesum , quem vos crucifi-
xistis :* quod & habetur aliis locis : *Si ergo factus est à Deo ,*
non est Deus , sed pura creatura.

37 *II. Quia* Deus nulli potest esse subjectus , nec alterius
subjici præcepto: Christus autem subjectus est Patri , ex ver-
bis Apostoli 1. ad Corinth. cap. 5. *Cum autem fuerint sub-
jecta illi omnia , tunc ipse Filius subjectus erit ei , qui subjecit*
sibi omnia : Præceptum autem habuit impositum à Patre illis
verbis Joann. 10: *Hoc mandatum accepi à Patre meo : non*
ergo Christus est Deus.

38 *III. Quia* Deus omnium habet potestatem , ac à se
ipso habet omnium scientiam ; neutrum autem habet Christus
à se ipso , sed à Patre , ut videtur innui illis verbis:
Matth. cap. 20. *Sedere autem ad dextram meam , vel sinistram ,*
non est meum dare vobis , sed quibus paratum est à Patre meo : &
Joaun. 15. Filius non potest à se facere quicquam : & cap. 8. Sicut
docuit me Pater , hac loquor : & Matth. 11. Omnia mibi tradita
sunt à Patre meo.

39 *IV. Quia* ignorantia non cadit in Deum : Christus
autem ignoravit diem judicii. Nam Matth. 24. dicitur: *De die*
autem illa , & hora , nemo scit ; neque Angeli Cœlorum , nisi so-
las Pater. Ultimo , quia , qui Deum adorat , Deus non est;
nec

nec est, qui Deum recognoscit, & illum fatetur majorem: hæc autem de se Christus confessus est. Nam Joann. 4. ait: *Nos adoramus, quod scimus: & cap. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* & cap. 14. *Pater major me est:* non ergo Jesus Christus est Deus.

40 Ad horum argumentorum solutionem necesse est Socinianos convenire. Ipsi, & nos convenimus Jesum Christum verum hominem esse: ipsi nihil aliud esse præpter hominem: nos autem fatemur esse hominem, & esse simul Deum, proindeque in eadem persona esse naturam humanam, & Divinam, ac de eo verificari quæ sunt hominis, excepto peccato, ac quæ sunt Dei: ad modum quo in eadem persona possunt convenire duæ dignitates, una secundum quam Superiorem non agnoscat, & alia secundum quam superiori potestati subdita sit, ut contingit Regibus Hispaniæ, qui fuere Duces Mediolanenses, qui, qua Reges Hispaniæ, nullum superiori cognoscebant: ast, qua Duces Mediolanenses, supra se recognoscebant Romanorum Imperatorum. Argumenta præmissa probant Christum esse hominem, & ei convenire quæ hominis sunt: illis tamen non probatur Deum non esse, quia nullo ex Scripturis adducto loco firmatur, non esse Deum, quod erat omnino Socinianis necessarium, ut suam thesim probarent.

41 Hoc præmisso facilissimum est ad argumenta Hæreticorum respondere. Ad 1. *dicimus*, quod Christus, qua ab æterno est Filius Patris, est illius sapientia: & qua homo factus est, etiam Patris sapientia: quia, ut ait Paulus ad Colossenses cap. 2. *In ipso sunt omnes Thesauri sapientiae, & scientiae Dei:* perindeque, si in locis Proverbiorum, & Ecclesiastici, dicitur Sapientia creata, adjectivum *creata*, non accipitur in rigorosa significatione; sed valet idem, ac *genita*, uti docuit Alexander Alexandrinus Antistes ad Constantinopolitanum Epist. quæ extat apud Theodoretum lib. 1. hist. cap. 4. & aliis PP. Si autem sermo sit in prædictis locis de Christo, qua homine, fatemur creatum & factum, uti docuit Petrus Act. 2. Verum, ut quantum aberrent à vero Sociniani, conspiciant, præ oculis habeant: quod si præfatis locis sit sermo de Jesu Christo, qui nullo modo fuit ante Mariam, quomodo

creatus potest dici in initio viarum Domini , & prior omnium , nisi per recursum jam præclusum ad dispositionem Divinæ mentis , & ejus decretum.

42 Ad II. dicimus Christum qua hominem fuisse Patri subiectum , ac sub ejus obedientia : & hæc afferi prædictis locis de ipso qua homine : eis tamen non negari esse Deum. Similiter ad III. fatemur Christum hominem accepisse potestatem , dignitatem , & scientiam à Deo Patre juxta verba Matth. cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo , & Terra.* Cæterum hoc non obstare ejus veræ Divinitati , ratione prædicta. Ad IV. negamus Christum qua hominem ignorasse diem judicii , uti Sociniani tenentur afferere : cum confiteantur Christum hominem plenissimum Dei gratia , & sapientia. Qualiter autem explicanda sint illa verba .: *Nisi solus Pater* , varianti interpres , plerique intelligunt de cognitione die judicii ad illum manifestandum : sicut qui rem secreto novit , quia manifestam facere non potest , nescire dicitur. *Ad ultimum* dicimus , loca ibi adducta loqui de Christo , qua homine , quia qua talis , est minor Patre , Patrem adorat , & ipsum ut Deum reveretur : unde tota argumentatio Socinianorum reducitur ad hanc formam. Christus est homo , quod probant præfatis locis quod nos lubentissime fatemur: ergo non est Deus : quam consequentiam nos negamus , quia utrumque , & Deum esse , & hominem esse docemur ex Santa Scriptura. Alia plura postea pro eodem argumento dabisimus.

ART. V. *De Divinitate Spiritus Sancti.*

43 **D**Upliciter errarunt Hæretici contra Spiritum Sanctum , ut jam animadvertisit Nazianzenus Orat. V. Quidam negabant Spiritum Sanctum esse personam à Patre , & Filio realiter diversam: nec aliud esse dicebant , quam Dei virtutem , potentiam , energiam , qua Deus sanctificationem , & ea quæ ad illam ordinantur in cordibus hominum operatur , quorum parentes Sabellii antecessores fuere , eundemque errorem amplexi Serbeti , & Valentini Gentilis discipuli , & qui nunc Sociniani dicuntur. Alii autem ex Ariani-

uis exorti, quorum dux vulgo haberut Macedonius Constantinopolitanus antistes ad medium Sæculi. IV. qui non ausi negare Spiritum Sanctum, cuius tam erekta mentio in Sacris Scripturis, personam esse distinctam à Patre, & Filio; creaturam impie dixerunt: quin pro nunc necessarium sit de his hæresibus longam historiam texere. Quapropter duo à nobis agenda sunt: unum, evincere Spiritum Sanctum toties nominatum in Sacris Scripturis esse vere, & realiter Personam; aliud esse Personam Divinam, vereque Deum.

44. Dicendum cum Catholica Ecclesia, Spiritum Sanctum, sic nominatum in Sanctis Scripturis, esse vere & realiter Personam subsistenter, à Patre & Filio distinctam. Nam Spiritus, qui cognoscit, vult, & operatur, est Persona subsistens, ut pér se patet; talis est Spiritus Sanctus in Sanctis Scripturis nominatus: ergo est verè & proprie Persona subsistens. Min. prob. Tum quia, ut ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ubi clarissime tribuitur Spiritui Dei cognitione omnium eorum, quæ sunt apud Deum: quod dici non potest de energia, potentia, & motione Dei, sive accipiatur activè, sive passivè accipiatur. Nam per Divinam potentiam, & energiam non se cognoscit Deus, sed solum per suam scientiam formaliter, qua talem, & ejus effectus in creaturis, uti sunt dona, cognoscentes dici nequeunt: ergo Spiritus Sanctus, de quo Sanctæ Scripturæ, est Spiritus cognoscens, & consequenter Persona.

45. Tum ex eadem Epist. cap. 12. ubi Apostolus agit de gratiis datis ad ædificationem Ecclesiæ, & fidelium dicens: *Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus:* & cum prædicta dona numerasset, nempe scientiam, sapientiam, fidem, gratiam sanitatum, virtutum operationem, prophetiam, discretionem Spirituum, generalinguarum, ac interpretationem sermonum, subdit: *Hæc autem omnia operatur, unus atque idem spiritus dividens singulis, prout vult: ubi clare conspicitur: Spiritum Sanctum vel le, & operari: ac proinde Personam esse.*

Tum

46 *Tum quia Spiritus consolator, ut contrapositus alii consolatori, est verè Persona: itidem & qui docet, & suggerit Divina verba, procul dubio Persona est; talis autem est Spiritus Sanctus, ut constat ex Joann. cap. 14. illis verbis: Ego roga hō Patrem. Q[uod] alium Paraclitum dabit vobis. Et pos-tea: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia: quibus verbis aliis Paraclitus contraponitur Iesu Christo Paraclito: unde non potest non esse Persona, sicuti Christus. Donum enim Dei, quo animas hominum consolatur, dici nequit consolator, nec donum doctrinæ potest dici docto[r], aut docens: ergo Spiritus, qui est consolator & docto[r], est vere & proprie Persona.*

47 *Tum quia qui Sacra verba Sanctis Prophetis inspiravit, non potest non esse Persona; sed Spiritus Sanctus inspiravit Sacra verba Prophetis, ut constat ex 2. Petri cap. 1. Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines: & Act. ultimo. Bene locutus est Spiritus Sanctus de vobis per Isaiam: ergo Spiritus Sanctus est vera & propria Persona. Non ignoramus plurimis modis accipi in Sacris Scripturis hanc vocem *Spiritus*, & pro vento, ac aere agitato, pro vigore, energia, potentia, & viribus, pro superbia, pro mente, pro vita, pro anima, pro creaturis incorporeis, quales sunt Angeli, & Dæmones, ac tandem pro Dei donis ordinatis ad nostram sanctificationem; attamen in locis prædictis nomen Spiritus Sancti, nullo ex præfatis modis accipi potest: ac proinde efficitur, quod sit nomen Personæ verè, & propriè talis.*

48 Restat ergo demonstrare Divinitatem Spiritus Sancti ex Sanctis Scripturis. Idque fit I. ex cap. 5. Actuum Apostolorum: ubi Apost. Petrus reprehendit Ananiam, his verbis: *Cur tentavit Satanas eortum, mentiri te Spiritui Sancto.* Et post pauca verba: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ubi clare, & expresse Spiritus Sanctus dicitur versus Deus. Pudeat ergo assecelas Socini effutire insigne mendacium, nimirum nullibi in Sancta Scriptura Spiritum Sanctum dici Deum.

49 II. ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. ubi loquens de gratiis gratis datis, quæ à solo Deo donantur ad ædificationem Ecclesiæ, ait: *Divisiones vero gratiarum sunt;* idem autem

Spi-

Spiritus: Et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Et postea: Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult: ergo si Deus est, qui operatur omnia in omnibus; & hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, prout vult; Spiritus hæc operans necessario Deus est.

50 *III. Quia profunda Dei nemo cognoscere, & scrutati potest, nisi Deus ipse; sed Spiritus Sanctus profunda Dei cognoscit: ergo Spiritus Sanctus est verus Deus. Major est omnino certa: Min. autem constat ex eadem Pauli Epist. cap. 2. his verbis: Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nihil enim clarius dici potuit à Theologo Catholico, quam dictum fuit his verbis à Christi Apostolo,*

51 *IV. Quia verus Deus est, qui locutus est per Prophetas juxta illud Zacharie Lucæ cap. 1. Benedictus Dominus Deus Israel, &c. Sicut loquutus est per os Sanctorum, qui à saeculo sunt Prophetarum ejus: sed Prophetæ loquuti sunt inspirati ab Spiritu Sancto, ut docet Apost. Petrus Epist. 2. cap. 1. his verbis: Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines: ergo Spiritus Sanctus est verus Deus Israel.*

52 *V. Nam templum solum est proprium veri Dei, cui latria debetur: & homines justi ea ratione sunt templum Dei, ut docet Apostolus 2. ad Corinth. cap. 6. his verbis: Vos enim estis Templum Dei vivi, sicut dicit Dominus; sed justi sunt Templum Spiritus Sancti, ut ait Apost. 1. ad Corinth. his verbis: An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo; & paulo post: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro: ergo Spiritus Sanctus est Deus verus, vivus.*

53 *Ulterius. Quia Apostolus adhortatur Corintios, ut glorifcent, & portent Deum in corpore suo; at hic est Spiritus Sanctus, qui in illis erat, & quem à Deo habebant: ergo Spiritus Sanctus est Deus ipse, quem glorificare, &*

por-

portare suadebat: Hæc sufficiant ad probandum Divinitatem Spiritus Sancti, brevitati consulentibus, Hæreticorumque breviter argumenta dissolvemus.

54. I. ex Joann. 1. Omnia per Verbum facta sunt; sed quicquid factum est per Verbum est creatura: ergo Spiritus Sanctus factus est per Verbum, & est creatura. *Resp.* ex PP. Joannem loqui de omnibus creaturis spiritualibus, & corporalibus, quæ facta sunt in prima rerum creatione, ut patet ex subjunctis verbis: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*, id est, (omissis variis interpongendi modis) nihil ex his, quæ facta sunt, factum est, Verbo non efficiente. In his autem non venit intelligendus Spiritus Sanctus, quia non est de numero factorum, sed est aeternaliter procedens à Patre, & Filio in eadem essentia, & natura, admodum quo, et si Scriptura dicat: *Omnis caro corruperat viam suam super terram*. Genes. 6. Non venit intelligendus Noe, de quo ibidem dicitur, quod fuit justus, ac perfectus, & cum Deo ambulavit: ita & cum Spiritus Sanctus ex eadem Scriptura verus Deus dicatur, non comprehenditur illis verbis Joannis: *Omnia per Verbum facta sunt*.

55. II. Quia qui orat & petit à Deo, Deus non est; sed Spiritus Sanctus orat & petit à Deo, ut ait Paulus ad Rom. 8. his verbis: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et postea: *Quia secundum Deum postulat pro Sanctis*: ergo Spiritus Sanctus non est vere Deus. *Respondeatur*, ex PP. I. Ibi Sermonem non esse de persona Spiritus Sancti, sed de dono, & Spiritu adoptionis, & orationis, in quo clamamus ad Patrem, ut ait ibidem Apostolus: & dicitur postulare, quia per illum moti, postulamus à Patre, illumque rogamus, sicutque omnino corruit objectio. II. Quod si Apostolus loquitur de persona Spiritus Sancti, quando dicitur postulare pro nobis, intelligendus est non formaliter, sed causaliter, & efficienter, in quantum infundit in nobis Spiritum orationis, & precum quo clamamus ad Deum: eo modo quo Matth. 10. Christus Apostolis dixit: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, idest facit vos loqui: & ad modum quo Angelus Dei nomine loquens dixit Abraham Genes. 22. *Nunc cog-*

cognovi, quod times Deum, & non pepercisti Unigenito Filiu tuo propter me: quibus, cum nihil lateat Dei scientiam, illa verba: nunc cognovi idem omnino sunt, ac faciam cognoscere: ac proinde Spiritum Sanctum postulare pro nobis gemitibus, idem valet, ac facere nos postulare.

56 Sed dices, hæc non valere: quia & sic dici posset Patrem postulare pro nobis, quippe similiter cum Spiritu Sancto facit nos postulare: quod dici nequit. Resp. quod etsi omnia opera ad extra sint communia tribus Personis Sanctissime Trinitatis; sanctificationis opera appropriantur Spiritui Sancto, & per ea dicitur dari fidelibus, & mitti, in quo importatur origo unius Personæ ab alia: cumque Persona Patris nullam dicat originem, nunquam potest dici mitti, nec appropriari missionis effectus: & ideo non potest dici, quod Pater postulat pro nobis. Cum verò Spiritus Sanctus per dona gratiæ mittatur, atque ex illis unus sit Spiritus orationis, dicitur postulare in quantum medio eo postulare nos facit.

57 III. Quia Spiritus Sanctus non cognoscit Patrem: ergo non est Deus, cum in Deo ignorantia esse non possit. Ant. prob. ex Matth. 11. Nemo novit Filium, nisi Pater; nec Patrem quis novit, nisi Filius: ergo Spiritus Sanctus non cognoscit Patrem. Resp. Christum ibi loqui de se ipso Filio naturali Dei, & comparativè ad creaturas, quibus secundùm se spectatis, non est cognoscibile tantum Mysterium: quapropter addidit Christus; & cui voluerit Filius revelare. Erga Personam Spiritus Sancti omisssivè se habuit: quia tunc non erat conveniens sermonem inire de illa, eodemque modo intelligendus est Joannes cap. 6. illis Christi verbis: Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem: quæ autem tunc omisit Christus, ipsius Spiritus per Apostolos clarum fecit, ut patet ex illis verbis Pauli: *Spiritus scrutatur etiam profunda Dei: ubi scrutari, non sumitur pro anxia sollicitudine inquirendi, & sciendi, sed pro intima, & comprehensiva cognitione: qua ratione dicitur Deus, scrutans corda, & renes, & à Paulo dicitur scrutator cordis: quo recentiorum Hæreticorum quædam argutia evanescit.*

58 *IV.* Quia qui non loquitur à se ipso , sed loquitur quæ audit , non est verus Deus ; talis est Spiritus Sanctus juxta Joann. cap. 16. *Non loquetur à semetipso , sed quæcumque audiet loquetur.* Ergo Spiritus Sanctus non est verus Deus. *Resp.* Hunc locum Macedonianis favere non posse ; quia , factebantur Christum ex Patre loqui , quem tamen consitebantur Deum. Socinianis autem dicimus , quod Spiritus Sanctus non loquitur à semetipso , qua Persona est ; quia , qua talis , procedit à Patre , & Filio , à quibus tanquam ab uno principio accepit eandem essentiam , cognitionem , voluntatem , & potentiam : & hac ratione dicitur à semetipso non loqui ; quanquam ratione quidditatis essentiæ , & naturæ à se ipso loquatur : Perindeque præfatum locum non obesse Divinitati Spiritus Sancti. *Nec refert* , quod Sociniani inculcant nullibi in Scriptura legi adorandum Spiritum Sanctum. Nam quoties in Scriptura docetur Spiritum Sanctum esse verum Deum , clare innuitur esse adorandum : quapropter Constantinopolitani Concilii PP. ejus adorationem expressere cum Patre , & Filio.

59 Restat dissolvere præcipua Socinianorum sophismata , quorum *Primum est* : Spiritus Sanctus vel est ingenitus , vel genitus : Si est ingenitus , erit Pater , qui ingenitus est : vel erunt duo ingeniti in Deo , scilicet Pater , & Spiritus Sanctus : Si est genitus , erit Filius , & idem cum Verbo ; vel erunt duo Filii in Deo , scilicet Verbum , & Spiritus Sanctus ; nihil autem horum dici potest: ergo Spiritus Sanctus Personaliter distinctus à Patre & Filio , verus Deus non est. *Resp.* Quod Spiritus Sanctus non est genitus , nec est ingenitus positive , quia est procedens à Patre , & Filio : ad modum quo Adam & Eva non sunt geniti positivè , sed merè negative ingeniti ; quia quanquam non sunt positive geniti , non sunt ingeniti positive , hoc est , nulla sui productione existentes , cum sint producti à Deo. Sic similiter Spiritus Sanctus est ingenitus negative ; sed non est ingenitus positive , sicut Pater : quia Spiritus Sanctus est procedens à Patre , & Filio.

60 *Secundum* : quia qui procedit ab alio , similis ei in substantia & natura , non potest non esse Filius ; Spiritus Sanctus procedit similis in substantia Patri & Filio , ut nos

asse-

asserimus : ergo non potest non esse Filius, quod nos negamus. Si est autem Filius , non potest esse distincta Persona à Filio, & in Deo duo Filii esse non possunt : unde efficitur non esse Spiritum Sanctum Personam distinctam à Patre , & Filio, quæ sit verus Deus. *Respondetur negando absolute Majorem.* Quia Eva procreata est ex Adam, similis illi in substantia , & non fuit illius Filia : unde , eti Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio , similis illis in substantia ; non sequitur quod sit Filius ; quia , eti sit similis illis ex natura , non est illis similis ex vi processionis , seu ex modo procedendi ab illis : de quo varias essierunt rationes Theologi , dum disquirunt , quare processio Verbi sit generatio , & non sit generatio processio Spiritus Sancti.

**ART. VI. *Evincitur omnino Mysterium
Sanctissimæ Trinitatis , ex Matth.
cap. 28.***

¶ **C**onsultò hucusque distulimus verba facere de principali loco pro veritate hujus Mysterii Christus enim post resurrectionem suam. Matth. cap. 28. Apostolis iussit , ut euntes docerent omnes gentes : Baptizantes eos in nomine Patris , & Filii & Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia , quæ ipsis mandavit. In his verbis continetur expresse forma Baptismi instituti à Christo : ubi primum habetur , in nomine Patris deinde , & Filii , & Spiritus Sancti : *In nomine in singulari , nou in nominibus in plurali: Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* per particulam conjunctivam , & ut perspiciatur tres esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum , realiter inter se diversos. Singulare autem ejus, vocis nomen , vel significat rem , ejus naturam , & essentiam , vel auctoritatem , & potestatem , ac virtutem , vel meritum , aut invocationem ; his enim modis reperitur accepta phrasis : *in nomine , vel per nomen , ut constat ex pluribus Scripturae locis. Nomen pro re nominata , in Dominica oratione : Sanctificetur nomen tuum ; id est , tu Pater sis ab ho-*

minibus sanctificatus; sic accipientur Phrases in quibus dicitur laudari, aut blasphemari nomen Domini. Pro potestate, virtute, & auctoritate, ut Marc. 16. *In nomine meo Daemonia ejicient.* Et Act. 3. *In nomine Iesu Christi surge, & ambula.* Pro invocatione, id est, invocato nomine, Psal. 53. *Deus in nomine tuo salvum me fac.* Et 1. ad Corinth. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Pro merito autem Act. 10. *Remissionem peccatorum accipere per nomen ejus* (Iesu Christi) id est, per meritum ejus. Et Joann. 14. 15. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

62. Si ergo *in nomine* accipiatur pro re significata, communis Patris, & Filio, & Spiritui Sancto; cum in Patre qua à Filio, & Spiritu Sancto differt, nihil aliud sit, quam Divinitas, seu essentia, & natura Divina; sequitur quod hæc significata per illa verba *in nomine*, sit eadem communis Filio, & Spiritui Sancto: ac proinde stet Mysterium unitatis naturæ in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto personaliter, & realiter distinctis. Si sumatur *in nomine* pro virtute, potestate, & auctoritate, idem elicetur. Nam quibus est eadem virtus, potestas, & auctoritas, necesse est quod eadem sit natura, & essentia; sed Filio, & Spiritui Sancto eadem est virtus, potentia, & auctoritas cum Patre: ergo eadem est cum Patre, Filio, & Spiritui Sancto essentia, & natura: Et consequenter una Divinitas; si autem sumatur pro invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad minus efficitur Spiritum Sanctum esse veram personam à Patre, & Filio distinctam, quod Sociniani negant. Deinde urget idem Argumentum. Nam quorum una est simultanea invocatio, est una simultanea auctoritas, & potestas: quippe invocatio non sit, nisi ratione potestatis: ergo si tribus Personis una fit invocatio, una est potestas prædictis tribus Personis, & consequenter una illis natura, cum potestas naturam sequatur: unde cum potestas, & natura Patris sit vere, & realiter Divina: cum eadem potestas sit in Filio, & Spiritu Sancto, sit clarissimè ex prædico loco Matth. esse in eis vere, & realiter Divinam naturam, quæ est in Patre. De acceptione nominis pro merito, non est quod agamus: quia ratio meriti in Patrem cadere non

potest, cum Deum confiteantur ipsi Sociniani.

63 *Confirmatur.* Quia effectus Baptismi, qui est gratia, & remissio peccatorum, respondet personis, quæ in ejus forma exprimuntur & invocantur: nempe Patri, Filio, & Spiritu Sancto; at gratia, & remissio peccatorum est propria filius Dei, ut sæpe sæpius docet Scriptura, & docet Paulus ad Rom. 4. *Credenti in eum, qui justificat impium:* quod Judæis adeo erat certum, ut inde putarint Christum blasphemare, dum remitteret peccata, ut constat ex Matth. cap. 9. & Luca cap. 5. ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui exprimuntur, & invocantur in forma Baptismi, sunt idemmet verus Deus, qui dimittit peccata.

64 Ex his magna reflexione digna est continuata Baptismi praxis in Ecclesia, ut constat ex Actibus Apostolorum cap. 2. & pluribus aliis, ex Paulo, & Historia Ecclesiastica usque ad Concilium Nicænum, quam praxim improbase Arianos non legitur. Sciebant ergo & qui baptizabant, & qui baptizabantur, cujus nomine conferebant baptismum, & cujus nomine suscipiebant qui baptizabantur, & qui erant Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Cum ergo suborto dogmate Pauli Samosateni, Photini, & Arii, ac Praxeæ, ac Sabellii tot turbationibus obnoxia fuerit Christiana Ecclesia; infertur clarissimè Sabellii, Samosateni, & Arii dogmata omnino esse contraria doctrinæ Ecclesiæ, quam in baptisme professi erant veri Christiani: Nam ex doctrina recepta apud veros Christianos nunquam turbata est Ecclesia, sed in pace manet, perseverans in eadem doctrinæ regulæ, ut sæculorum cursus confirmat: ergo in forma Sacramenti Baptismi clarissimè enuntiatur unitas, Divinitatis in tribus Personis, & earum inter se realis distinctio.

65 *Ulterius,* quia si Trinitatis doctrina à nobis asserta præter Verbum Dei introducta est in Ecclesiam, edicant nobis Sociniani: quo tempore, & à quibus introducta est? Nam errores contra Ecclesiæ doctrinam, illa posteriores sunt, ut ait Tertullianus, certoque tempore, & certis auctoribus introducti sunt: hoc nunquam præstare poterunt Sociniani; ex quo recte infertur doctrinam Catholicam de Trinitate non esse introductam in Ecclesiam præter Verbum Dei, & potius oppo-

oppositam esse contra Verbum Dei. Hac de causa quotquot negarunt Divinitatem Christi a primo saeculo Christiano , ut Cherintus , & Ebion traducti sunt ab Ecclesiæ Scriptoribus, ut Hæretici, ut Sociniani negare non possunt , ni velint mente carere: atque adeò suborto errore Pauli Samosatensis, in duobus Conciliis Anthiochenis damnatus est , similiterque in Concilio Nicæno error Arii , post cujas damnationem, etiam faventibus per tria saecula Imperatoribus , & Regibus , tandem omnino sopitus est ad annum Christi 660.

66 Animadvertere oportet etiam , quod cum Arii error adeò propagatus fuerit per tot Orbis Provincias , plurimi ei addicti pro eo scripsere Tractatus & Libros plures , è quibus vix superest ullus. E contra Tractatus , quos pro consubstantialitate Filii , & Spiritus Sancti edidere PP. fere omnes supersunt , ut Athanasii , Hilarii , Basili , Gregorii , Boetii , Nazianeni , Ambrosii , Augustini , & aliorum , quorum longum Catalogum efformare possemus. Cum autem Christus dederit Ecclesiæ , ut ait Paulus ad Ephes. 4. *Quosdam Apostolos , quosdam Prophetas , alios autem Pastores , & Doctores , donec occurramus omnes in unitatem fidei , & mensuram etatis plenitudinis Christi , id est , usque ad mundi finem , & diem judicii : sequitur quod Doctores , qui propugnarunt suis scriptis consubstantialitatem Filii , & Spiritus Sancti cum Patre , sint veri Doctores Ecclesiæ Christi , cum eorum Tractatus , modo perseverent post tot saecula , & Tractatus eorum , qui contra sensere ferè omnino interierint.*

67 Ignorare non posunt Sociniani eorum doctrinam condemnatam esse à Concilio Niceno tot titulis venerando, damnatamque postea à plurimis aliis Conciliis: haecque nihil aliud esse , quam cœtum Episcoporum Christianæ Ecclesiæ , in quibus disceptatur de causis Religionis , & disciplinæ. Cum ergo toties hæc causa disceptata sit , & eorum præcessores causa ceciderint , damnatiique sint ; non est quod secundum regulam prudentiæ estimant se injuste damnatos ad modum quo pluries damnatos in civilibus Curiis nequit prudenter censeri justam agere litem.

68 Attamen , quia Sociniani ignorantibus proclamant
Tri-

Trinitatis dogma stabiliti cepisse in Concilio Niceno, & provocant ad PP. eo anteriores, eos omnes pro dogmate Sanctæ Trinitatis stare facile constabit legenti opera Sancti Clementis Romani, Sancti Ignatii Martyris, Polycarpi, Iustini Martyris, Atenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Caii Presb. Hippolyti Portuensis, Cypriani Martyris, Novatiani, Dionysii Romani, & Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Pamphili Luciani, Methodii, Arnobii, & Lactantii, Actaque sincera Martyrum, qui coronati sunt ante Concilium Nicænum, quod jam præstitere alii ex Nostris, & ex Anglicanis Theologis Georgius Bulus, quod opus esset majoris otij & laboris.

69 Sed quia Sociniani, & Mahometani plurimum deferunt naturæ lumini, & hac de causa Sanctissima Trinitatis Mysterium inficiantur, eis convenit monstrare naturalem rationem assurgere non posse omnino ad cognoscenda ea, quæ Dei sunt: Nam cum fateri teneantur Deum esse incomprehensibilem à creatura, confiteri coguntur esse in Deo plura, quæ supergrediuntur humanæ intelligentiæ captum: qua ratione Apostolus dixit, *quæ sunt Dei nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ad Corinth. i. cap. 2. unde profundiora Dei humano ingenio impervia, ipso revelante credere tenemur, et si ratio-nis lumine ad ea assurgere non possimus. Exemplum suppeditat ratio ipsa naturalis. Nam ea notum est Deum libere operari; alias dignus adoratione non esset, nec vota, & preces ad Deum fundere possemus: quippe ad agentem necessarium frustra hæc funduntur: cum tamen operatio libera in Deo realiter ab ipso distingui non possit, & operatio libera defectibilis sit, quomodo hæc cohærent, nullus mortalium hucusque, nec dum comprehendere, sed nec capere potuit; nec ex hoc licet blasphemè inferre Deum carere libertate. Similiter ex creaturis ad Deum plenumque deficit illatio, *Ex. Gr.* Omne creatum est finitum: cœpit esse cum non esset: determinato concluditur loco; Deus tamen non est finitus, nec cœpit esse, nec loco concluditur. Unde ex his quæ reperiuntur in creaturis non licet deducere ad Deum argumenta.

70 In ipsis autem creaturis , quot subterfugiant humanae mentis comprehensionem , plura demonstrant . Quis enim Continui compositionem exacte penetravit tot licet saeculis contentione discussam ? Quis Magnetis virtutem in ferro attrahendo ? Quis qualiter anima interiores peragat motus ? Si enim haec , plurimaque alia humanae mentis acie superiora sunt , quid mirum , quod Deus horum omnium auctor comprehendi non possit , qualiter sit unus essentia , & trinus in Personis . Unde pessimum argumentum est : naturalis ratio obstat huic Mysterio : ergo credendum non est ; cum haec contra etiam naturalis ratio prescribat Deo revelanti captivandum intellectum in obsequium fidei . Omittimus testimonium Joannis Apostoli Epist . 1. cap . 5 . *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus.* Consulto haec scribentes abstinuimus a recensendis PP . qui post Concilium Nicenum floruerent , nam apud Socinianos eorum auctoritas nutat .

ART. VII. Sophismata Hæreticorum.

71 **P**lurima sunt argumenta excogitata contra Mysterium Trinitatis a recentibus Socinianis , Clelio , Goslabio , Moscorobio , ac aliis ex regulis logicæ ultra ea , quæ ex Scripturis objecta sunt , & soluta . I. ex communissimo axiomate logico : *Quæ sunt eadem uni tertio , sunt eadem inter se :* at Pater , Filius , & Spiritus Sanctus sunt idem cum essentia Divina , ut nos fatemur : ergo Pater , Filius , & Spiritus Sanctus sunt idem inter se , & consequenter non sunt tres Personæ ejusdem Divinitatis .

72 Ad hoc argumentum ex Catholicis respondent quidam , quod ea , quæ sunt eadem uni tertio re , & ratione , sunt eadem realiter inter se ; cæterum ea , quæ non sunt eadem omnino re , & ratione , non sunt eadem inter se : cum autem Pater , Filius , & Spiritus Sanctus non sint idem omnino ratione cum essentia Divina , quia eorum Personalitates distinguuntur per rationem ab ea ; inde fit , quod etsi Personæ Divinae sint idem realiter cum essentia Divina , non sunt idem realiter inter se . *Alii respondent :* quod ea , quæ sunt

sunt eadem uni tertio absque distinctione formalis ex natura rei , vel distinctione intrinseca sunt realiter idem inter virtutem se; at vero ea quae sunt eadem uni tertio cum distinctione reali formalis ex natura rei , vel distinctione intrinseca virtutem à tertio , non sunt idem realiter inter se : cumque Personæ Divinae ratione suarum Personalitatum ab essentia Divina different formaliter ex natura rei , vel virtualiter intrinsecè: inde fit , quod Divinae Personæ non sunt idem inter se.

73 His solutionibus missis , quia argutiis plurimis expositæ sunt , facilius , & majori compendio *Respondemus* quod licet hoc logicum Axioma teneat in creatis , non tenet in Divinis , ubi oppositum Dei Testimonium edocet , quia testimonium Dei majus est. Cum ergo ex Dei testimonio manifestum sit Deum unum esse tres Personas realiter diversas inter se , Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum , inde fit quod prædictum Axioma Sanctissimæ Trinitatis fidei nullatenus obesse possit : Urgeturque in Hæreticos argumentum. Nam omnis actus liber deficere potest , quoad esse : sed nullus actus Dei potest deficere quoad esse : cum omnis actus Dei sit idem realiter cum ipso Deo : ergo nullus actus Dei potest esse liber. Itidem omnis actio Divina est ab æterno cum à Deo non distinguatur realiter ; sed omnis actio ab æterno habet terminum ab æterno : quippe non potest concipi actio sine termino : ergo omnis actio Divina habet terminum ab æterno. Ex quo per formalem consequentiam sequitur , quod omnes res creatæ sint ab æterno : cum ergo præmissæ consequentiæ in Deo non teneant , nihil mirum , quod in Deo non teneat consequentia logica ; quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.

74 Instant tamen hæretici dicentes : nos petere principium , quia cum nos impetuunt contra Mysterium Trinitatis principio logico , quæ sunt eadem uni tertio , sunt eadem inter se , utimur pro solutione ipso Mysterio , ac proinde principium petere. *His dicimus* nos fide eductos , nosse illud Axioma in Divinis non tenere ; eo quod potius sit testimonium Dei , qui incomprehensibilis est omnibus argutiis nostris. Unde in prædicto Syllogismo major distinguitur , & illa conceditur de rebus creatis , & negatur esse omnino vera in re-

bus Divinis; non petitur principium, sed edocetur qua parte sit vera, & qua parte falsa: sicuti contingit in similibus argumentis contra actum liberum Dei, contra identitatem cognitionis, & volitionis Divinæ, & actionem ad extra operativam.

75. *II. Arg.* Ex Syllogismis, quos Adversarii vocant expositiorios. *Primum* Deus unus est tota Trinitas, Pater Filius, & Spiritus Sanctus simul juncti; sed Pater est Deus unus: ergo Pater est tota Trinitas. *Secundum* Deus unus est tota Trinitas; Pater non est tota Trinitas: ergo non est ille Deus unus: *Tertium* Deus qui est unus, est Pater: Deus qui est unus, est Filius, & Spiritus Sanctus: ergo Filius, & Spiritus Sanctus sunt Pater. *Quartum* Deus qui est unus, est Pater: Filius, & Spiritus Sanctus non sunt Pater: ergo Filius, & Spiritus Sanctus non sunt Deus, qui est unus. *Quintum* Deus qui est unus, est trinus in Personis; qualibet Persona est Deus, qui est unus: ergo qualibet est trina in Personis.

76. Huic argumento, quod *Expositorium* dicitur, possumus uno respondere verbo: quod omnes Syllogismorum regulæ subnixa sunt illis principiis, quæ sunt eadem unius tertio, sunt eadem inter se, & dici de omni, & dici de nullo: quæ non tenent omnino de Divinis. Sic argumentationes istæ uno simul vulnere concidunt. Attamen singulis respondemus Syllogismis. *Ad primum.* Deus ille unus, est tota Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, stante Trinitate Personarum: *Concedo Majorem*: non stante Trinitate Personarum: Nego majorem; sed Pater est Deus, qui est unus in Trinitate Personarum: *Concedo Minorem*: ergo Pater est tota Trinitas: Nego consequentiam: quia per hoc, quod Pater sit tota Trinitas, sit falsa hæc, quod Deus, qui est unus, est tota Trinitas: Unde *Major est vera, & consequentia mala.*

77. *Ad secundum* Deus, qui est unus, est tota Trinitas collective, & distributive accepta: *Concedo Majorem*: solum collective accepta: Nego majorem: sed Pater non est tota Trinitas, *Concedo Minorem*: ergo non est ille unus Deus, nego consequentiam: quia Divinitas, quæ est unamet in omnibus tribus Personis simul sumptis, est in qualibet carum prout inter se distinguuntur.

Ad

78 *Ad tertium, Quartum, & Quintum* respondetur formas illas syllogisticas inniti in esse idem in tertio, ut sint Personæ idem inter se, & in esse diversas inter se, ut non sint idem in tertio: quæ syllogismorum formæ in Divinis non valent, uti jam diximus.

79 *Arg. III.* Quia si datur Trinitas Personarum in Deo, sequeretur tres Personas fore tres Deos; sed hoc negamus: ergo non est Trinitas Personarum in Deo. *Prob. Major.* Quia qualibet trium Personarum per nos est Deus; sed per nos sunt tres Personæ: ergo necessariò debent esse tres Dii. *Resp.* negando tres Personas posse dici tres Deos; esto qualibet illarum sit Deus, in quantum dicit de substantia, natura, & essentia: quia Divinitas quantum dicit de substantia, natura, & essentia, est eademmet in unaquaque Persona, ac proinde tres Personæ non possunt dici tres Dii, quia nomen *Deus* est nomen substantiæ, naturæ & essentiæ: ad modum quo, si una anima esset in tribus corporibus, & unum corpus in tribus locis, hæc triplex nonexistentia non faceret triplicem animam, nec triplex corpus. Unde identitas essentiæ Divinæ in tribus Personis obſistit, ut sint tres Dii.

80 *Sed instant I.* Hæc consequentia valet: Pater est Persona Divina, Filius similiter, & similiter Spiritus Sanctus: ergo sunt tres Personæ, & non una Persona: ergo similiter valet: Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus: ergo sunt tres Dii. *Resp. Negat. consequentia;* quia in Deo concedimus & fatemur tres Personalitates, & ideo fatemur tres Personas; at verò cum eidem tribus Personis unam, & individuam Deitatem confiteamur, tres Personæ, non possunt dici tres Dii propter rationem supra assignatam.

81 *Instant II.* Ubi multiplicantur subjecta, multiplicantur prædicata, quæ de illis dicuntur: nam quot sunt homines, tot sunt animalia: ergo cum de Personis prædicetur Deitas, debet Deitas ipsa multiplicari: unde cum multiplicitas Deitatis sit repugnans, est etiam repugnans in Deitate multiplicitas Personarum. *Resp.* quod in creatis dum multiplicantur subjecta, multiplicantur prædicata, quæ de illis dicuntur; secus autem in Divinis, uti jam dictum est.

82. Arg. IV. Deus essentia unus, vel est Persona, vel non est Persona; si est Persona, ergo est una: si non est Persona, ergo Pater non est hic Deus unus, quia Pater est Persona. Conf. I. Quia hæc vox Deus est nomen Personæ; nam est nomen Agentis operantis, quod solum convenit supposito, aut personæ: ergo necessariò Deus unus essentia, est una Persona, & non tres Personæ. Conf. II. Quia Persona in Deo aut est finita, aut infinita: Si finita, non est Deus, quia est infinitus: si infinita, sunt tria infinita, quia sunt tres Personæ; hoc autem repugnat, cum infinitum in quolibet genere non possit esse, nisi unicum & singulare: ergo non possunt esse in Deo tres Personæ infinitæ.

83. Resp. Quod Deus essentia unus, qua unus formaliter, solum dicit individuum hoc Deitatis realiter distinctum ab omni creato. Qua ratione plures ex Catholicis tenent subsistere subsistentia absoluta, & communis Divinis Personis: At hoc misso, dicimus quod individuum communicabile non est Persona, & ideo Deus, ut unus, Persona non est. Per grandis enim differentia est inter personam creatam, & Personam Divinam. Nam persona creata nihil aliud est, quam natura intellectualis individua, in se, sub se, & per se existens: qua ratione Catholici dicimus humanitatem Christi verè, & realiter inexistentem Verbo Divino per physicam, & realem unionem, non esse Personam: proindeque in Christo non duas Personas, sed unam tantum confitemur in duabus naturis. At verò ratio Personæ in Deo dicit diversum modum existendi ejusdem naturæ individua Deitatis, quod fieri nequit sine diversis personalitatibus. Unde Deus unus formaliter non est persona, quanquam intrinsecè includat personalitates, quibus constituantur personæ.

84. Ad I. Conf. Resp. quod nomen Deus, non est nomen personæ, sed individui, ut diximus: agere enim, & operari non est tantum personæ, sed & individui, ut constat in humanitate Christi, cuius operibus, & redempti sumus, fueruntque nobis exemplo, quin necessarium sit nobis disquirere, sitne prior personalitas, aut operatio, nobis enim certum est Deum debere concipi adæquatè constitutum, ante quam concipiatur operans. Ad II. Resp. Quod qualibet

Divina Persona est infinita cum ratione essentiæ, tum ratione propriæ personalitatis: & quod licet in eadem linea non possint dari duo infinita, possunt tamen dari in linea diversa. Cum autem Personæ Divinæ per proprias personalitates, quasi specie differant, earum infinitati pluralitas non obest; proindeque tres Personæ Divinæ non possunt dici tria infinita substantivæ, sed solum adjective, & personaliter.

85 *Arg. V.* Quia si Divinitas una esset in tribus Personis, una res esset una, & esset plures, quod repugnat. Nam essentia Divina, seu Divinitas, esset una, ut supponimus, & esset in personalitatibus, cum quibus identificatur, quæ sunt plures: ergo una res esset una, & esset plures. *Conf.* quia si essentia esset in tribus Personis, esset quid singulare, & non esset, quod est contradictorium: esset quid singulare, ut patet: non esset autem quid singulare, quia esset in pluribus, & quod est in pluribus, non est singulare.

86 *Resp. ad Arg.* quod Divinitas essentialiter est una, semperque una in tribus Divinis personalitatibus; ad modum quo rationalis anima est una in diversis membris: ac licet essentia Divina identificetur cum singulis personalitatibus; non plurificatur pro numero personalitatum, cum in Divinis non teneat omnino Logicum Axioma: *Quæ sunt eadem unitio &c.* ut dictum est: *Ad confirmationem Resp.* quod essentia Divina est quid singulare, cuius singularitati non obstat, quod sit eadem in tribus Divinis Personis: sicuti singularitati essentiæ Divina non obest, quod sit per immensitatem in omnibus creaturis diversis inter se.

87 *Arg. VI.* Quia si in Deo essent tres personæ inter se realiter distinctæ, essent tres res realiter distinctæ: ergo essentia Divina esset idem cum tribus rebus distinctis; sed quod est idem realiter cum tribus rebus distinctis, necessario est tres res: ergo essentia Divina esset una res, & esset tres res: quod est implicitorum. *Conf. I.* quia tres Personæ forent tres substantiæ, quippe persona nihil aliud est, quam substantia prima intelligens: ergo si essent in Deo tres Personæ, forent in Deo tres substantiæ, quod nos non admittimus. *Conf. II.* Quælibet persona est suppositum; quodlibet suppositum est substantia: ergo tres Personæ essent tres substantiæ.

Resp.

88 *Resp. ad Argum. disting. Maj.* Si in Deo essent tres Personæ distinctæ realiter, essent tres res distinctæ realiter personaliter. *Concedo Maj.* distinctæ realiter essentialiter. *Neg. Maj.* Sed quod est idem realiter cum tribus rebus distinctis, necessario est tres res in creatis, *Concedo Min.* In Divinis, *Neg. Min.* & consequent. Ad I. Conf. Dicimus quod Personæ Divinæ non sunt tres substantiæ, sed una substantia, & essentia. Nam licet ratio Personæ in Deo dicat subjectivè rationem substantiæ; pro formalí dicit diversum modum existendi ejusdem substantiæ: sicuti in creatis ratio Personæ etiam dicit subjectivè rationem substantiæ, & formaliter dicit modum essendi in se, & sub se. Unde in Divinis multiplicatis personalitatibus, non multiplicatur ratio substantiæ & essentia. *Ad II. Conf. Resp.* quod quilibet Persona Divina est substantia, sed non substantia diversa, sed eadem in tribus Personis. *Nec refert si dicas:* Persona Divina pro formalí non est accidens, ut concedimus: ergo pro formalí est substantia; quia non datur medium inter substantiam & accidens, & consequenter tres Personæ pro formalí erunt tres substantiæ. *Non, inquam, id refert:* quia Divinæ personalitates pro formalí sunt modi, quibus Divina substantia inexistit indivisibiliter in tribus Divinis Personis, ad modum quo unio realis inter corpus, & animam non dicitur substantia, nec accidens; sed modus substantialis, quo inter se uniuntur corpus & anima. In reliquo autem quæstio est de modo loquendi, de qua postea.

89 *Arg. VII.* ex Divina simplicitate. Quia si in Deo essent tres Personæ, esset unum per se, & esset unum per accidens: unum per se, quia essent unum in natura, & essent unum per accidens, eo quod quæ revera sunt plura, non sunt unum, nisi per accidens; at hoc est implicitorum: ergo non sunt in Deo plures personæ. *Conf. I.* Quia ubi est essentia & Persona, est compositio in Deo ex essentia, & Persona: ergo in Deo esset compositio. *Conf. II.* Quia ubi est unum per alia, est compositio; sed si in Deo essent tres Personæ, esset unum per alia: cum essentia esset per personalitates, & relationes: ergo in Deo esset compositio.

90 *Resp. ad Argum.* quod Divinæ Personæ cum essentia Di-

Divina solum sunt unum per se : nam solum ea quæ sunt plura cum diversitate essentiæ , & naturæ possunt facere unum per accidens ; Personæ autem Divinæ sunt unum unitate essentiæ , & naturæ . *Resp. ad I. Conf.* Quod ubi est essentia , & Persona realiter diversæ , est realis compositio : at ubi persona non distinguitur realiter ab essentia , nec haec à persona , non est realis compositio ; sicut in nostra sententia , natura individua Petri , ut sub se existens , & non in alio , non distinguitur realiter à persona Petri . Cum autem Divine Personæ & personalitates , quibus constituuntur , realiter non differant ab essentia Divina : inde est , quod ex Persona , & Divina essentia non resultat compositio . *Ad II. Conf. Resp.* Quod ubi est unum per alia realiter distincta ab uno , est realis compositio : at ubi unum non est realiter distinctum ab aliis , non est realis compositio : cum autem essentia Divina non distinguatur realiter à Divinis Personalitatibus & Personis , inde ex illis non resultat in Deo compositio .

91 *Arg. VIII.* Una substantia , non potest habere plures subsistentias , sicuti non potest habere plures existentias , cum existentia sit ipsum esse rei ; sed substantia Dei est una : ergo non potest habere plures subsistentias , & consequenter non possunt esse in ea plures personæ . *Conf. I.* Quia subsistentialia vel est de intrinseca ratione essentiæ , vel non est : si est de intrinseca ratione essentiæ , erit essentia incomunicabilis , quippe hic est effectus subsistentiarum ; perindeque non erunt in Deo tres Personæ communicantes in essentia , si non est de ratione essentiæ : ergo essentia Divina non habet intrinsecam existere in tribus Personis . *Conf. II.* Quia personalitates , & subsistentiarum Divinarum Personarum vel differentia specie , vel numero : si specie , esset in Deo compositio ex genere , & differentia , quæ est impossibilis , & quæ specie differunt , natura distinguuntur ; solo autem numero differre non possunt ; cum inter eas sit per nos relativa oppositio : ergo praedictæ subsistentiæ nequaquam possunt dari in Deo .

92 *Resp. ad Argum.* quod una substantia creata non potest habere duas subsistentias proprias , & connaturales ; si subsistentia creata sit quid negativum ; attamen si subsistentialia

tia sit modus realiter distinctus ab ipsa natura creata sub lito
Theologorum, & Philosophorum est; at verò substantia in-
finita quia infinita est, potest, & de facto habet plures sub-
sistencias.

93 *Ad I. Conf. Resp.* quod substantia una, vel multi-
plex non est de intrinseca ratione essentiæ constitutive; cum
supponat essentiam constitutam, sed est de ejus intrinseca
ratione exactive, quatenus illam ratione sui exigit: & ideo
essentia Divina exigit tres Divinas substantias differentes
inter se, licet realiter non differant ab essentia Divina. Vi-
demus enim, quod causa in actu secundo exigit effectum
necessario, & effectus nullatenus est constitutivum causæ, cum
sit illa posterior. *Ad II. Conf. Resp.* quod personalites Di-
vinæ differunt inter se realiter, & quasi specie: unde non
obest ut in sui ratione, & ratione essentiæ Divinæ unaqua-
que sit infinita.

94 *Arg. IX.* Eadem res non potest distinctas Personas
constituere; sed in Deo intellectus, & voluntas sunt eadem
res: ergo non possunt Personas distinctas constituere. *Resp.*
quod eadem res formaliter non potest facere, quod res in
sua constitutione sint diversæ; ceterum eadem res potest ha-
bere effectus diversos, ut constat in omnipotentia Dei, quæ
una est: sic pariter licet intellectus, & voluntas in Deo sint
eadem res, possunt esse principia diversarum Personarum.

95 *Arg. X.* Quando Filius genitus est, vel erat, vel non
erat: si erat, igni non potuit, quia quod est, generari ne-
quit: si non erat, ergo aliquando non fuit, & consequenter
non est Deus. Similis argumentatio fieri potest de processio-
ne Spiritus Sancti. *Resp.* quod quando Filius-genitus est:
Quando aeternitatis non est *Quando temporis*; unde cum
generatio ejus sit in aeternitate, per eam erat in aeternitate,
ac proinde cum generatio dicat genitum, generatio in aeterni-
tate dicit genitum in illa: cumque in aeterna duratione
non possit concipi duratio antecedens non essendi, ita non
potest concipi duratio, qua Filius non fuerit per ipsam ge-
nerationem aeternam.

96 *Arg. XI.* Prater Patrem, & Filium, & Spiritum San-
ctum nullus est Deus; sed neque Pater solus, nec Filius so-
lus

Ius nec Spiritus Sanctus solus sunt tres Personæ : ergo nullus est Deus qui sit trinus in Personis. *Resp.* Quod præter Patrem , Filium & Spiritum Sanctum exceptivè nullus est Deus, hoc est , exceptis Patre , & Filio , & Spiritu Sancto nullus est Deus , & quod nulla Persona est tres Personæ ; cæterum inde non sequi , quod Deus ille unus non sit trinus in Personis. Sicuti non valet : præter Petrum , Paulum , & Andream nullus est de familia ; sed neque Petrus solus est de familia , neque Paulus solus , neque Andreas solus : ergo nulla est familia , quæ constat Petro , Paulo & Andrea : quia arguitur à distributo ad non distributum.

97 *Arg. XII.* Quia nos omnia principia naturalia , quæ pugnant cum Trinitatis mysterio fatemur vera in creaturis, in Deo autem esse falsa ; & hoc non alia ratione , nisi ut sustineamus mysterium : ergo in solutione argumentorum semper principium petimus , & consequenter nulla est illorum solutio.

98 *Resp.* quod nos principia naturalia , quæ in Deo vera esse negamus , ea negamus , non pro lubito ; sed Deo revelante edoceti , cui potius adhibenda fides , quam naturali lumini , per quod de Deo , uti est in se omni modo ratiocinari certò non possumus : cum ipso naturali lumine edoceantur , quod est incomprehensibilis cogitatu , prætergreditur aciem humanae mentis , est summè verax , & sapiens , nec falli , nec fallere potest. Quapropter cum ipso revelante Mysterium Trinitatis credamus , non petimus principium , sed principia naturalia fatemur vera in creaturis , secus in Deo in his , quæ revelavit. Nec ex his sequitur , quod nos principiis naturalibus opponamur , quia hæc solum sunt certa de creaturis ; esse omnino certa de Deo omni modo , & absolute loquendo , satis constat esse falsum ex dictis de actu libero Dei , & ejus actione productiva ad extra : unde si probatur Mysterium Trinitatis esse revelatum , nullam excusationem prætendere possunt Sociniani , quantumlibet argutiis.

Se se contorqueant in oppugnando

Mysterio.



DISPUTATIO VIII.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

A Gentes de ineffabili, ac profundissimo Trinitatis mysterio hortor, Theologorum minimus, ne nimis velin securari; nam opprimentur à gloria, contenti Ecclesiæ doctrina, & Patrum. Nam eti omni eventu captivandus sit intellectus in obsequium fidei, hoc maxime exequi convenit in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, cum superet infinitè aciem cuiusvis creaturæ intellectualis.

ART. I. An in Trinitatis Mysterio sint processiones?

Dicendum quod in Divinis, ac Trinitatis Mysterio sunt verè processiones: hoc est fidei dogma. Nam processio non est aliud, quam unum habere esse ex alio, & ab illo procedere; sed in Divinis, ac Mysterio Sanctæ Trinitatis est processio unius Personæ ab alia, habens esse ex illa; ergo in Divinis sunt verè processiones. Major omnino certa: Minor autem probatur. Nam Persona Filii procedit à Patre, & ex Patre: Persona Spiritus Sancti procedit à Patre, & Filio, & ex Patre & Filio: ergo in Divinis sunt processiones personarum Filii, & Spiritus Sancti. De Filio enim dicitur Joannis 8. *Ego ex Deo processi*: Tum quia Filius est genitus à Patre, & genitus procedit à generante: & de Spiritu Sancto dicitur Joannis 15. *Spiritus qui à Patre procedit* &c. Et in Symbolo. *Qui ex Patre, Filioque procedit*: ergo in Divinis est processio unius Personæ ab alia.

3. Sed dices Divinæ processiones destruunt Mysterium Sanctissimæ Trinitatis; quia Persona procedens ab alia habet esse ab illa; quod habet esse ab alio non habet esse à se; quod non habet esse à se, Deus esse non potest: ergo processiones personarum destruunt Mysterium Trinitatis.

Resp.

4 *Resp.* quod id quod habet esse ab alio per communicationem ejusdem naturæ & substantiæ , quantum ad essentiam , & naturam habet esse à se , si natura per se habet esse à se , licet in quantum ab alio procedit , ab illo habeat esse: cum ergo Filius habeat esse à Patre , & Spiritus Sanctus à Patre , & Filio per communicationem ejusdem essentiæ , naturæ , & substantiæ ; cum essentia Patris , ejusque natura , & substantia sit ens à se , communicata Filio , & Spiritu Sancto , non potest non constituere eos , quantum ad essentiam naturam , & substantiam in ratione entis per se , & à se ; licet ratione communicationis , & processionis Filius procedat à Patre ; & Spiritus Sanctus à Patre , & Filio : quippe ejusdem ad se non potest esse communicatio.

ART. II. *An processiones Divinæ sunt per intellectum , & voluntatem?*

5 **S**UPPONENDUM , quod omne realiter distinctum à Deo procedit ab ipso per omnipotentiam : cumque Divinæ Personæ procedentes sint ipsamet Deus , non possunt per omnipotentiam procedere : cunque in Deo non sint alia potentia , nisi intellectus & voluntas , videtur quod processiones Divinæ aut debent esse per intellectum & voluntatem , aut per emanationem à natura Divina.

6 *Dicendum* , quod processiones Divinæ sunt per intellectum & voluntatem. Hæc sententia communis Theologorum. *Probatur* , quia Filius est Verbum Patris , est & Sapientia illius , ut docent Joannes cap. 1. & Paulus 1. ad Corinth. cap. 1. sed Verbum procedit per intellectum , quippe est expressio illius , & Sapientia ejusdem est actus : ergo Filius in Divinis procedit per intellectum. De Spiritu Sancto prob. quia in Sacra Scriptura Spiritus Sanctus dicitur amor & charitas ; sed amor & charitas procedunt per voluntatem , ut patet : ergo processio Spiritus Sancti est per voluntatem : & consequenter processiones Divinæ sunt per intellectum & voluntatem.

7 *Ex hoc sequitur contra Durandum , processiones Di-*

vinas non esse emanationes à natura Divina , ut tali ; quia id à quo emanat Filius qua talis , est necessario generans ; & id à quo procedit Spiritus Sanctus , est necessario producens ; sed natura Divina non potest dici generans , nec genita , nec producens , nec producta juxta cap. *Damnamus* de Fide Catholica in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ergo processiones Divinæ non possunt esse emanationes à natura Divina , ut tali .

8 *Ulterius* : quia si processiones Divinæ non essent per intellectum & voluntatem , sed essent immediate à natura , non posset reddi ratio , cur una non esset , sed duæ , aut plures : cur una esset prior altera prioritate originis : cur una esset generatio , & non altera , & alia hujusmodi , ut consideranti constabit : ergo Divinæ processiones non possunt esse per emanationem à natura Divina .

ART. III. Quænam sunt principia Divinarum processionum?

9 **T**heologi distinguant in rebus creatis in omni productione principium *quod* , & principium *quo* : actionem ex parte producentis , & passionem ex parte producti : pari modo queritur Divinarum processionum principium , & ut faciliora præmittamus , *Dicendum I.* quod respectu processionis Filii principium *quod* illius est Pater , & respectu processionis Spiritus Sancti sunt Pater , & Filius . Hoc tenendum de fide : quia id est principium *quod* processionis Filii , à quo Filius procedit , & à quo realiter distinguitur ; sed Filius procedit à Patre , & ab illo realiter distinguitur : ergo Pater est principium *quod* processionis Filii . Similiter Spiritus Sanctus procedit à Patre , & Filio , & ab illis realiter distinguitur : ergo principium *quod* processionis Spiritus Sancti sunt Pater , & Filius .

10 *Dicendum I!* quod principium *quo* Divinarum processionum sunt Divinus intellectus , & Divina voluntas . Ita communiter Theologi , sequiturque ex dictis : quia id est principium *quo* in Divinis processionibus , à quo immediate

emt.

emanant actiones, per quas Personæ procedunt: sicut principium quo productionis creaturarum in Deo est omnipotētia; sed principium actionum, quibus procedunt Filius, & Spiritus Sanctus, sunt Divinus intellectus, & Divina voluntas: ergo Divinus intellectus, & Divina voluntas sunt principium quo Divinarum processionum. *Maj. cum Conseq. tenet;* *Min. prob.* quia Filius procedit per intellectionem Patris, ut docent Patres, & Spiritus Sanctus per amorem Patris, & Filii; sed intellectio & volitio habent suum principium ab intellectu, & voluntate: ergo hæc sunt principium quo processionum Filii, & Spiritus Sancti.

11 Attamen cum intellectus, & voluntas sint proprietates Divinæ naturæ, & communies tribus Divinis Personis, quomodo solus Pater generat Filium per intellectum, & intellectionem, & non reliqua Personæ per eundem intellectum & intellectionem, Theologorum vexat ingenia. Communiter docent, quod Divinus intellectus non est fœcundus & productivus, nisi connotata Paternitate: atque adeò in aliis Personis Divinis non est fœcundus ad productionem aliarum Personarum. Sed ab his Theologis queritur: quidnam sit intellectum Divinum connotare Paternitatem? Quia aut est intellectum Divinum jungi cum Paternitate, & ex hac sola conjunctione procedere Filium, quin Paternitas habeat influxum cum intellectu Divino; aut ex Paternitate esse com-principium cum Divino intellectu ad processionem Filii: ad modum quo lumen gloriae est com-principium cum intellectu creato ad visionem Dei, sine quo visionem Dei elicere non potest, & cum quo necessario elicit illam.

12 *Dicendum nobis*, quod Paternitas est com-principium cum intellectu Divino processionis Filii: atque adeò cum Paternitas sola residat in Patre, solus Pater per intellectum Divinum, qui communis est tribus Divinis Personis, producit Filium. Similiter dicendum est de Spiritu Sancto. In hac sententia sunt plerique Recentiorum, estque præcipuum fundamentum: quia principium quo processionis in Divinis Personis est, quo principium quod constituitur in ratione producentis, & realiter à producto distinctum, cum nihil se ipsum producere possit; sed Paternitas est, qua Pater constituitur

tuitur in ratione producentis Filium ; & quo ab illo realiter distinguitur. Nam intellectus & Divina intellectio per se sola considerata, sunt quid commune & essentiale: ergo Paternitas est ppncipium quo cum intellectu Divino processionis Filii.

13 Sed Dices: Paternitas est relatio resultans ex generatione Filii; ergo est illa posterior: ergo non potest esse principium quo processionis Filii, nam hoc se debet habere priori ad ejus processionem. Resp. quod Paternitas in Divinis potest considerari & sub ratione Personalitatis, qua Pater constituitur, & potest considerari sub conceptu relationis: sub hoc conceptu sequitur ad generationem; atramen sub conceptu Personalitatis, & subsistentia præcedit Divinam generationem, & est principium quo illius: de quo ulterius in progressu erit sermo.

14 Sed dices ulterius: Subsistentia in creatis non est operativa, nec influxiva, nec principium quo operantis: ergo nec Paternitas, quatenus est Divina subsistentia Patris, potest esse principium quo processionis Filii. Resp. negando consequentiam: est enim dispar ratio. Nam subsistentia in creatis juxta nostram, & aliorum sententiam, est quid negativum, nempè non existere in alio; ac proindè existere in se, & per se, & sib se subsistere; unde non potest esse activa, operativa, aut influxiva: in sententia autem asserentium subsistentiam creatam esse modum positivum, quo natura redditur incommunicabilis, & inunibilis alteri, est modus naturæ illam subsequens; & consequenter non potest esse principium operandi, cum in physicis natura sit principium operationis. At in Divinis cum una & eadem sit natura Divina in tribus Personis, & natura Divina non sit producens, nec producta, ut patet; & una Persona procedat ab alia, vel aliis, est necessarium quod id quod constituit Personam, constituat parentem aliam producere: ac proindè illud ipsum, quod constituit Personam, sit principium quo in illa ad productionem.

15 Hinc edisces, quod processionis Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem, principium quo non solum est voluntas Patris, & Filii; sed etiam illorum Personalitates per eandem virtutem spirandi Spiritum Sanctum; Filio à Patre com-

municatam: & cum eadem sit utriusque voluntas, & eadem virtus spirativa; Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio, tanquam à duobus principiis, sed solum tanquam ab uno.

16 Schola Scotti etsi conveniat cum aliis in hoc, quod processio Fili sit per intellectum; attamen discrepat ab eis asserendo, quod processio Filii non est per actum intellectus, quæ est communis tribus Divinis Personis, sicut est intellectus, & natura; sed per dictiōnem, ut distinctam ab intellectione, quæ Patris est propria. Nam cum Filius procedat à Patre ut Verbum, necesse est quod procedat ut dictum, ac proinde procedat per dictiōnem: sicuti, qui procedit ut Filius, est necesse quod procedat per generationem.

17 Hæc tamen Scotistarum sententia subest plurimis difficultatibus, quibus examinandis temporis multum erat necessarium. Dictio enim ab intellectione distincta esset posterior illa, & consequenter non posset constituere Deum intelligentem & cognoscentem; quia hoc est formale intellectus: ergo si Verbum procederet à Patre ut dicente, non procederet ab illo reduplicative, ut cognoscente, & intelligente: quod est contra communem mentem PP. asserentium Patrem cognoscendo Filium producere.

18 Fundamentum autem Scotistarum parui est momentis. Nam illemet intellectus, qui à Patre communicatur cum natura Divina Filio, & à Patre & Filio, Spiritui Sancto, prout in Patre per conjunctionem cum ejus personalitate est potens producere Filium per eandem intellectiōnem in vi personalitatis Patris. Unde intellectio Divina prout in Patre, est propria illius, quia in illo procedit intellectio ab intellectu Divino, & personalitate Patris, quod non contingit in aliis Personis; quia in illis, etsi sit intellectus Divinus, non est conjunctus Personalitati Patris: qua ratione intellectus Divinus in aliis Personis non potest producere Verbum & in Patre producit per ipsam intellectiōnem, qua se Pater cognoscit, & Divinam essentiam. Unde ipsa intellectio, quantum producit Verbum, dicitur dictio, quin sit necessaria alia actio distincta ab intellectione.

19 Ex dictis infertur clare: quod processiones Divinae sunt.

sunt actiones immanentes , cum suos terminos habeant intra ipsam Divinitatem : atque non posse esse , nisi duas , unam per intellectum , atque aliam per voluntatem : quia in Deo non sunt aliae potentiae ad intra , nisi intellectus & voluntas.

20 *Infertur ulterius in Divinis processionibus nihil esse posse rigorose causalitatis physicæ : quia hæc tunc subsistit , quandò unum procedit ab alio , habens ab illo diversum esse , saltè numero diversum , quoad substantiam , naturam , & essentiam ; sed in processionibus Divinis , licet unum procedat ex alio ; non habet diversum esse quoad substantiam , naturam , & essentiam , ut dictum est , quia eadem est Divinitas , natura , & essentia in tribus Personis : ergo in Divinis processionibus nihil potest esse physicæ causalitatis : quia id quod procedit per physicam causalitatem , pro aliquo vero signo reali non fuit ; at nullum est verè signum reale , in quo non fuerint Personæ Divinæ procedentes : ergo non potest esse in eis processio per physicam causalitatem.* Hinc edifices , quod Persona producens non potest dici causa Persona productæ , nec Persona producta effectus producentis . Si tamen PP. primorum sæculorum aliquandò usi fuere his vocibus , catholicè sunt accipiendi : quia tunc non erat usus loquendi uniformis , licet fides de hoc mysterio eadem fuerit.

ART. IV. *Cur processio Verbi sit generatio , & non processio Spiritus Sancti?*

21 **I**n effabile secretum investigare conati sunt PP. & Theologi. Cum enim Verbum Divinum procedat , ut Filius à Patre : ac proinde genitus ab eo : cum Spiritus Sanctus eandem naturam accipiat à Patre , & Filio , cur nec est Filius , nec est genitus ; sed solum procedens ab illis ? Hoc exercet Theologorum ingenia. S. Augustinus , aliquique PP. ingenuè fassi sunt hanc differentiam percipere non valuisse ; attamen Theologi varia discrimina excogitarunt , quæ breviter referemus.

22 **I**. Quidam discriminis rationem statuere in eo , quod Verbum procedit à Patre , tanquam ab unica Persona , & Spir-

Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio; & ideo processio Spiritus Sancti non est generatio, nec Spiritus Sanctus genitus ut Filius; & è contrario processio Verbi est simpliciter generatio, Verbumque ipsum genitus est Filius. Hæc discriminis ratio frequenter aliis Theologis displicet. *I.* quia in naturalibus Filius à duobus Personis procedit, quin per hoc definit esse Filius: ergo quod Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, non potest obesse, ut ejus processio sit generatio, consequenterque Filius. *II.* Quia esto Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio; non procedit ab illis, nisi ut ab unico principio: ergo si procedit similis illis, etiam ex hoc capite erit Filius.

23. Alii censent, quod ideo processio Verbi est generatio, & non processio Spiritus Sancti, quia Verbum accipit naturam fœcundam à Patre, qua potest producere aliam Personam, & ideo est omnino Patri similis; Spiritus Sanctus autem cum non accipiat à Patre, & Filio naturam fœcundam ad producendam aliam Personam, non est omnino similis illis, & consequenter non est Filius, nec ejus processio generatio. Hoc tamen discriminem non placet *I.* quia Filius etsi accipiat naturam à Patre fœcundari ad spirandum; non tamen accipit eam fœcundam ad gignendum, quod videbatur esse necessarium, ut esset omnino similis Patri: atstante hac differentia inter Filium, & Patrem, Filius est talis formaliter: ergo quod Spiritus Sanctus non accipiat naturam fœcundam à Patre, & Filio, non potest obesse ut ratione processionis, & similitudinis dicatur Filius.

24. Alii discriminis rationem constituant in hoc, quod processio Verbi, hoc ipso quod est per intellectum, est secundum naturam, proindeque procedit ut Filius; at vero processio Spiritus Sancti est per voluntatem, ac proinde non secundum naturam, ac per consequens ejus processio non est generatio. In hoc modo dicendi plura inculcantur, quibus oportet dare lucem, ut clare procedamus. Cuin enim dicitur, quod processio Verbi est secundum naturam, vel hæc phrasim innuitur processionem Verbi esse naturalem, & non liberam: & hoc modo processio Spiritus Sancti est naturalis, necessaria, & non libera, consequenterque ex hac parte nihil

est discriminis inter processionem Verbi , & Spiritus Sancti, ut una sit generatio , & non altera. Aut tali loquendi modo innuitur , quod processio Verbi est talis , ut sit juxta naturam , essentiam , & quidditatem Dei, quia ejus essentia quiditas , & natura est esse intellectivum , ut tenent plures (uti diximus , agentes de constitutivo Divinæ naturæ) hoc autem nobis , & aliis omnino displicet , proindeque talis discriminis ratio apud nos vana est.

25. Theologorum alii præunte Augustino discriminis rationem constituunt in eo , quod Verbum procedit à Patre per intellectum , ut ejus expressio , & formalis imago , ac proinde similis illi in natura , perindeque est Filius ; ast Spiritus Sanctus cum procedat à Patre , & Filio per modum impulsus , de cuius conceptu non est similitudo cum producente ; ideo Filius non est formaliter ex vi processionis. Hæc sententia vera est aliquot PP. autoritate suffulta ; verum quia ratio Verbi , & imaginis fundatur in similitudine , restat querere ; undè Verbum habeat hanc similitudinem cum suo principio ex vi processionis , & non Spiritus Sanctus.

26. *Dicendum ergo cum communi Nostrorum sententia*, quod processio Verbi eo est generatio , quod ejus processio est per intellectum , & processio Spiritus Sancti quia est per voluntatem , non est generatio ; ac proinde Verbum est Filius , quia procedit per intellectum ; & talis non est Spiritus Sanctus , quia procedit per voluntatem. Unicum fundamentum nostræ sententia stat in eo , quod Verbum Divinum per id est formaliter Filius ex vi processionis , per quod est similis in natura Patri : sed per intellectum , qua talem , est similis Patri in natura : ergo per intellectum est formaliter Filius. *Maj. est certa Conseq. tenet, & Min. prob.* Quia quod procedit per intellectum , & intellectum , evadit formaliter simile objecto intellectu ; at objectum intellectum à Patre est natura , & essentia Divina : ergo per intellectum , & intellectum evadit Verbum simile Patri in natura , & essentia Divina formaliter ex vi processionis. Hæc autem similitudo in natura , & essentia Divina ex vi processionis nullatenus convenit Spiritui Sancto , quia procedit per voluntatem , & per modum impulsus , de cuius ratione non est intendere similitudini-

tudinem in amato : proindeque Spiritus Sanctus ex vi processionis non est similis Patri , & Filio , ac proinde nec est genitus , nec Filius .

27 *Sed Dices :* Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio , ut Deus ; sed hoc ipso procedit ab illis similis in natura : ergo procedit ab illis similis in natura . *Min. prob.* Quia si Spiritus Sanctus procedit à Patre , & Filio ut Deus , procedit ut habens eandem naturam ; sed hoc ipso non potest non esse similis illis ex vi processionis : ergo Spiritus Sanctus ex vi processionis est similis Patri & Filio : & consequenter aut erit Filius , quod dici nequit ; aut hoc non erit sufficiens , ut Verbum sit Filius .

28 *Resp. negando* , quod Spiritus Sanctus procedit à Patre , & Filio , reduplicativè , ut Deus : quia procedere reduplicativè , ut Deus appellat supra naturam Divinam , quæ licet communicetur , non procedit , nec est producens : unde si Spiritus solum procedit ratione proprietatis Personalis à Patre , & Filio , licet hoc habeat identitatem cum natura Divina ; non procedit formaliter ut Deus ex vi processionis .

29 *Sed insistes :* Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio , qua formaliter Persona ; sed hoc ipso procedit similis in natura : ergo Spiritus Sanctus , quia ratione procedit à Patre , & Filio , procedit similis illis in natura . *Prob. Min.* Hoc ipso quod Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio ut Persona , necessariò procedit ab illis , ut est intellectualis natura ; nam hæc est notio Personæ , ut distinctæ à supposito : ergo si Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio ut Persona , procedit ab illis , ut illis comunicans in intellectuali natura , & consequenter ut similis illis in ea .

30 *Resp.* quod Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio sub ratione communi , quæ participatur etiam ab Angelo , & homine ; & procedit ab illis , ut Persona talis , & determinata : esse intellectualis naturæ est quid genericum in ratione Personæ ; ut talis autem formaliter dicit esse intellectualis naturæ , per spirationem quæ non dicit per se , & formaliter similitudinem in termino : & ideo ex vi processionis non procedit , ut formaliter similis , licet pro substracto , & per

identitatem naturae sit similis. Contrarium autem evenit in Verbo, quia ex vi conceptionis evadit simile naturae Divinae, & ideo est Filius Personae productus, & haec est verè & propriè Pater.

31. *Insurges*: Spiritus Sanctus nihil habet, quod non habeat ex vi processionis; sed habet similitudinem cum Patre, & Filio in natura: ergo illam habet ex vi processionis. *Resp.* quod licet Spiritus Sanctus quidquid habet, habeat per processionem à Patre, & Filio; tamen non omne quod habet, habet ex vi processionis: per processionem habet naturam Divinam cum omni perfectione absoluta: quia est terminus actionis immanentis, cum quo non potest non identificari, alias esset terminus actionis transcendentis, & creatura; atamen ex vi processionis, qua talis formaliter, solum procedit ut amor & impulsus, qui in conceptu formalis non dicit per se similitudinem in natura, quam in se dicit primo & per se Verbum, ut pote simile objecto cognito & cum haec similitudo non sit pure intentionalis, qualis est Verbi creatus; necessariò talis similitudo est substantialis, natalis, ac essentialis; ac proinde Verbum Divinum est perfectissime Filius. Alias objectiones ex dictis non est difficile solvere.

ART. V. De Divinis Personis in communione.

32. **M**issam facimus acceptiōnem hujus vocis *Personae* apud Grammaticos, & Prophanos. Cum enim omne quod existit in rerum natura, existat in individuo, si existit per se & in se, & non in alio, dicitur *subsistens*, seu *in se subsistens*, ac alio nomine *suppositum*; si vero subsistens sit naturae intellectualis, ut homo & Angelus, dicitur Persona: ita communiter Philosophi, & Theologi juxta vulgarem Boetii definitionem.

33. Cum ergo in individua, & indivisibili Deitatis essentia, & natura sint tres Divinae Personae, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus realiter inter se distinctæ, necesse est quod dentur in Deo tres Personalitates, quibus tres Personæ confi-

tituantur, & distinguantur, ut post dicemus. Quippe ubi sunt tria diversa constituta, necesse est quod sint tria diversa constitutiva: unde cum constitutivum Personæ sit Personalitas; si in Divinis sunt tres Personæ, necessariò sunt tres Personalitates, de quo Catholicorum nemo potest dubitare. Ex his necessariò sequitur, quod in Divinis sunt etiam tres subsistentia Personales, & relativæ: quia Personalitas nihil aliud est, quam subsistens in natura intellectuali: perindeque necessariò esse tres *hypostases*. Græca voce, quæ jam juxta plures latino usu idem est ac *subsistentia*.

34. *Ulterius certum est* dari in Deo tres relationes reales, nempe Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam: quia Pater est vere & realiter Pater, ergo à vera & reali Paternitate. Similiter Filius est vere & realiter Filius, ergo à vera, & reali filiatione: eodemque modo Spiritus Sanctus est vere & realiter Spiritus Sanctus, ergo à vera & reali spiratione. Attamen eodem modo certum est has reales relationes, quibus Divine Personæ inter se distinguuntur, & secernuntur, nullatenus differre realiter à Divinis Personalitatibus, & subsistentiis: alias quælibet Divina Persona esset realiter composita ex propria Personalitate, & relatione, tanquam ex rebus diversis, quod dici nequit; relatio enim Spiratoris supponit Personas constitutas.

35. Unde ad exactam intelligentiam hujus mysterii considerandum est, quod à natura Divina propter infinitam fecunditatem emanat prima Personalitas, quæ cum natura Divina constituit primam Personam necessariò generantem Filium; ac proinde constituit illam in ratione Patris: unde Paternitatis relatio non est quid distinctum realiter à Personalitate Patris, prout generantis Filium. Filiatio autem, & relatio Filii non sunt distinctæ realiter à Personalitate, & subsistens Filii, prout accepta à Patre per æternam generationem: nec Spiratio passiva, & relatio Spirati, seu Spiritus Sancti, est quid realiter distinctum à Personalitate, & subsistens Spiritus Sancti: atque adeò Divine relationes non sunt relationes prædicamentales, sed superioris ordinis, etsi habeant aliqualem modum illarum: cum potius habeant modum relationum transcendentalium, quæ non distinguuntur à re ipsa.

Ex

36. *Ex dictis infertur quod in Deo sunt tres entitates, seu tres res Personales, & relativæ, vere, & realiter inter se distinctæ. Nam omne id quod vere existit, ut contrapositum nihilo, est vera entitas & res; sed in Deo sunt vere & realiter Personalitates Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ut contrapositæ nihilo, & una Personalitas non est alia: ergo in Deo sunt tres entitates, seu tres res Personales, & relativæ, verè, & realiter inter se distinctæ: unde his præsuppositis ad reliqua disquirenda procedemus.*

ART. VI. Qualiter Divinæ Personalitates, ¶ relationes differant ab essentia, ¶ natura Divina?

37. **N**aturali lumine notum est, quod unum differre ab alio nihil aliud est, quam utrumque existere, & unum non esse aliud: & quod quando utrumque existit à parte rei, & ante omnem operationem intellectus unum non est aliud, est inter utrumque vera, & propriissima distinctione realis, ut contraposita distinctione rationis.

38. Gilbertus Porretanus, aliqui Clerici in Gallia censuerunt Divinas Personalitates differre ab essentia, & natura Divina distinctione reali stricta, tanquam rem à re: quia essentia & natura Divina communicatur Filio; & Paternitas non communicatur: & inde inferabant Paternitatem realiter differre ab essentia, & natura Divina. Verum hæc Sententia damnata est in Concilio Rhenensi sub Eugenio III. & in Concilio Lateranensi IV. sub Innocencio III. jureque optimo. I. quia si Divina Personalitas est quid reale ab essentia Divina distinctum, aut erit quid creatum, aut quid increatum: si quid creatum, Pater non erit necessariò Pater, quia paternitas, quia constituit in esse talis, est quid creatum: & omnis creatura, est voluntaria & libera ejus existentia Deo, quod dici non potest: si vero Divina Personalitas est quid increatum, erunt quatuor increata in Deo realiter distinctæ, nempe essentia, Paternitas, Filiatio, & Spiratio pas-

passiva , quod dici non potest ; quippe in symbolo Athana-
si dicitur : *Unus increatus* : ergo de primo ad ultimum Divi-
nae Personalitates , & relationes non distinguntur realiter ab
essentia Divina.

39 *II.* quia si Personalitas Patris esset realiter distincta
ab essentia Divina , Persona Patris esset realiter composita:
quippe constaret ex essentia , & personalitate realiter distin-
ctis ; sed hoc repugnat Divinae simplicitati : ergo Personalita-
tas Patris non est realiter distincta ab essentia Divina: & con-
sequenter nec Personalitates Filii , & Spiritus Sancti erunt
realiter distincta ab essentia Divina.

40 Durandus censuit quod inter Divinam essentiam , &
Personalitates ea est differentia , quae est inter rem , & mor-
dum rei . Nam Divina Personalitas est modus , quo Divina
essentia existit in Personis ; ac proinde inter Divinam essen-
tiam , & Personalitates necesse est intercedere distinctionem
realem modalem ; non autem distinctionem realem absolutam.
Hec sententia solum verbis meo iudicio differt à sententia Gil-
berti . Nam Personalitas Patris , quae dicitur modus Divinae
essentiae , est quid reale existens à parte rei ante omnem ope-
rationem intellectus , & contrapositum nihilo , sicuti accidens
est quid reale , ut contrapositum substantiae , & nihilo : ac Di-
vina essentia etiam est quid reale , ut contrapositum nihilo ;
sed inter ea , quae sunt quid reale , ut contrapositum nihilo , &
unum non est aliud , est vera distinctione realis , ut patet per se ,
& constat ex omnibus constitutis ex subjecto & modo , ut
natura , & subsistencia in sententia afferentium subsistentiam
esse modum positivum : ergo in sententia Durandi , si Perso-
nalitas Divina est quid reale à parte rei , esto dicatur modus ,
& non sit realiter essentia Divina ; necesse est intercedere in-
ter eam , & Divinam Personalitatem veram distinctionem
realem , assertam à Gilberto , militareque contra eam argu-
menta contra ipsum inducta.

41 Scotus , & omnes ejus Discipuli , ut se expediant ab
hujus rei difficultate , vitentque Gilberti errorem , docent
Divinam essentiam non distingui à Divinis Personalitatibus ,
& relationibus distinctione reali simpliciter tali ; sed solum
distinctione reali formalí ex natura rei : & ejus ratione verifi-

catur, quod essentia communicatur Filio, & non communicatur Paternitas: quia vere & a parte rei formalitas essentiae non est formalitas Paternitatis, ac proinde ex natura rei istae formalitates sunt realiter diversae, licet in esse reali simpliciter sint omnino idem.

42 Hac tamen sententia displicet: quia aliqua differre realiter formaliter ex natura rei, nihil aliud potest esse, quam differre, & distingui formalitatibus realibus ex natura rei: ergo quae sic differunt, habent diversas formalitates reales ex natura rei. *Tunc sic:* Istae formalitates reales distinctae vel existunt a parte rei, & ante omnem operationem intellectus, ut contraposita nihilo, vel non existunt vere & realiter a parte rei. Si non existunt vere & realiter a parte rei, solum erunt entia rationis, & distinctio inter eas non potest esse realis: nam haec non potest versari, nisi inter ea, qua vere & realiter sunt: si autem haec formalitates existunt a parte rei ante omnem operationem intellectus, ut contraposita nihilo, non possunt non esse quid reale, vere & simpliciter tale: ergo tales formalitates non possunt non differre vere & realiter distinctione simpliciter tali. *Prob. Conseq.* In contradictoriis non datur medium, & unum extreum est esse reale, sicut aliud non esse reale: sed in his formalitatibus intercedit esse reale, & una non est alia: ergo inter eas intercedit vera & simpliciter distinctio realis. Nam quod opponitur nihilo, est vere & simpliciter quid reale: ac proinde est res quadam realis simpliciter talis. Unde quae sic distinguuntur, non possunt non distingui distinctione reali simpliciter tali.

43 *Ulterius.* Nam formalitas essentiae vel est quid reale ab essentia distinctum, vel non est quid reale ab ea distinctum: si formalitas non est quid reale ab essentia distinctum, non potest realiter distinguere essentiam ab omni eo, quod essentia non est realiter; sed ipsa essentia per se distinguitur realiter ab omni eo, quod ipsa non est, ac proinde formalitas solum erit conceptus Logicus ipsius essentiae, existens mere per operationem intellectus; & non erit quid reale a parte rei. Si vere formalitas essentiae est quid reale ab essentia distinctum, inter eam & formalitatem intercedit vera distinctio realis simpliciter talis: quippe inter ea, qua vere

existunt à parte rei , ut contraposita nihilo , & unum non est aliud , datur vera distinctio realis absolute & simpliciter talis : quod asserere non possunt Scotistæ . Idem argumentum fieri potest de formalitate Personalitatis Patris respectu ipsius Personalitatis . Unde sicut inter esse , & non esse non potest excogitari medium ; ita inter esse à parte rei , & unum non esse aliud alia distinctio quam vera realis excogitari non potest .

44 Rejecta distinctione Scotica , restat communior sententia asserens Personalitates Divinas ab essentia distingui distinctione virtuali intrinseca : quæ consistit in hoc , quod propter suam infinitatem , & virtutem , essentia , & Personalitates possint recipere prædicata contradictoria : & propterea de essentia verè & realiter dicitur , quod communicatur , & de Paternitate quod verè & realiter non communicatur , & hæc virtualitas , & capacitas intrinseca vera & realis operatur in eis distinctionem virtualem intrinsecam cum omnimoda identitate reali .

45 At in hac sententia nihil aliud invenire est , nisi verba I. quia omnes Catholici fatemur , quod essentia verè & realiter communicatur Filio , & quod Paternitas , seu Personalitas Patris non communicatur ; ac proindè quod si diffrerunt , quod recipiant prædicata contradictoria ; attamen quomodo de eadem indivisibili re possint verificari prædicata contradictoria , non edocet ; sed solum verbis ludit , & difficultatem insolutam relinquit . II. quia hæc distinctio virtualis intrinseca aut est realis , aut rationis : realis nullo modo potest concedi ab Auctoribus hujus sententia : ergo solum est rationis ; hæc autem non sufficit ad vitanda prædicata contradictoria de essentia , & Personalitatibus Divinis . Nam ante omnem operationem intellectus creati essentia Divina communicatur , & Paternitas non communicatur : ergo ante omnem operationem intellectus creati verificantur contradictoria de essentia Divina , & Paternitate . Ex quo videtur inferri esse realiter diversas : quippe ea , de quibus verificantur prædicata contradictoria , sunt realiter diversa . III. quia hæc distinctio realis virtualis intrinseca vel est realis , quia intercedit inter extrema realiter distincta , vel facit extrema

realiter distincta. Si primum, erit distinctio realis actualis, qualis est inter animam, & corpus: si intercedit inter extrema non realiter distincta, non erit vera realis distinctio.

46. Dices esse veram realem distinctionem, sed non reallem actualem, sed realem virtualem: quia est cum identitate actuali extremonum, & virtute, & capacitate suscipiendi praedicata contradictoria.

47. Sed Contra. Quia ly *virtualis* vel alienat distinctionem realem à propria significatione, vel non alienat ab illa: si alienat, non erit vera distinctio realis, sicut homo pictus non est verus homo: quia per ly *pictus* alienatur à propria significatione. Si non alienatur à vera significatione, erit vera distinctio realis; quæ versari non potest, nisi inter extrema realiter distincta: ergo distinctio realis virtualis aut non est vera distinctio realis, aut si talis est, versatur inter extrema realiter distincta.

48. Dices, quod distinctio virtualis non est realis in actu, sed solum realis in equipollentia, & virtute: quia præstat eundem effectum ad verificanda contradictione, ac si esset realis. sed contra: quia hæc equipollentia, & virtus ad suscipienda praedicata contradictione nihil aliud est, quam quod in re essentia Divina communicatur Filio, & Paternitas non communicatur in re; cum essentia, & Paternitas sint eadem res à parte rei, quod totum est verum ante omnem operationem intellectus creati. Et ideo hujus sententiae Auctores docent, distinctionem rationis nihil efficere ad verificanda contraria, quia ante illam verificatur de essentia Divina, quod communicatur Filio, & quod illi non communicatur Paternitas: ergo si hoc totum est verum, & à parte rei in actu, distinctio realis virtualis nihil aliud erit, quam quod hoc totum est verum à parte rei cum identitate extremonum: quod omnes concedunt, & nullatenus difficultatem evacuat. Tandem quia distinctio realis virtualis opponi videtur summa simplicitati Dei, quæ cum reali diversitate licet virtuali componi non potest.

49. In hac disputatione præcipue censeo captivandum intellectum in obsequium tanti mysterii, certissimeque tenendam essentiam Divinam à Diuini Personalitatibus non distin-

tingui realiter entitative, nec has à Divina essentia, licet es-
sentia communicetur, & paternicas vere & realiter non
communicetur: quia sicut in creatis, ea quæ sunt eadem uni-
tertio, sunt eadem inter se, non tamen in Divinis, & quæ
est simpliciter una res, non potest habere identitatem cum tri-
bus rebus, loquendo de rebus creatis: ita licet de eadem re
in creatis non possint verificari prædicata contradictiones;
possunt tamen in Divinis verificari propter supereminentem
distinctionem, quæ cum omnimoda identitate reali reperitur
inter essentiam, & personalitatem. Quæ autem sit hæc super-
eminens distinctio, fateor me ignorare; sed cæca fide omni-
no adorare: non enim voluit Deus Theologos comprehenso-
res, sed viatores, qui per fidem ambulemus in æternam cla-
ritatem.

*ART. VII. An personalitates, & relatio-
nes sint de conceptu essentiæ Divinæ; aut è
contra essentia Divina de conceptu per-
sonalitatum, & relatio-
num?*

50 **S**Upponendum ad discussionem præsentis quæsti-
onis, conceptum communem entis Divini,
qui prædicator de essentia Divina, ejus personalitatibus,
& rationibus, intime transcendere essentiam, & personali-
tates; ac proinde in illis includi: ad modum quo ens trans-
cendit suas differentias, & intime includitur in illis. Unde
præsens difficultas solum procedit de intima inclusione essen-
tiæ Divinæ in personalitatibus; & è contra secundum quod
differunt virtualiter intrinsece, & per rationem ratiocina-
tam.

51 Hac in re communis Thomistarum Sententia tenet
essentiam Divinam, Divinasque Personalitates mutuo se
includere secundum proprios conceptus, ita ut proprius &
formalis conceptus essentia includat Divinas Personalitates;

& è contra Divinæ Personalitates includant in proprio formæ-
li conceptu conceptum formalem Divinæ essentiæ : quam
sententiam sustinent pauci alii. Quidam tenent essentiam
Divinam includi in conceptu formalí personalitatum, & rela-
tionum ; sed has non includi in conceptu formalí Divinæ
essentiæ. Communior tamen Sententia extra Scholam Divi
Thomæ tenet nec Divinam essentiam includi in Divinis
Personalitatibus, & relationibus, prout inter se distinctis;
nec has includi in conceptu formalí Divinæ essentiæ.

52. *Dicendum* Divinam essentiam in suo conceptu forma-
li non includere Divinas Personalitates, & relationes ; nec
has in proprio conceptu formalí includere Divinam essen-
tiæ. *Prob. I.* Quia ea quæ distinguuntur realiter, distin-
guuntur per aliquid reale, quod est in uno, & non est in al-
tero. Nam si quidquid est in uno, est etiam in altero, non
erit per quod distinguantur : ergo pari modo quæ distinguu-
ntur virtualiter intrinsecè ratione ratiocinata, unum debet ha-
bere aliquid virtuale intrinsecum per rationem distinctum,
quod aliud non habeat ; at quod non habet aliquam rem, non
illam includit : ergo si essentia Divina, & Divinæ Personaliti-
tates & relationes secundùm proprios conceptus intrinsecè
virtualiter distinguuntur, non poterunt se se includere secun-
dùm proprios, & formales conceptus.

53. *Prob. II.* Quia quod est de conceptu quidditativo
alicuius rei, non potest distinguiri ab ipsa re, adhuc per ratio-
nem : ergo si essentia Divina esset de conceptu quidditativo
Personalitatum, & relationum, aut è contra, non possent in-
ter se mutuò præscindere ; sed hæc ita præscindunt, quod in-
ter se distinguuntur virtualiter intrinsecè per rationem : ergo
nec essentia est de conceptu quidditativo personalitatum, &
relationum ; nec hæc de conceptu quidditativo essentia Di-
vinæ. Hæc argumenta sunt ex principiis metaphysicis omni-
no certis.

54. *Prob. III.* Quia Pater æternus communicat Filio per
æternam generationem, naturam, & essentiam Divinam cum
omnibus suis prædicatis quidditativis ; sed Filio non commu-
nicat Paternitatem : ergo Paternitas non est prædicatum
quidditativum naturæ, & essentia Divinæ. *Consequent.* te-
net,

net, *Maj. & Min.* sunt omnino certæ. *Ulterius.* Quia prius in quantum tale non potest includere in suo conceptu formaliter id quod est posterius, ut per se patet; sed coimmuni Thelogorum consensu in Deo prædicata absoluta sunt priora prædicatis relativis: ergo saltem absoluta non possunt includere in suo conceptu formaliter prædicata relativata.

55 *Sed contra Arg. I.* Quia prædicata superiora necessariò in inferioribus includuntur; sed essentia Divina se habet ad personalitates, & relationes tanquam prædicatum superius: ergo intime includitur, & prædicatur de relationibus, seu personalitatibus. *Prob. Min.* quia ratio entis Divini est prædicatum superius ad personalitates & relationes; sed ratio entis Divini est idem cum essentia Divina: ergo hæc est prædicatum superius, & commune ad Divinas Personalitates, & relationes.

56 *Resp.* quod ratio entis Divini potest considerari ut abstracta ab essentia, & attributis, & sub hac consideratione intime includitur in eis; sed de hoc non est quæstio. Attamen licet ens Divinum convertatur cum essentia Divina in re, & per identitatem; tamen essentia Divina, prout distincta intrinsecè virtualiter à personalitatibus & relationibus, non habet rationem prædicati communis, & superiorissimæ; sed solum se habet ut quid distinctum ab alio. Unde nec Divina essentia includit in suo conceptu formaliter personalitates, & relationes; nec hæc in suo Divinam essentiam.

57 *Arg. II.* Ea quæ se excludunt in conceptu formaliter, & coalescent in unum, necessarium est quod faciant compositionem; sed essentia, & personalitates, & relationes mutuè se excludunt in conceptu formaliter: ergo necessarium est quod in Deo faciant compositionem. Sed hæc est omnino releganda à Deo, ut pote contraria summa simplicitati Divinæ: ergo de primo ad ultimum ad vitandum hoc inconveniens, dicendum essentiam Divinam includere in suo conceptu formaliter personalitates, & relationes, & è contra.

58 *Resp.* Nos non posse non mirari quantum fidant huic arguento contraria sententia Auctores. Si enim inter essentiam, & personalitates conceditur distinctio, qualis cunque ea sit, & compositio debet concedi: quia hæc nihil aliud

aliud est , quam positio unius cum alio , seu distinctorum unio : unde posita distinctione rationis inter essentiam Divinam , & Personalitates , necessario ponenda in Deo compositione rationis , quæ nihil officit reali simplicitati Dei , cum solum maneat in nostro modo concipiendi compositio inter Divinam essentiam , & personalitates : quod totum oritur ex earum infinitate , ac nostri intellectus tenuitate , & limitacione . Ac licet Deo concedenda sit in se , & prout in se omnis simplicitas possibilis ; attamen , prout à nobis conceptus , solum concedenda est simplicitas , quæ non repugnet cum modo concipiendi : per quæ facilis est solutio argumenti .

ART. VIII. *An Divine Personalitates dicant tres existencias?*

59

HÆC quæstio facilem habet resolutionem in nostra sententia , quæ adhuc non distinguit in rebus creatis existentiam ab ipsa re existenti ; sed est ipsa res actu existens , ut contraposita nihilo . In Deo enim omnes Theologi docent existere non differre ab ejus essentia : properteaque dixisse : *Ego sum , qui sum* . Dicendum ergo in Deo dari tres existencias personales , & relativas . *Prob.* Quia existentia in Divinis non distinguitur ab entitate actuali , ut contraposita nihilo ; sed in Deo dantur tres entitates actuales , ut contraposita nihilo : ergo dantur in Deo tres existentiae . *Tum ex Damasc. lib. 3. de Fide cap. 5. ubi ait:* *Tres hypostases secundum veritatem entitates asserimus* : cui consentiunt Anselm. de Incarn. cap. 1. Magist. in r. dist. 25. *Maj. cum conseq. tenet , & Min. constat* : Quia in Deo dantur tres personalitates distinctæ ab invicem realiter , nempe Paternitas , Filiatio , & Spiratio passiva ; sed hæc sunt tres entitates realiter distinctæ : ergo dantur in Deo tres entitates realiter distinctæ , & consequenter tres existentiae relativæ & personales .

60 *Sed Dices.* Existentia dicit respectum ad essentiam , quia dicit actualitatem illius ; sed in Deo solum datur una essentia in tribus Personis : ergo in illis solum potest dari uni-

unica existentia. *Resp.* quod essentia varie accipi potest. I. ab essendo, ut contraposita nihilo: siveque quidquid existit, contrapositum nihilo, habet essentiam, sive sit substantia, sive sit accidentis. II. sumitur essentia pro primo prædicato quidditativo rei, quod eam constituit in esse talis, & quo, differt ab omni non ipsa, quod prædicatum constituit eam in propria specie, vel genere, scilicetque esse radix aliorum prædicatorum, ut constat in omni essentia. Existentia enim solum dicit respectum ad essentiam ut contrapositam nihilo: qua ratione, et si omnia existentia habeant propriam essentiam & naturam, qua in se constituantur & distinguuntur ab aliis; quatenus sunt in actu quid reale, nihilo oppositum, sunt per se existentia. Unde existentia non respicit præcise essentiam per modum quidditatis, & naturæ; sed solum essentiam ab essendo dictam, atque ut contrapositam nihilo. Cumque Divinæ Personalitates, & relationes sint per se quid reale, ut contrapositum nihilo, non possunt non gaudere propriis existentiis relativis.

61. *Sed Urgebis:* Si Personæ Divinæ haberent proprias existentias relatives, dicerentur tres aeterni, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sed hoc est contra id, quod dicitur in Symbolo: *Non tres aeterni, sed unus aeternus:* ergo Divina Personæ non habent ratione personalitatum, & relationum proprias existentias relatives. *Prob.* Maj. quia aeternitas nihil aliud est, nisi existentia invariabilis sine principio, & fine: ergo si Personæ Divinæ haberent proprias existentias personales, & relatives, ut pote invariabiles sine principio & fine, haberent tres aeternitates proprias, & consequenter dicerentur tres aeterni.

62. *Resp.* quod in Divinis sunt quedam prædicata, quæ convenientur primo, & per se naturæ, convenientque Divinis Personalitatibus & relationibus & quedam: quæ particulariter de Divinis Personalitatibus dicuntur. Quæ igitur primo & per se naturæ convenient, non multiplicantur in Divinis, sicut non multiplicatur natura: & ideo non licet dicere tres immenses, aut tres omnipotentes, nec tres aeternos: quia haec pertinent primo & per se ad naturam, ne videamur eam multiplicare; aut prædicata, quæ convenient æqualiter natu-

ræ, & personalitatibus propter notionem generalem eorum, ut ratio entitatis, & rei, & eorum, quæ hæc consequatur: si-
-cut dicimus, quod Divinæ Personalitates sunt tres entitates,
& tres res: ita possumus dicere in suo conceptu includere tres
existentias identificatas cum existentia Divinæ naturæ; & hac
ratione non dicimus tres Divinas Personas esse, tres æternos;
sed solum unum æternum.

**ART. IX. An Divinæ Personalitates, &
relationes, prout distinctæ à natura Di-
vina, dicant bonitatem, & per-
fectionem?**

- 63 **P**lærius Auctores discutientes hanc quæstionem,
notarunt quod Divinæ Personalitates, qua ta-
les, hoc ipso quod sint in genere entis, necessario debent
gaudere entis proprietatibus, quæ sunt verum, & bonum; ac
proinde necessario sunt veræ, & bonæ: consequenterque de
hac bonitate disputationem non esse.

- 64 Itidem notant, quod cum perfectum sit, cui nihil de-
ficit de propria integritate: cum Personalitatibus, & relatio-
nibus Divinis nihil desit de his, quæ pertinent ad earum con-
stitutionum, hoc genere perfectionis perfectæ sunt Divinæ
Personalitates, & relationes. Unde quæstio devolvitur de bo-
nitate importata in propria quidditate, ut contra distincta ab
essentia, & natura Divina. In quo una Sententia Theologo-
rum negat Divinas Personalitates, & relationes dicere in
proprio conceptu perfectionem, & bonitatem. Hanc enim
tenent communiter Thomistæ, & Scotistæ, & plures alii. Al-
tera oppositum docet, quam tenent plures gravissimi Theo-
logi; sed divisi sunt. Nam quidam tenent, in Divinis Per-
sonalitatibus non esse, nisi unam perfectionem relativam; ve-
rum major pars hujus sententiæ Auctorum docent dicere tres
perfectiones personales, & relativas.

- 65 Dicendum Divinas Personalitates, & relationes dice-
re in suo conceptu formalí perfectionem. Missis auctoritati-
bus

bus Conciliorum , & PP. quæ pro utraque parte militant, variisque fundamentis, quæ aut non evincunt, aut longa discussione egent. *Prob. nostra Sententia* : Quia id quod exigit natura Divina ex sua perfectione, non potest non dicere perfectionem , sed natura Divina ex sua perfectione exigit personalitates , & relationes : ergo hæc non possunt non dicere perfectionem. *Maj. ex terminis constat, Min. prob.* Quia natura Divina ex sua perfectione exigit communicari ad intra ; sed hæc communicatio non potest stare sine personalitatibus , & relationibus : ergo natura Divina ex sua perfectione exigit personalitates , & relationes. *Maj. est certa* : quia natura Divina , cum sit abyssus perfectionis , nihil potest exigere , nisi quod dicit intrinsece perfectionem. *Minor constat* : quia si sine personalitatibus constituentibus Personas Divinas diversas non potest stare communicatio Divinæ naturæ unius ad alterum ; cum sine illis non possit stare diversitas necessaria ad communicationem : unde de primo ad ultimum natura Divina exigit ex sua perfectione personalitates , & relationes.

66 *Conf.* Quia communicari ad intra in tribus Divinis Personis Divinam naturam vel convenit ei necessario , vel convenit liberè. Nullus Catholicorum dicere potest , quod convenit liberè : alias posset non esse trinus : ergo communicari ad intra in tribus Personis convenit ei necessario. Sed nihil potest Deo necessario convenire , quod non dicat perfectionem : ergo si personalitates , & relationes convenient Dœ necessario , dicunt perfectionem. *Min. subsumpta prob.* Quia Dœ nihil potest necessario convenire , nisi quod est perfectum , aut importat necessario perfectionem , cum undeque sit pelagus infinitæ perfectionis. Alia fundamenta producunt Auctores nostra sententia , sed aliquantulum nutant ; & ideo omittimus.

67 *Arg. I. contra nostram sententiam* : quia nihil potest dicere formalem perfectionem , nisi dicat formalem existentiam : qua pròpter creaturæ possibiles nec dicunt perfectionem , nec bonitatem ; sed Divinæ Personalitates , & relationes Divina non dicunt ex se formalem existentiam : ergo non dicunt formalem perfectionem. Hæc objectio , quæ est con-

munis Thomistarum, *omissa Maj. negata Min.* ex dictis quæsito antecedenti corruit.

68 *Arg. II. ex inconvenientibus.* Quia si personalitates, & relationes dicerent in proprio conceptu perfectionem, non possent esse perfectione aequales; sed hoc dici non potest: ergo non possunt dicere in proprio conceptu perfectionem. *Prob. Maj.* Quia perfectiones relativæ differunt inter se specie, cum definitione differant; sed quæ differunt specie, sunt inæquales perfectione: ergo si personalitates, & relationes dicerent perfectionem, Personæ Divinæ non possent esse inter se aequales.

69 *Conf. I.* Quia si Personalitates Divinæ, & relationes dicerent perfectionem, nulla Persona Divina esset infinitè perfecta; sed hoc asseri nequit: ergo non dicunt perfectionem in proprio conceptu. *Prob. Maj.* Quia cui deficit aliqua perfectio, non potest dici infinitè perfectum; sed si personalitates dicerent perfectionem, cuilibet Personæ deficeret Divina perfectio; quia Patri deficeret perfectio Filiationis, Filio deficeret perfectio Paternitatis; & utraque deficeret Spiritui Sancto: ergo si Personalitates Divinæ dicerent perfectionem, cuilibet Persona Divina deficeret aliqua perfectio Divina.

70 *Conf. II.* Quia non potest in Deo concedi perfectio, quæ non sit simpliciter simplex; sed perfectiones relativæ non possunt esse perfectiones simpliciter simplices; quippe Paternitas non est melior in Filio, quam Filiatio; & perfectio simpliciter simplex ex ea dicitur, quæ melior est sui parentia: ergo non possunt dicere in Deo perfectionem.

71 Huic argumento, & confirmationibus variis modis respondent nostræ sententiae Auctores. *Nos vero respondemus,* Personalitates Divinas convenire inter se in ratione constitutendi Personam, & quasi specie differre; ex quo non sequitur, quod non sint perfectione aequales. Nam dato quod in creatis, quæ specie differunt, se perfectione excedant (de quo hucusque demonstratio reperta non est, ut de turture, & columba, & aliis rebus) in Divinis tamen id falsum est. Nam Paternitas, ut realiter à Filiatione distincta, quasi specie differt, & ut realiter distincta secundum quod explicite dicit, est omnino aequalis: ad modum quo Divina attributa, ut mi-

misericordia, & justitia, et si inter se differant, sunt omnino æqualia; quia quælibet in suo genere est infinita, dicitque perfectionem sui generis convenientem naturæ Divinæ. Eodem ergo modo Personalites Divinæ, quia quælibet est infinita, & quælibet necessaria ad communicationem Divinæ naturæ ad intra (non obstante differentia) inter se sunt omnino æquales.

72 *Ad I. Conf. Resp. neg. Maj.* ad cuius probationem dicimus: quod quælibet Divina Persona est infinite perfecta, quia quælibet habet perfectionem sibi debitam, & congruentem, esto non habeat perfectionem sibi non debitam, immò repugnantem. Cum ergo Pater, qua talis, habeat perfectionem Paternitatis, esto non habeat perfectionem Filiationis, & Spirationis passivæ; non ideo dicendum carere Divina perfectione sibi debita; caretque perfectione Filiationis, & Spirationis passivæ, ex ipsa perfectione Paternitatis, quæ ex se dicit incompossibilitatem cum Filiatione, & Spiratione: unde Pater numquam potest dici positivè imperfectus ratio-ne præfata.

73 *Ad II. Resp.* quod perfectiones relativæ sunt perfec-tiones simpliciter simplices respectu personæ, cui convenient, quia qua parte relativæ sunt & personales, alteri non possunt convenire; quatenus autem convenient subjecto, sunt me-liores, quam earum parentia, dicunt in suo genere perfec-tionem infinitam sine imperfectione; & hoc est quod pteciſe requiritur ad rationem perfectionis simpliciter simplicis: & in hoc magis est quæstio de voce quam de re.

74 Pro solutione aliarum objectionum, *notandum* quod Divinæ Personæ omnes includunt perfectionem Divinæ es-sentia, cum qua personalites identificantur; & ejus ratio-ne Trinitas non est quid perfectius Patre, aut Filio, aut Spi-ritu Sancto, quia in tribus Personis est eadem essentia & na-tura continens omnem perfectionem personarum: qua ratio-ne nec essentia est quid maius, aut perfectius tribus Personis, nec è contra: nec una Persona major, aut perfectior altera, nec duæ respectu alterius.

**ART. X. An in Deo præter subsistentias
relativas detur subsistētia
absoluta?**

75 **S**upponimus quod licet in Ecclesia usque ad finem
Sæculi IV. fuerit controversia de voce *Hypostasis*, & ejus usu in exponendo Mysterio Sanctissimæ Trinitatis: nam plerique lingua Græca docti censebant significare, quod apud Latinos *Essentia*, & *Natura*: qua ratione plerique renuebant concedere in Deo tres hypostases: cum Græcis ad significandam essentiam, & naturam subesset vox ΟΥΣΙΑ, communi Ecclesiæ consensu vox *Hypostasis* determinata est ad significandum idem, quod apud Latinos, *Subsistētia*, *Personalitas*, *Suppositum*, & *Persona*, ut non esset discordia adhuc in modo loquendi in Orientis, & Occidentis Ecclesia in Mysterio Trinitatis: quæ pervia sunt Theologis edocētis historiam Ecclesiasticam.

76 Supponendum ergo ad discussionem quæstionis dari in Deo tres subsistentias personales, & relatives contra Durandum, quem recentior quidam secutus est, à cuius censura abstinenus. I. quia PP. Concilii 1. Constantinopolitani, quod est generale secundum Epist. ad Damasum aiunt: *In tribus perfectissimis subsistentiis, sive in tribus perfectis personis*, ut nec Sabelii languor locum habeat confessione subsistentiarum, aut peremptione proprietatum. Idem habet Concil. Chalcedonense IV. generale: Actione 16. his verbis: *Trium subsistentiarum PP. intulisse doctrinam, non extra Sanctam Scripturam hanc inventionem sibi fingentes.*

77 Idem docetur in V. Synodo Generali, Collat. 8. in 6. act. 11. in 7. Act. 3. & in Conciliis Lateranensi sub Martino I. Consult. 5. his verbis: *Siquis secundum Sanctos PP. non confitetur propriè, & veraciter Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus. Prædictis Conciliorum Doctrinis consonant PP.*

quos

quos brevitatis causa omittimus; licet plures eorum citentur in operibus falso eorum nominibus inscriptis; videndas tamen Imp. Justinianus, epist. ad Joannem II. Papam, & Damascenus lib. I. Fidei cap. 10.

78 Suffragantur valida argumenta Theologica. I. Quia ubi sunt diversa concreta, necesse est quod sint diversæ formæ concretae constituentes; sed in Deo sunt tria concreta personarum: ergo sunt tres formæ constituentes prædictæ concreta, & consequenter tres Personalitates, ac proinde tres subsistentiæ. II. Quia Verbum Divinum naturam humanaam sibi univit in propria subsistentia, non communi Patri, & Spiritu Sancto; alias tres Divinæ Personæ fuissent incarnationæ: ergo in Filio datur propria Personalitas, & subsistentia: ergo idem de Pater, & Spiritu Sancto; quippe sicut Filius factus est homo: ita potuissent fieri Pater, & Spiritus Sanctus, ut docet communis Theologorum sententia.

79 His iactis circa resolutionem præfatae quæstionis de subsistentia absoluta, doctiores inter Recentiores censem, in ea discordiam potius de vocibus, quam de re inesse; cum tota pendeat ex acceptione vocis *Subsistentia*: Plurimi Theologorum, & Philosophorum loquendo de subsistentia creata, docent hanc esse quid positivum & reale, à natura constituta in individuo distinctum, quo ipsa natura redditur incomunicabilis alteri. Cum autem incomunicabilitas sit contradictorium communicabilitatis, non convenient hujus Sententiæ Auctores, quam incomunicabilitatem præstet. Etenim cum in natura composita, qualis est natura humana, quæ constat corpore & anima rationali, non præstat partibus incomunicabilitatem; nec præstat incomunicabilitatem subiecto ad accidentia. Nam cum communicatio unius ad alterum sit eorum inter se unio, ea quæ naturaliter inter se uniuntur, non possunt recipere à subsistentia incomunicabilitatem, seu partis ad partem, seu ut accidentis ad subiectum.

80 Hac de causa potiores Auctores hujus sententiæ docent: quod subsistentia est positivum complementum substantiæ in individuo constituta, ratione cuius natura terminatur, completur, & sistit in se; ac proinde subsistit, & redditur in-

incommunicabilis alteri naturæ in individuo constituta. Nos vero alibi fuse monstrabimus ad præfatos effectus non esse necessarium modum positivum realem in natura completa, seu constituta in individuo: subsistentiamque, & subsistere nihil aliud esse, quam per se, & in se existere. Nam ut docet D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 2. *Ea enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se sunt: quæ est doctrina precipue Græcorum Patrum, cum de Mysterio Incarnationis disputant contra Hæreticos.*

81 Certum est omnino omnibus Theologis, & Philosophis, quod Deus est primum ens ceterorum causa, & quæ primum per se, & in se existere omnino independens ab omni ordine ad creaturam; quia prius in quantum tale, non potest pendere à posteriori, quales sunt creaturæ, quarum Deus est causa. Si autem hoc modo subsistentia sumatur, vere dicitur quod Deus per totam æternitatem existit per se, & in se; ac proinde subsistere subsistentia absoluta. Verum hæc subsistentia adhuc per rationem non est distincta ab ipsa intrinseca essentia & existentia Dei. Unde si Auctores subsistentiæ absolutæ volunt eam adstruere ut diversam ratione nostra ab essentia, & existentia Dei; Nobis venit omnino neganda: quia Deus per suam essentiam existit in se, & per se; ac proinde in hac acceptance per se subsistit, quin egeat ad hoc subsistentia absoluta diversa ab ejus essentia, ut existenti. Si autem ponatur subsistentia absoluta in Deo ad præstandos effectus incommunicabilitatis, quod præstat subsistentia creata in Sententia Auctorum, qui tenent eam esse modum positivum realem à natura creata realiter distinctum; etiam neganda est subsistentia absoluta. Quia Deus per suam essentiam habet non dicere ordinem ab unionem cum creatura; ac proinde nec unionem cum illa. Ex quo sequitur, quod habeat incommunicabilitatem cum illa, vel ut pars cum comparte, vel ut accidens cum subjecto; quia omnis communio fit mediante unione. Quapropter ad hos effectus præstandos, non est ponenda in Deo subsistentia absoluta.

82 *Deinde.* Quia si in Deo esset subsistentia absoluta Deus, ut Deus, esset suppositum & Persona: quod à Theologis non conceditur. Nam natura rationalis in individuo sub-

subsistentia gaudens , est proprie Persona : ergo natura Divina cum sit intellectualis , gaudens propria subsistentia, non potest non esse proprie suppositum & Persona. *Ulterius.* Quia subsistentia absoluta constitueretur Divina natura incommunicabilis , non ad intra , quia alias non esset Mysterium Sanctæ Trinitatis , in quo stat communicatio ad intra: ergo solum constitueret incommunicabilem ad extra , hoc est, non unibilem immediatè naturæ creatæ : de quo dubitant Theologi Tractatu de Incarnatione. Nam si personalitas Verbi non constituit illud incommunicabile immediatè & per se naturæ creatæ , non potest asseri ut certum , quod natura Divina ratione subsistentiæ absolutæ uniri non possit naturæ creatæ.

83 Conclia , & PP. quæ videntur ponere in Deo subsistentiam , aut vitio erroris laborant , quia loco *Substantia* vertit interpres , *subsistentia* , aut accipiunt subsistentiam in primo sensu quæstionis à nobis notato.

ART. XI. *Per quid constituuntur Divinae Personæ?*

84 **H**æc quæstio negotii plurimum ingessit aliquibus Theologorum : cum meo iudicio non sit tanta difficultate implexa. Pro cuius enodatione *notandum* , quod constitutivum alicujus rei est id , quod primo intelligitur in illa , per quod distinguitur ab omni non ipsa in specie ; nam quæ solum differunt numero , eodem specifico constitutivo gaudent. Cum ergo in hac propositione : *Pater generat Filium* Pater sit subjectum propositionis , verbum *generat* , innuat actionem , & productionem ex parte subjecti , originem , & egressionem ex parte prædicati , quod est *Filius* , resultetque relatio Patris , & Filii ; Theologos coegerit diversis distrahi sententiis. Nam quidam tenuere Divinas Personas originibus constituti. Alii præ oculis habentes Personas Divinas distingui relationibus , & in Deo omnia esse unum , ubi non adeat relationis oppositio , censuerunt relationibus , qua tabilibus , constituti ; attamen plures , cum adverterent quod

re-

relatio Patris resultat ex generatione , & quod generatio est actio , quæ necessario debet præsupponere subjectum , distinxere in Divinis relationibus duos conceptus , unum per ordinem ad subjectum , quem dicunt *conceptum in* , & aliud per ordinem ad terminum , quem dicunt *conceptum ad* : & sub primo conceptu , sub quo sortitur rationem subsistentiæ relatio , Divinas Personas relationibus constitui. Hæc breviter perstringimus , ut facilius appareat nostra sententia.

85 *Dicendum I.* Quod Divinæ Personæ juxta nostrum modum intelligendi , non constituuntur in esse talium per origines , seu processiones. *Prob.* Quia origo , & processio in Divinis & potest sumi *activè* , & *passivè* : si sumatur *activè* , accipitur pro actione , & productione : si accipiatur *passivè* , accipitur pro termino producto , & nullatenus ab illo distinguitur ; sed nullo ex his modis Personæ Divinæ constituuntur : ergo non constituuntur originibus , & processionibus. *Prob. Min.* de origine activa. Quia hæc in suo conceptu formalis est actio , quæ essentialiter supponit principium constitutum in esse talis ; cum prius sit esse , quam operari : ergo origo activa non constituit Divinam Personam in esse talis , sed illam supponit constitutam. *Ulterius* Quia in Filio non est alia origo activa , nisi processio Spiritus Sancti , qua non constituitur in esse Personæ omnium Theologorum consensu ; at Spiritus Sanctus nulla gaudet processione activa ad intra : ergo in ratione Personæ non constituitur origine , & processione activa.

86 Quod autem Divinæ Personæ non constituuntur in esse talium origine , & processione passiva. *Prob.* *Tum* quia in primis Pater cum sit improductus , non potest constitui in ratione Personæ per originem , & processionem passivè acceptam. *Tum* quia origo , & processio passivè accepta , non est aliud , quam ipse terminus productus ; & de hoc disputamus , per quid constituantur in ratione Personæ : unde asserere Personas Divinas constitui origine , & processione passiva , est idem ac asserere constitui se ipsis , quod improbat Theologi : ergo de primo ad ultimum Personæ Divinæ non constituuntur in esse talium per originem , & processionem passivam.

87 *Dicendum II.* Divinas Personas non constitui in esse talium per relationes formaliter & rigorosè acceptas. *Prob.* Quia relatio formaliter, qua talis, supponit suum fundamen-tum ; sed fundamentum supponit Personas constitutas : ergo & supponit illas constitutas relatio formaliter qua talis. *Maj.* est certa : *Min. autem prob. ex dictis.* Quia fundamentum Di-vinarum relationum est processio activa unius Personæ ab alia ; sed processio activa unius Personæ ab alia supponit Personam constitutam (ut antea dictum est) ergo relatio formaliter, qua talis, non constituit Divinas Personas in esse talis. *Nee obstat*, quod Concilia, & PP. asserant Personas Divinas solis relationibus distingui, ac proinde constitui, quia id qualiter accipiendum sit, postea dicentius.

88 *Dicendum III.* Personas Divinas constitui in ratione talium per proprias personalitates, seu subsistentias : in quo debent omnes Theologi convenire. Quia omne concretum constituitur formaliter ut tale à forma, qua denominatur, ut *album albedine* ; sed Persona Divina est concretum ex natura Divina, & personalitate : ergo constituitur formaliter ut talis à personalitate formaliter qua tali : unde Pater Æternus constituitur in esse Personæ per propriam, & peculiarem per-sonalitatem, similiterque Filius, & Spiritus Sanctus.

89 *Sed Dices in conclusione præcedenti omnes Theolo-gos debere convenire, sed nondum evacuatam esse difficulta-tem ; quia restat discutere, an Divinæ Personalitates sint quid relativum, vel relationes, aut quid absolutum peculia-re.* Et quod sint quid relativum, seu relationes, videtur in-nui à Conciliis, & PP. Nam per id constituuntur Divinæ Personæ, per quod formaliter inter se distinguuntur ; sed so-lis relationibus Divinæ Personæ distinguuntur : ergo illis so-lis constituuntur. *Min. prob. Tum ex Concilio Toletano II.* in confessione fidei, ubi dicitur : *In relatione Personarum numerus cernitur.* Et pôst pauca : *Hoc solo numerum insi-nuant, quod ad invicem sunt.* Idem insinuantur in Concilio Florentino sess. 18. & 19. & à Bessarione Card. in Oratione pro unione. In eadem sententia sunt Nyssenus Epist. ad Fla-vianum, Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Thesauri cap. 1. Da-mascenus lib. 1. de Fide cap. 11. pluresque PP. *Tum quia*

Divinæ Personæ eo modo, quo nominantur, constituuntur; sed nominantur nominibus relativis Patris, Filii, & Spiritus Sancti; ergo relativis formaliter constituuntur. *Min. est certa ex illo Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et Maj. cum consq. tenet.*

90 *Resp.* quod nomina relativa, quibus significantur Divinæ Personæ in sacris litteris & sunt, quæ quoad nos magis innotescit earum distinctio, & diversitas realis: & sunt quibus aliqua Persona constituuntur & distinguuntur. Pro quo *notandum est*, quod relatio in Divinis dupliciter potest considerari *signatè*, & *exercitè*; *signatè* quando consideratur sub munere subsistentia, & personalitatis, qua constituitur formaliter Persona; *exercitè* quando referri inter se utrumque extreum. Itaque à natura Divina emanat prima personalitas, qua constituitur prima Persona; & ex vi illius est necessario determinata ad productionem alterius Personæ similis sibi in natura, ex vi productionis: ex quo resultat, quod prima Persona sit Pater, & Persona producta sit Filius: & ex horum amore resultat productio Spiritus Sancti, qui in ratione Personæ constituitur per propriam personalitatem, procedentem à Patre, & Filio: unde omnes Persona Divinæ activè, aut passivè important necessario *signatè* relationem. At cum relatio *exercitè* sumpta supponat fundamentum, & terminum, quia prius est esse, quam referri, solum potest constitui Persona Divina per relationem *signatè* acceptam, & non *exercitè* sumptam. Concilia autem, & PP. non loqui sunt de constitutivo præcivio, & metaphysico Divinarum Personarum, de quo Scholastici; sed de modo & ratione, qua in Divinis litteris Divinæ Personæ cognoscuntur inter se realiter distinctæ, & earum processiones unius ab alia, vel aliis. Relatio autem *signatè* sumpta, nihil aliud est, quam Divina Personalitas: quæ an dicenda sit quid *absolutum*, aut *relativum*: est quæstio de voce, & ex dictis solvenda.

ART. XII. Quæ prædicata possunt in Divinis pluraliter dici?

91 **R**esp. I. quod prædicata absoluta, quæ pertinent ad Deum ut Deum, hoc est, ad essentiam, & naturam Divinam tanquam ejus attributa, & proprietates, non possunt dici pluraliter de Personis Divinis. Id constat ex Symbolo nuncupato Athanasii, ubi dicitur de Personis Divinis: *Non tres immensi, non tres omnipotentes, sed unus immensus, & unus omnipotens.* Et ratio est, quia cum attributa sint perfectiones naturæ Divinæ, cum illa realiter identificata, & sola ratione ab ea distincta, eandem unitatem servant cum illa: unde quia eadem est Divinitas in tribus Personis, non possunt dici tres Dii; ita quia una est in illis immensitas, & omnipotentia, & idem de reliquis attributis; non possunt dici tres immensi, aut tres omnipotentes.

92 Resp. II. quod ea prædicata, quæ sunt propria Divinarum Personarum, solum possunt dici de Persona, cui soli competunt, & non de aliis; quia ideo sunt propria talis Persona. Quæ autem hæc sint, postea dicemus, agentes de Personis in particulari.

93 Resp. III. quod ea prædicata, quæ dicunt modum quemdam transcendentiae respectu Divinæ essentia, & attributorum, personalitatum, & relationum, possunt dici pluraliter in Divinis. Et ratio est, quia cum hæc prædicata convenient propriissime Divinis Personalitatibus, sicut hæ dicuntur pluraliter in Divinis: ita prafata prædicata possunt in Divinis pluraliter dici, ut tres entitates, tres res, tres existentiae, & alia hujusmodi, & quæ pertinent ad numerum Personarum, ut tres subsistentiae.

94 Cum hoc stat etiam, quod adjectivè possint Divinæ Personæ dici tres habentes Divinam essentiam, scientiam, omnipotentiam, aliaque attributa: quia verbum *habens* refertur ad Personam, & hæ sunt in Divinis tres. Si autem suboriantur dubium de pluralitate prædicati: potius est illud explicare per adverbia, *adjectivè, personaliter, & relativè,*

ut tres perfectiones personales, & relativæ, & tres existentiaæ similiiter: quæ regulæ habenda sunt præ oculis pro modo loquendi.

ART. XIII. *De Divinis Personis in particulari.*

95 **I**nter Divinas Personas ordine prima est Pater, quia ex eo est Filius, & ex Patre, & Filio est Spiritus Sanctus: unde prius agendum de Patre. Patris enim notio principalis est in prima Persona Sanctissimæ Trinitatis, ut habetur Matth. cap. 28. & Joannis epist. 1. Et hæc Paternitas convenit ei primo, & per se; quia etsi conveniat ei ratio Patris respectu creaturarum, ratione creationis providentiaæ, & adoptionis (ut constat ex pluribus Sacrae Scripturæ locis) cum hæc Paternitas conveniat tribus Divinis Personis, sintque priora in Divinis necessaria, quam libera, cum Paternitas notionalis sit primæ Personæ necessaria; prius intelligitur in ea esse Patrem notionaliter, quam esse Patrem creaturarum modis supra dictis.

96 **D**icitur etiam ab Ecclesia, & PP. Genitor, quod est idem, ac Pater. Dicitur itidem Pater fons Deitatis, à plerisque PP. non quod Deitas producatur; sed ea ratione, quod fit principium, per quod essentia Divina communicatur Filio, & Spiritui Sancto: & quia est primum principium talis communicationis notionaliter, dicitur principium juxta Augustinum lib. 4. de Trinit.

97 Tribus primis Ecclesiæ seculis, cum nondum statuta esset norma loquendi de hoc Mysterio ab Ecclesia, aliqui PP. nuncuparunt Patrem *causam Filii, & Spiritus Sancti*; verum cum hæc appellatio apud Philosophos vigeret ad significandum diversitatem individualem saltem naturæ, & dependentiam rigorosam effectus à causa: cum in tribus Personis eadem sit natura, nec sit dependentia, quæ est in effectu ad causam; idcirco post Concilium Nicænum explosus est hic modus loquendi ab Ecclesia: jamque non potest dici Pater Aeternus *causa Filii, aut Spiritus Sancti*. Unde cum aliqui

ex PP. dicunt, Patrem *causam Filii*, piè interpretandi sunt de causa sub ratione puri principii; cum constet eadem, ac nos Fide hujus Mysterii imbutos fuisse.

98 *Dicitur etiam Pater ab aliquibus PP. Auctor Filii*: de quo disceptant Theologi, num recte dici possit. Quæ quaestio plus est de voce, quam de re: Nam si *Auctor* sumatur pro puro principio, sine imperfectione, Pater poterit dici *Auctor Filii*; si vero ly *Auctor* dicit principium ex præsupposita materia, vel ex nihilo; tunc nullatenus potest Pater dici *Auctor Filii*.

99 Restat igitur dicere de *Ingenito*, & *innascibili*; quæ voces pro eodem accipiuntur, quæ Patri tribuuntur à pluribus PP. Attamen hoc non enim *ingenitus* tripliciter potest sumi. I. ut sit idem, quod non creatus, nec factus: & in hac significatione, est commune tribus Divinis Personis. II. ut negat solam generationem, non verò processionem: & sic convenit Spiritui Sancto, qui non est genitus, sed est procedens à Patre & Filio. III. ut negat omnimodo processionem ab alio: & hoc modo est propriissimum Patris, & est notio illius; quia Pater, cum sit principium Divinarum Processionum, ab alio procedere non potest: sic dicitur *ingenitus*, & *innascibilis*.

100 Disceptant latè aliqui Theologi: an notio *ingeniti* dicat de formalí aliquid positivū, vel solum negativū. Dicere solam negationem tenent communiter Theologi cum Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 7. his verbis: *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Et idem docent Cyrillus Alexandrinus, Damascenus, D. Thom. Scotus, & plurimi alii. Quia ut Grammaticis est notum. *Ingenitus* idem est, ac *non genitus*: & Theologica acceptione, *non procedens ab alio*: quod totum est quid negativum, licet fundamentum negationis sit positiva ratio principii, aliud ve positivum: de quo non est necessarium sermonem protendere.



ART. XIV. De secunda Persona SS. Trinitatis.

101 **S**ecunda Persona Sanctissimæ Trinitatis est Filius, qui & dicitur Verbum, ut constat ex Joanne cap. 1. *Et Verbum caro factum est*, & ejusdem epist. 1. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Est autem Filius Patris Verbum, quia ex vi suæ processionis est similis Patri, consequenter expressio, & Verbum illius: qua ratione dixit Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Eo quippe Filius, quo Verbum: & eo Verbum, quo Filius.*

102 Derelicta sententia Durandi, qui censuit Verbum in Divinis essentialiter dici, ut Psalm. 31. *Verbo Domini Cœli firmati sunt.* Et Isaïæ cap. 40. *Verbum autem Domini manet in eternum.* Et alibi plures ubi nomine Verbi accipitur decretum Divinæ voluntatis, quod est commune tribus Divinis Personis: quia ex Scriptura, & PP. constat Verbum nationaliter dici de Filio. Restat alia disquirere.

103 *Quæritur I.* An Verbum procedat solum ex cognitione essentiæ Divinæ, & attributorum, aut ex cognitione totius Sanctissimæ Trinitatis! Pro resolutione notandum, quod licet in Divinis non sit realis prioritas, & posterioritas; tamen secundum nostrum modum intelligendi, sicut inter Divinas Personas est prioritas & posterioritas *originis*, quia Pater est prior Filio prioritate *originis* &c. ita in Divinis actibus est prioritas, & posterioritas *signi*, cum concipiamus in Deo actum intellectus esse priorem actu voluntatis, & prædicta necessaria esse priora prædicatis liberis. Unde juxta hunc modum, *quærimus*, an Verbum cum procedat per intellectum à Patre, procedat ex cognitione sui, & Filii, & Spiritus Sancti.

104 Evidem Verbum procedere ex cognitione Divinæ essentiæ, & attributorum constans est Theologorum sententia. Quia hoc ipso, quod Verbum procedat ex Patris intellectione, non potest non procedere ex objecto primario & prin-

principalis illius; sed objectum primarium, & principale Divinæ intellectio[n]is est Divina essentia cum attributis: ergo Verbum Divinum, necessariò procedit ex cognitione Divinæ essentiæ, & attributorum.

105 Quantum ad præcipuam difficultatem Thomistæ, & Recentiores Schotistæ, aliquæ plurimi tenent Verbum Divinum procedere ex cognitione totius Sanctissimæ Trinitatis. Alii quod solum procedit ex cognitione Patris, & sui; non vero ex cognitione Spiritus Sancti. Alii verò, ut antiquiores Schotistæ, pluresque Theologorum, tenent Verbum Divinum non procedere ex cognitione Sanctissimæ Trinitatis.

106 *Dicendum I.* quod Verbum non procedit objective ex cognitione Sanctissimæ Trinitatis. *Prob.* Quia Verbum non potest procedere, nisi ex cognitione objecti, quod præsupponitur ad illam, nam objectum est prius actu; sed ad cognitionem, qua procedit Verbum, non supponitur objective Sancta Trinitas: ergo Verbum non procedit objective ex cognitione Sanctissimæ Trinitatis. *Maj. cum Conseq. tenet:* *Min. prob.* Quia cognitio per quam procedit Verbum, est generatio, per quam constituitur Pater in esse talis, & Verbum in esse Filii; cum utriusque relatio fundetur in generatione: ergo ad cognitionem qua procedit Verbum, non supponitur objective Sancta Trinitas. *Prob. conseq.* Quia id quod resultat ex alio, non potest præsupponi ad illud; sed Paternitas, & Filiatio resultant ex cognitione, qua procedit Verbum: ergo non possunt præsupponi ad illam. De Spiritu Sancto idem est judicium: quia supponit pro priori Patrem, & Filium, tanquam sui principium: perindeque, si Verbum non procedit ex cognitione Patris, & sui objective; non potest procedere objective ex cognitione Spiritus Sancti.

107 *Sed dices:* Verbum Divinum procedit à Patre, per cognitionem comprehensivam Dei, ut est in se, nam procedit per cognitionem perfectissimam, qualis est comprehensio; sed cognitio comprehensiva Dei est cognitio Sanctissimæ Trinitatis: ergo Verbum procedit ex cognitione Sanctissimæ Trinitatis. *Prob. Min.* Quia cognitio comprehensiva Dei attingit quidquid est in ipso, ita ut nihil maneat in ipso, quod non attingatur; sed in Deo per realem identitatem est Sanc-

ta Trinitas : ergo non potest non attingi per cognitionem comprehensivam Dei.

108. *Conf.* Quia Verbum non potest non procedere à Patre, nisi per cognitionem intuitivam eorum, quæ verè existunt in Deo, cum notitia abstractiva ipsi repugnet; sed in Deo est ipsa Sancta Trinitas : ergo Verbum procedit ex cognitione intuitiva Sanctissimæ Trinitatis.

109. *Resp. instando argumento.* Nam cognitionis comprehensiva Dei est cognitionis decretorum, quæ pendent ab ejus libera voluntate; & hoc non obstante in sententia adversariorum Verbum Divinum non procedit ex cognitione decretorum liberorum, nec creaturarum futurarum. *Dicimus ergo,* quod Verbum Divinum procedit ex cognitione comprehensiva Dei, ut objectivè supponitur ad illam, & pro signo priori; non vero pro signo posteriori ad illam. Cum autem ad cognitionem comprehensivam solum requiratur cognitionis omnium eorum, quæ se habent pro priori objectivè ad eam, non obstat rationi comprehensionis non attingere quæ sunt posteriores ad ipsam; perindeque cum cognitioni, qua Verbum procedit à Patre solum præsupponatur objectivè Divina essentia cum attributis, talis cognitionis est ejus comprehensiva, esto pro illo signo non attingat Sanctissimam Trinitatem. Ex quo facile responderetur in forma.

110. *Ad conf. Resp.* quod Verbum procedit per cognitionem & notitiam intuitivam eorum, quæ sunt in Deo pro priori ad illam; non verò eorum, quæ sunt pro posteriori ad eam: quia hæc non possunt, cum sint pro posteriori, terminare notitiam intuitivam pro sui priori: ad modum quo prædicata Dei absolute sunt priora prædicatis relativis; & ideo non possunt relativa præintelligi absolute; unde licet in Deo sit Trinitas ab æterno, quia in illa consideratur & prioritas originis, & in modo procedendi prioritas signorum; cum questio procedat in hoc sensu, in eo non probatur quod Verbum procedat ex omnibus, quæ sunt in Deo per notitiam intuitivam illorum: alias probaretur procedere ex decretis liberis.

111. *Dices II.* Verbum Divinum procedit ex cognitione eorum, quæ Pater dicit ipso Verbo; sed Pater ipso Verbo dicit

dicit se Verbum ipsum , & Spiritum Sanctum : ergo Verbuni procedit ex eorum cognitione. *Major* videtur certa : Nam quæ Pater dicit , est necessarium , quod ea antea cognoscatur ; *Minor* vera afferitur ab Augustino & aliis PP. Respondetur , quod Verbum Divinum unum dicit primariò , & alia secundariò : sicut Scientia Dei se habet in attingentia objectorum . Verbum autem Divinum solum procedit ex cognitione eorum , quæ Pater dicit primariò ipso Verbo , quæ solum sunt essentia , & attributa ; non vero eorum , quæ dicit secundariò ipso Verbo : alias procederet ipsum Verbum ex cognitione creaturarum : cum PP. plures afferant , Parrem se & omnia dicere Verbo. Alia leviora mittimus , quia facile ex dictis solvi possunt.

112 *Dicendum tamen* , quod licet Verbum Divinum non procedat objectivè ex cognitione Sanctissimæ Trinitatis , cognition , qua procedit ex Patre , attingit exercitè Sanctissimam Trinitatem. Ratio autem est , quia cognition , qua procedit Verbum à Patre , est reflexiva supra se ipsam , sicuti sunt omnes cognitiones Dei. Nam alias daretur in illis processus in infinitum : ergo cognition , qua procedit Verbum à Patre , est cognition , qua Pater generat Filium , & Filius generatur à Patre : ergo per illam attingitur , & cognoscitur Pater cum Filio , & attinguntur ut unum principium Spirativum Spiritus Sancti , ergo ea cognitione , qua attinguntur Pater , & Filius , attingitur etiam Spiritus Sanctus ; & consequenter ex vi cognitionis , qua procedit Verbum à Patre , cognoscitur exercitè , & terminativè Sanctissima Trinitas : per quod fit satis aliquot locutionibus PP.

ART. XV. *An Verbum procedat ex cognitione possibilium , & futurorum?*

113 **Q**uantum ad creaturas possibles est celebris disceptatio inter Theologos : *An Omnipotencia Divina cum illis connectatur , in communi , & etiam in particulari?* Quidam tenent omnino connecti , non solum in communi , verum etiam in particulari ;

Tt

alii

alii solum connecti cum illis in communi, non verò in particulari: ac tandem alii nullo modo connecti cum illis, nec in particulari, nec in communi. Quæ quæstio nunc non est dilutienda; sed proprio loco resolvenda tamen juxta cuiusque mentem.

114. *Dicendum*, quod si omnipotentia connectitur cum creatis possibilibus in communi, aut particulari, Verbum Divinum procedit ex eariam cognitione; secus vero si cum illis nullo modo connectitur. Duas partes continet Thesis. I. prob. Quia Verbum procedit ex cognitione comprehensiva. Omnipotentia, quæ est prædicatum absolutum Dei: ergo si omnipotentia connectitur cum possibilibus, Verbum necessariò procedit ex possibilium cognitione. *Ant. est certum. Conseq. prob.* Quia non potest stare cognitio comprehensiva aliquius rei, nisi sit cognitio omnium respectuum illius; sed omnipotentia dicit respectum ad possibilia ratione connectionis ad illa (ut supponitur in hac sententia) ergo non potest stare cognitio comprehensiva omnipotentia, nisi stante cognitione possibilium, ad quæ dicit respectum, & connectionem.

115. Secundâ pars Thesis prob. contrario arguento. Quia cognitio comprehensiva alicuius rei solum exigit attinere ipsam rem, & omnes ejus respectus; non autem ea, cum quibus respectum non habet, sed in hac sententia omnipotentia non habet respectum ad possibilia: ergo potest stare cognitio comprehensiva omnipotentia, sine possibilium cognitione.

116. De futuris convenienter communiter Theologi Verbum Divinum non procedere ex eorum cognitione: & ratio est, quia in Deo priora sunt prædicta necessaria, quam prædicata libera. Nam prius est subiectum esse completere constitutum in linea essendi, quam in linea operandi; sed Sanctissima Trinitas pertinet in Deo ad lineam essendi: ergo Sanctissimæ Trinitas prætupponitur in Deo ad lineam operandi. *Tum sic*, sed futura sunt posteriora operationibus, & decretris liberis Dei: ergo sunt posteriora Trinitate, & consequenter Verbum non potest procedere à cognitione futurorum.

ART. XVI. An sit proprium Filii esse imaginem Patris?

117 R Atio imaginis non stat solum in similitudine unius ad alterum, alioquin unum objectum esset imago alterius; nec in sola productione unius ab altero, alioquin vermis, qui ex homine generatur, ejus esset imago. Unde ratio imaginis stat in ratione similitudinis, ut producta ad aliquid representandum, ut ex Augst. notant Theologi.

118 Filium ergo esse imaginem Patris docuit Apostolus ad Colosenses cap. 1. his verbis: *Qui est imago Dei invisibilis.* Et ad Hebreos cap. 1. dicitur *Figura substantiae ejus.* Et PP. communiter, ut Athanasius Epist. de Decretis Nicenæ Sinodi: Basilius Hom. 16. Augustinus, Cyriillus, plurimique alii. Quod autem soli Filio, & non alteri conveniat ratio Imaginis, prob. quia juxta Augst. lib. 83. quæst. 74. Imago est similitudo expressa ad suum exemplar representandum; sed solus Filius respectu solius Patris procedit ut similitudo illius ex vi processionis, & sic illum representat: ergo solus Filius est vere illius imago. *Min. constat ex dictis disputando;* qua ratione processio Verbi fit generatio, & non processio Spiritus Sancti. Et licet aliqui PP. vocent Spiritum Sanctum imaginem Filii; hæc locatio est inproposita: solum vero voluerunt significare similitudinem cum Filio, non vero rationem propriam imaginis: quia etsi procedat à Filio & Patre, non procedit similis illis ex vi processionis:

119 Plura alia sunt nomina, quibus Filius nominatur in Scriptura, ut splendor, virtus, & Sapientia Patris, aliaque, quæ facile est cognoscere, qua ratione convenienter omisisse metaphoricis, quæ plurima sunt: de quibus

Scripturæ Interpretes consuli

possunt.

ART. XVII. De Tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis , quæ est Spiritus Sanctus.

120 **H**AEC Vox *Spiritus* multis modis in Scriptura accipitur , jam pro aere , & vento , jam pro motione & impulsu , vita , jam pro anima , jam pro substantia incorporea , quales sunt Angeli , & Demones , aliisque rebus , de quibus consulendi Sacrae Scripturæ Interpretæ . Deusque est Spiritus , & est Sanctus ab attributo sua sanctitatis , & hoc modo esse Spiritum Sanctum , est quid commune Sanctissimæ Trinitati ; verum hæc vox *Spiritus Sanctus* per modum unius dictionis solum convenit tertia Personæ Sanctissimæ Trinitatis , quæ spiratur à Patre , & Filio ; & quia voluntate spiratur , dicitur *Spiritus* ; & quia voluntas Dei , & ejus amor est ipsius sanctitas formalis , *Sanctus* dicitur .

121 *Queritur IV.* an Spiritus Sanctus procedat à Filio . Hac de re nihil disceptationis quatuor primis Ecclesiæ sæculis : Nestorius Constantinopolitanus Antistes post damnatos Macedonianos Hæreticos negantes Divinitatem Spiritus Sancti , semina jecit huic controversiæ , ex qua orta est dissensio Orientalis , & Occidentalis Ecclesiæ . Nam cum Sanctus Cyrilus Alexandrinus perculisset suis Anathematismis Nestorium negantem unitatem Personæ in Christo , & processionem Spiritus Sancti à Filio ; Theodoretus hac in re feso Cyriolo opposuit ; sed cum damnasset Nestorium ab Ephesino Concilio damnatum , in gratiam rediere , sopia pro tunc controversia de processione Spiritus Sancti à Filio . Qua propter aliqui Græcorum sine dispendio unitatis , ut plures censem , tenuerunt Spiritum Sanctum à Filio non procedere , sed à solo Patre : quoisque Photius per vim , & fraudem intrusus , contra Sanctissimum Patriarcham Ignatium , id non sustinentibus Romanis Pontificibus Nicolao , & Adriano , in apertum schisma prorupit , eis excommunicatis , & proscriptis anno 860. quod & continuavit apertissimè Michael

Cæclarius Patriarcha, ad annum 1050. secutique ex tunc majori ex parte Græci Antistites nunc usque; et si variis temporibus tentata sit concordia, quæ deum peracta in Conclio Florentino sub Eugenio IV. anno 1439. Sed cum plures ex Græcis, qui Concilio adstiterant ad proprias remeassent sedes, reversi ad vomitum, sublestam eorum fidem ultus est Deus, capta à Turcis Constantiopoli anno 1453. Pentecostes Festo; ut qui in Spiritum Sanctum peccarant, festis diebus Spiritus Sancti, justas suæ perfidiae luerent penas. Qui plura scitu digna ad historiam hujus schismatis scire optat, legat Doctum Maimbourg in Libris conscriptis de eo, ac Leonem Allatium lib. de Confessione utriusque Ecclesie Orientalis, & Occidentalis, & Le Quien in i. Dissert. ad opera S. Damasceni.

122 Quando autem additio de processione Spiritus Sancti à Filio Symbolo facta sit: disceptant Auctores, & quidem plures contendunt primum factam in Hispania in Concilio Toletano I. Verum alii edocent factam à Romanis Pontificibus circa annum 600. Attamen his, quia hæc ad Historiam pertinent, missa facio Græcorum error damnatus est in Concilio Barense sub Urbano II. in Lateranensi sub Innocentio III. in Lugdunensi sub Gregorio X. ac tandem in Florentino sub Eugenio IV.

123 Dicendum ergo Spiritum Sanctum, non solum à Patre, sed à Filio procedere. Prob. I. ex illo Joannis 16. ubi Christus loquens de Spiritu Sancto ait: *Ille me clarificavit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis:* in quibus verbum accipiet, et si sonet de futuro, necesse est accipi de præterito; quia Spiritus Sanctus, ut pote Deus, nihil potest accipere de Christo, qua homine: ergo Spiritus Sanctus ab æterno accipit de Filio, quod annuntiaret Apostolis; sed hic accipiendi modus non potest aliter esse, nisi per processionem à Filio: ergo Spiritus Sanctus à Filio procedit.

124 Urgetur. Nam Christus ideo dixit *de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, quia quæcumque habet Pater, ejus sunt per æternam generationem: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Propterea dixi: *quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis:* ergo Spiritus Sanctus accipit de eo, quod erat Christi

Christi communicatum à Patre, & Ideo notanter dixit: *De meo accepit.* Sed hæc communicatio Patris ad Filium est ab aeterno: ergo communicatio Spiritus Sancti à Filio non potest non esse ab aeterno.

125. *Prob. II.* Quia quidquid est in Patre, est in Filiō, excepta Personalitate, & Paternitate juxta prefata verba: *Omnis quecumque habet Pater, mea sunt;* sed Pater habet virtutem spirativam Spiritus Sancti: ergo eandem habet Filius, & consequenter necessario procedit ab illo Spiritus Sanctus. *Prob. III.* Quia missio unius Personæ ab alia in Divinis importat originem unius ex alia. Nam missio in Divinis non importat præceptum, aut imperium; sed Filius mittit Spiritum Sanctum, juxta illud Joannis cap. 16. *Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos:* *Si autem abiero, mittam eum ad vos:* ergo Spiritus Sanctus originem habet ex Filiō. *Prob. IV.* Quia Spiritus Sanctus est Spiritus Filii juxta illud ad Galatas cap. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui,* &c. Sed non potest esse Spiritus Filii, nisi ratione processionis ab illo: ergo Spiritus Sanctus à Filio procedit. *Mis. constat.* Quia non est excogitabilis alia ratio quam originis. *Tandem probant* communiter Theologi, quia si Spiritus Sanctus à Filiō non procederet, non distingueretur realiter ab illo; sed quia de hoc non levis concertatio inter Theologos (de qua post) ideo ab ea supersederemus.

126. Patres tam Graci, quam Latini in eadem fuere sententia, quorum loca brevitati consumentes, solum indicabimus. Ex Gracis Athanasius epist. ad Serapionem, Greg. Iliberitanus lib. de Trinitate ad finem, Basilius lib. 3. contra Eunomium, Cyrillus Hierosolimitanus Cathechesi 16. Didymus lib. 3. de Spiritu Sancto. Nyssenus lib. 1. contra Eunomium, & epist. ad Flavianum. Epiphanius heresi 62. & 74. & plures in Ancorato. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Antirreticon, Comment. in Joelem, lib. de Recta Fide lib. 34. Thesauri. Dialogo 6. 7. & 10. lib. 10. in Joannem; sed præcipue Responso ad Orientalium objecta Anathematismo 9. Anastasius Sinaita lib. 1. de Rectis Dogmatibus. S. Maximus Monachus Tract. de Candelabro Zachariae, & plures alii.

127 Ex Latinis Tertullianus contra Praxeam cap. 4.
Marius Victorinus lib. 1. contra Aerium Hilarius lib. 2. &
8. de Trinit. etiam 8. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto
cap. 10. lib. de Symbolo cap. 1. in Lucam lib. 8. cap. 184
Augustinus lib. 4. & 15. de Trinit. lib. 3. contra Maximinum
cap. 14. lib. 3. contra Sermonem Arianorum cap. 23. lib. 24
de Symbolo cap. 9. tract. 99. in Joannam, Fulgentius de
Eide ad Petrum cap. 2. & 11. lib. de Trinit. & Responione
ad quæst. 3. Ferrandi Prosper lib. 1. de Vita Contemplativa
Leo Papa epist. 93. Serin. 2. de Pentecostes, Idacius contra
Varimandum, Vigilius lib. 1. contra Euthychen. Eucherius
Lugdunensis lib. quæst. 1. Boetius lib. de Trinit. Gennadius
Massiliensis de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 11. Gregorius
Magnus Hom. 26. in Evangelia, lib. 1. Dialogorum, Isidorus
Hispalensis lib. 7. Etymolog. cap. 4. lib. 2. Differentia-
rum num. 3. lib. 1. Sent. cap. 15. Sanctus Beatus lib. 1. con-
tra Elipandum. Aliisque plurimi.

128 Quanquam subsit disputationi, quo tempore addi-
ta sit Symbolo particula *Filioque procedit*. Certum est, quod
in primo Concilio Tolerano anno 400. in Regula Fidei, qua
(ut diximus in nostra Hispaniar Historia) edita est ab eo Con-
cilio, reperitur expressa, sicuti in Concilio 3. Toletano anno
589. in professione Fidei, in qua dicitur: *Credimus & in*
Spiritum Sanctum, & vivificatorem ex Patre, & Filio pro-
cedentem. Contrariusque error à pluribus creditur proscriptus
quinque Generalibus Synodis, nempe Concilio Ephe-
sind part. 1. cap. 14. Chalcedonensi, actione 5. in 5. Synodo
Act. ult. in 6. Act. 17. in 7. Act. 17. quatenus in eis probata
fuit epist. Cyrilli ad Nestorianum, in qua dicitur: *Spiritus ap-*
pellatus est veritatis & veritas Christus est, unde est ab illo
similiter: sed hæc, aliaque examinare ad Regulas Criticae,
aliis relinquimus.

129 Gracorum fundamenta sunt I. quia Christus lo-
quens de Spiritu Sancto Joannis 15. dicit, quod à Patre pro-
cedit, & non ab ipso: *Spiritus qui à Patre procedit, ille te*
stimoniū perhibet de me: & non dicit procedere ab ipso:
ergo. II. quia in Symbolo Apostolorum, nec Nicano, nec
Constantinopolitano habetur Spiritum Sanctum procedere à
Filio.

Filio, & sine hoc additamento conservatum à Leone III. in tabula argentea in Ecclesia S. Pauli: dirisque devotus est à PP. qui aliquid Symbolis addiderit: ergo particula à *Filio procedit*, nefarie addita est à Latinis. III. quia Pater se solo est sufficiens ad productionem Spiritus Sancti: ergo sine Filio produxit Spiritum Sanctum. *Prob. Conseq.* Quia productio Spiritus Sancti non est voluntaria, & libera Patri; sed necessaria: ergo si se solo est sufficiens ad ejus productionem, se solo illum produxit.

130 *Resp. ad I.* quod eo loco docet Christus Spiritum Sanctum à Patre procedere; sed non docet à solo Patre procedere, quod erat necessarium, ut Græci intentum tenerent; sed hoc, quod hoc loco non expressit Christus, locis à nobis citatis satis nobis indixit. Estque clara instantia argumenti illis verbis Christi Joannis 17. *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum verum Deum; O quem misisti Iesum Christum.* Quibus innui videtur, quod ad consequendam vitam æternam sufficit cognitio Patris, & Filii, & non est necessaria cognitio Spiritus Sancti; cum de eo sermo non sit prædicto loco, quod non concedent Græci: unde similiter, quod præfato loco asseratur processio Spiritus Sancti à Patre, & non à Filio, non infertur quod à Filio non procedat.

131 *Ad II.* *Resp.* quod aliud est, sit ne recte inserta Symbolo processio Spiritus Sancti à Filio, & aliud aut ea vera sit; potest enim aliqua veritas esse de fide, & tamen non inserti Symbolo, nisi stante legitima auctoritate, ut transubstantiatio Eucharistica, quæ etsi de Fide sit, sine legitima auctoritate Symbolo addi non potest. In præsenti vero injustè conqueruntur Græci; *Tum* quia processio Spiritus Sancti à Filio est de fide. *Tum* quia sicut ad Symbolum Apostolorum Concilium Nicænum addidit majoris expressionis gratia, ad eliminandum Arii Dogma *consubstantialitatem Patris cum Filio;* & Concilium Chalcedonense ad propulsandum errorem Macedonii de Spiritu Sancto addidit Symbolo Nicæno verba, quibus clare asseritur Divinitas Spiritus Sancti: ita & Ecclesia licuit addere Symbolo processionem Spiritus Sancti à Filio, ut ab omnibus expresse credatur.

Ad

¹³² Ad III. Resp. quod licet Pater sit per se sufficiens in actu primo ad productionem Spiritus Sancti; attamen exerceite & in actu secundo sine Filio non potest producere Spiritum Sanctum: quia hoc ipso, quod primo communicaverit Filio virtutem spirativam, sine illo non potest spirare Spiritum Sanctum; & sic necessario cum Filio spirat illum. Estque clara fallacia argumenti ex simili forma: Pater per se est sufficiens ad producendas creatureas: ergo se solo illas produxit: est mala consequentia; quia sufficientiam omnipotentiae communicavit Filio; & Spiritui Sancto pro priori ad exercitium omnipotentiae. Pari modo dicendum de potentia spirativa Patris respectu Filii ad Spiritum Sanctum.

ART. XVIII. An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, sed à solo Patre, distingueretur realiter ab illo?

¹³³ HÆC quæstio latissime discutitur à pluribus Theologis, eo quod in disputationibus habitis in Concilio Florentino cum Græcis super processione Spiritus Sancti à Filio, Joannes Theologus pro Latinis Græcos urgebat ex eo, quod Spiritus Sanctus erat Persona realiter à Filio distincta; & non posset esse realiter distincta, si à solo Patre procederet, & non à Filio. Hujus ergo argumenti occasione præsens quæstio agitata est à Theologis sub ea hypothesi omnino impossibili: in qua debet supponi, quod Pater non communicaverit Filio virtutem spirativam Spiritus Sancti, si solus illum spiraret, & produceret. Quæ quæstio satis spinosa, plus valet ad exercenda ingenia, quam ad excipiendam ex ea frugem aliquam animæ.

¹³⁴ Thomistæ ergo, aliorumque Theologorum plurimi tenent, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo. Contrarium tenet Schola Scotti, aliisque Theologi.

¹³⁵ Dicendum nobis, quod in hypothesi, quod Spiritus Sanctus procederet à Patre, & non à Filio, adhuc distingue-

retur realiter ab illo. Pluribus probatur nostra Sententia ab eis defensoribus: Nos paucis. *Prob. ergo I.* Quia in praefata hypothesi, processio Spiritus Sancti esset diversa, à processione Filii: ergo in dicta hypothesi Spiritus Sanctus esset diversus à Filio. *Ant. est certum.* Quia in dicta hypothesi processio Filii esset per intellectum & Spiritus Sancti per voluntatem. *Conseq. prob.* Quia diversa processio activa debet habere terminum diversum: nam alias processio secunda nihil produceret, quod non esset productum à prima; sed processio activa Filii, & Spiritus Sancti essent diversæ processiones activæ: ergo Filius, & Spiritus Sanctus earum termini essent diversi.

136 *II.* Quia in ea hypothesi Pater spirans Spiritum Sanctum, produceret aliquid reale ex vi spirationis; sed non spiraret Filium: ergo spiraret Spiritum Sanctum à Filio distinctum. *Major est certa.* Quia spiratio, sicuti productio, non potest esse sine termino. *Minor autem prob.* Quia pro priori ad spirationem, Filius esset genitus: ergo Pater spirans, ex vi spirationis non produceret Filium. *Prob. Ant.* Nam processio Filii est per actum intellectus, spiratio autem per actum voluntatis; sed actus intellectus est ordine prior actu voluntatis: ergo pro priori ad spirationem Filius esset genitus, & consequenter diversus à termino spirato, qui esset Spiritus Sanctus.

137 *III.* Quia in hypothesi, quod Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre, realiter à Patre distingueretur: ergo pariter, si procederet à Patre, & non à Filio, realiter à Filio distingueretur. *Ant. videtur certum.* Quia tunc Pater pro priori ad spirationem Spiritus Sancti à Filio esset ad aquatè & completere existens. *Conseq. autem prob.* Quia in praefata hypothesi pro priori ad spirationem Filius esset ad aquatè & completere existens: ergo in praefata hypothesi Spiritus Sanctus distingueretur realiter à Filio; et si ab illo non procederet. Hoc autem ratio est: quia unumquodque per id, per quod constituitur, per id distinguitur ab omni alio; cum autem Divina Personalitates sint quasi specie diverse, una alia esse non potest; & ideo intrinsecè per se ipsas distinguntur inter se. Unde personalitas Spiritus semper constituit Personam

Spi-

Spiritus Sancti , sicuti nunc illam constituit procedens à Pa-
tre , & Filio , sive à solo Patre , vel à solo Filio procederet:
ad modum quo idem numero homo potest produci à solo
Deo ; vel à Deo & muliere , vel ab homine , & muliere ; quia
causalitas non diversificat identitatem effectus ; atque adeò
Philosophorum plures docent , quod idem effectus potest
procedere à pluribus causis divisive , hoc est , hac , vel illa. Ita
ergo personalitas Spiritus Sancti semper ex se habet consti-
tuere ejus personam , sive procedat à Patre & Filio , uti nunc
procedit , sive procederet à solo Patre , vel à solo Filio sub
impossibili hypothesi.

138 Arguitur contra nostram sententiam communissi-
mo adversariorum argumento : Quia in Deo omnia sunt
unum , ubi non adest relationis oppositio , ut fert commune
axioma ex Boetio , & Anselmo ; hoc est , relatio producentis ,
& producti ; sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio ,
non esset inter illos relatio producentis , & producti : ergo
inter illos esset omni modo unitas , & non distinctio realis.
Maj. prob. ex Concilio Toletano XI. in fidei confessione ,
ubi ait loquens de distinctione personarum : *Hoc solo num-
rum insinuant , quod ad invicem sunt : & hoc solo numero ca-
rent , quod in se sunt ;* sed esse ad invicem est esse relativa : er-
go in Deo , quæ non sunt relativa , omnino sunt unum.

139 *Prob. Maj. II.* Quia in Concilio Florentino Sess. 18.
Joannes Theologus asseruit consensu Græcorum , & Latini-
norum id : habeturque in Bulla Eugenii IV. ad Jacobitas :
Hæ tres Personæ sunt unus Deus , non tres Dii &c. omnia-
que sunt unum , ubi non obviat relationis oppositio. *III.*
prob. Maj. Nam spiratio activa non distinguitur realiter à
Paternitate , & Filiatione , quia non dicunt relativam oppo-
sitionem : ergo ubi non est relativa oppositio , necesse est ut
sit in Deo omni modo unitas.

140 Huic argumento respondent Scotisti , quod in hy-
pothesi questionis , etsi Spiritus Sanctus à Filio non proce-
deret ; adhuc à Filio distinguoretur propter relationem dispara-
tam inter utrumque ; attamen cum hæc relatio disparata
aliud non sit , quam Spiritum Sanctum non esse Filium ; nec
è contra , non solvitur argumentum : cum eo intendatur ex

hypothesi idem fore realiter Filium, & Spiritum Sanctum.

141 Missa hac solutione, pro argumenti responsione advertendum quod Græci Schismatici, etsi negarent processionem Spiritus à Filio, nunquam confuderunt Personas Sanctissimæ Trinitatis; sed semper eliminato Macedonii errore, confessi sunt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres Personas ejusdem naturæ, & essentiæ, consubstantiales, & æternas, fatentes Filium à solo Patre procedere: & errantes, dum docent à solo Patre, & non à Filio procedere Spiritum Sanctum, hunc per voluntatem, & Filium per intellectum; & hac ratione Spiritum Sanctum à Filio realiter distinguui.

142 His iactis. *Resp.* quod in Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; & quod nec de facto nec de possibili potest dari in Divinis distinctio realis, nisi detur oppositio relativa; attamen hæc oppositio relativa est duplex, una producentis, & producti, alia prioris, & posterioris. Nam si Spiritus procederet à solo Filio, & non à Patre, adhuc à Patre realiter distingueretur, non per relationem producentis, & producti; sed per relationem prioris, & posterioris. Pariter ergo, etsi Spiritus Sanctus distinguatur à Filio per relationem producentis, & producti: hac oppositione relativa sublata, adhuc maneret in Spiritu Sancto relatio prioris, & posterioris: quia processio Filii, ut pote per intellectum, esset prior origine processione Spiritus Sancti, ut pote per voluntatem: & hac de causa Concil. Tolet. XI. in Confessione fidei ait. *Neq; ulla in Deo necessitas erit, nec voluntas sapientiam prævenit:* Qua ratione Græci distinguebant Personam Filii à Persona Spiritus Sancti: unde sublata processione Spiritus Sancti à Filio, adhuc maneret inter illos oppositio relativa prioris, & posterioris, per quam realiter distinguerentur; cum idem non possit esse prius, & posterius. Ex quo disjectæ manent probationes. *Tum* quia Concilium Toletanum solum dicit, quod relationes solum insinuant, & manifestant numerum personarum, quod Nos ultro concedimus. Et licet Joannes Theologus arguerit, quod Spiritus Sanctus, si non procederet à Filio, non distingueretur ab eo;

argum.

argumenta disputationum in Conciliis non sunt tanti momenti, ut ea recipere teneamus ut infallibilia. Ad locum ex Bulla Eugenii *Resp.* nihil nostræ sententia officeres quia in ea semper adest relationis oppositio secundum rationem prioris, & posterioris. *Tum* denique, quia quod dicitur de spiratione activa, nihil officit; quia supponit Patrem, & Filium adæquate constitutos, cum in Deo operationes ad intra sint Personarum; ac proinde spiratio activa constituere non potest Personas Patris, & Filii; sed solum spiratio passiva Personam Spiritus Sancti, quæ, et si non procederet à Filiō, sed à solo Patre; semper haberet cum Filiō relationem prioris, & posterioris, quæ eidem Personæ & secundum idem convenire non potest.

143 Ex dictis elicetur, quod et si Spiritus Sanctus à Filiō non procederet; semper esset ordine tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis. Nam cum Pater sit prima Persona, & Filius procedat per intellectum, qui est prior in operando, quam voluntas; cum Spiritus Sanctus per voluntatem procedat, semper erit prior processione Filius, quam Spiritus Sanctus; atque hic semper foret tertia Persona, et si à Filiō non procederet.

ART. XIX. An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filiō, tanquam ab uno principio?

144 IN controversia inter Græcos, & Latinos de processione Spiritus Sancti à Filiō non levius causa fuit ex parte Græcorum, quod putarent Latinos, per hoc quod assererent Spiritum Sanctum à Filiō procedere, docere consequenter quod Spiritus Sanctus procedebat à Patre, & Filiō, tanquam à duobus principiis: quod longissime fuit à sensu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

145 Dicendum ergo, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filiō, non tanquam à duobus principiis; sed solum ut ab uno principio. *Prob.* I. ex *Concilio Lugdunensi cap.*

Firmiter de Summa Trinitate, Concilio Florentino in Litteris Unionis id expresse edocentibus. II. ex Augustino lib. 5. de Trinit. aliisque PP. apud Petavium. III. quia virtus spirativa eadem est in Patre, & Filio. Nam Pater per aeternam generationem omnia Filio communicavit præter esse Patrem: ergo solum sunt unum principium Spiritus Sancti. *Prob. Conseq.* quia Pater, & Filius in tantum sunt principium spirandi Spiritum Sanctum, in quantum habent virtutem spirandi; sed eadem & indivisibilis est virtus spirandi in Parre, & Filio: ergo Pater, & Filius sunt unicum principium Spiritus Sancti.

146 Conf. Quia Divina omnipotentia eadem est in tribus Personis Divinis, haec non possunt dici tres omnipotentes, nec tria principia creaturarum: cum omnipotentia sit prædicatum pertinens ad naturam Divinam; & sicut haec est una in tribus Personis, & in eis non multiplicatur, & ideo tres Persona sunt unus Deus: ita & sunt unus omnipotens. Ergo cum esse principium Spiritus Sancti conveniat Patri, & Filio ratione naturæ, & ejusdem voluntatis; ratio principii non potest in eis multiplicari; sed necessario debet esse in eis unica, & indivisibilis.

147 Sed dices: Spiritus Sanctus per se expedit procedere à Patre, & Filio, tanquam à duobus; sed hoc ipso Pater, & Filius non possunt esse unum principium Spiritus Sancti: ergo Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio, ut ab unicó principio. *Prob. Maj.* Quia Spiritus Sanctus exigit procedere à Patre, & Filio, ut mutuo se amantibus; sed amor mutuus non potest esse, nisi inter duos, ut patet: ergo Spiritus Sanctus exigit procedere à Patre, & Filio, ut à duobus; & consequenter non ut ab uno Spiratore.

148 Resp. Quod Spiritus Sanctus exigit per se procedere à Patre, & Filio, quia Pater generans Filium, non potest non illum diligere; & Filius genitus à Patre non potest non Patrem diligere: & sic amor eorum est mutuus. Cæterum cum amor, quo se diligunt, sit idem (nam non est diversus amor, quo Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem) fit, quod uno amore spirant Spiritum Sanctum, ac proinde solum sunt unicum ejus principium: sicuti tres Persona Divinae sunt unus creator, & principium creaturarum ratione unius omnipotentiaz.

ART.

ART. XX. Ex quorum amore procedat Spiritus Sanctus?

149 **R**esp. quod ex amore essentia Divinæ, & omnium attributorum, ac Patris & Filii. *Ratio est*, quia Spiritus Sanctus procedit ex eo amore, cuius objectum est objectum primarium Divinæ voluntatis, & illud ad quod terminatur pro priori sui; sed objectum primarium Divinæ voluntatis est essentia Divina cum attributis, prout existens in Patre & Filio: ergo Spiritus Sanctus procedit ex amore essentia, attributorum, nec non Patris, & Filii.

150 De Possibilibus est quæstio hypothetica. Nam in Sententia afferente Deum necessario amare creaturas possibles ratione connexionis necessariæ cum omnipotentia, dicendum erit, quod Spiritus Sanctus procedit ex eatum amore. Quia amor omnipotentie, & termini illius connexioni cum illa necessariò se habet pro priori ad processionem Spiritus Sancti: unde Spiritus Sanctus non potest non procedere ex amore illarum. In Sententia vero illorum, qui docent Deum libere diligere creaturas possibles, dicendum Spiritum Sanctum non procedere ex earum amore. Quia, cum in Deo sit prior operatio necessaria quam libera; cum processio Spiritus Sancti sit operatio necessaria, non potest non esse prior libero amore possibilium; & consequenter non potest ex earum amore libero procedere.

151 De amore creaturarum futurorum communis est Sententia Theologorum, Spiritum Sanctum non procedere ex earum amore. *Tun* quia processio Spiritus Sancti est necessaria; & amor creaturarum est liber, & sic subsequitur ad processionem Spiritus Sancti. *Tun* quia decreta libera, & operationes ad extra supponunt Deum adæquate constitutum ad intra, ac proinde supponunt processionem Spiritus Sancti; perindeque non potest Spiritus Sanctus procedere ex earum amore: & ideo decreta libera, & operationes ad extra sunt communes Trinitati.

152 Ex dictis patet solutio ad quæstiunculam quæ magis

videtur de nomine , quam de re : an scilicet processio Spiritus Sancti sit libera ? Scotistæ asserunt esse liberam libertate essentiali ; cæterum si queratur ab eis , an sit contingens , ita ut potuerit non esse , sive ab intrinseco , sive ab extrinseco : dicunt nullo modo esse contingentem . Si autem queratur ab eis , an sit libera libertate contradictionis , ita ut potuerit non esse , sicuti est libera Deo creatio , & productio creaturarum : Respondent processionem Spiritus Sancti non esse liberam Deo , sicuti est productio creaturarum . Theologi omnes convenient processionem Spiritus Sancti esse voluntariam , quia est per voluntatem : & quia non est per voluntatem coactam , esse omnino spontaneam ; & quia est ex ipsa natura , & constitutione Divina voluntatis , ita ut non possit non prodire in spirationem Spiritus Sancti , est omnino naturalis & necessaria ; ita ut sit ab intrinseco indefectibilis .

153 Horum omnium ratio est , quia amor Dei erga se est omnino necessarius : & huic amori est omnimodo necessaria in Patre , & Filio spiratio Spiritus Sancti ; ita ut pro coram nutu impediti non possit : ergo nullo modo nec juris processio Spiritus Sancti à Patre , & Filio , potest dici libera . Confirm . Nam libertas essentialis vel habet aliquam indifferentiam , vel non habet ; sed in Sententia Scotistarum nullam habet indifferentiam , sed habet omnimodam determinationem : ergo non potest esse vera libertas , sed abusive dicetur talis . Quia communiter Theologi docent , voluntatem creatam & posse operari per modum naturæ , & necessario , uti Beati diligunt Deum , & operaretur necessitate à Deo , & posse operari , ut liberam , & utroque modo operationem fore voluntariam , sed primo modo operationem esse necessariam voluntati : & hoc modo dicimus esse necessariam processionem Spiritus Sancti à Patre , & Filio .

ART. XXI. An Pater, & Filius diligent se
Spiritu Sancto?

154 **H**IC modus loquendi: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*, qui habetur apud Augustinum de Trinit. lib. 6. cap. 5. lib. 15. cap. 17. Hieronymum Psalm. 17. Anselmum in Monologio cap. 51. Bernardum, & alios, eam difficultatem Sententiarum Magistro ingessit, ut sese imparem enodanda cognoverit. S. Thom. p. 1. q. 57. Art. 2. plurium explicandi modos recensuit, & insufficienes censuit: de quo plurimi longissimam texunt disputationis finem.

155 *Dicendum videtur nobis*, quod in stricto rigore Theologico dici non potest, quod *Pater, & Filius se diligunt Spiritu Sancto*. Tum quia D. Augustinus retractavit hanc propositionem. *Pater est sapiens sapientia genita*, ut constat ex lib. 1. Retractionum cap. 26. cui est similis: *Pater, & Filius sunt amantes amore producto*; & quæ est identica cum hac: *Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto*. Tum quia Spiritus Sanctus procedit per amorem mutuum Patris, & Filii: ergo non potest esse ipse amor mutuus, ex quo procedit. *Prob. Conseq.* Quia actio est pro priori ad terminum productum; sed amor Patris, & Filii est actio, qua producitur Spiritus Sanctus: ergo prædictus amor est pro priori ad Spiritum Sanctum: & consequenter non potest esse amor, quo se diligunt Pater, & Filius.

156 Unde aptior modus explicandi prædictam propositionem est, qui exhibetur à D. Thoma p. 1. q. 37. Art. 2. est quod *Pater, & Filius diligunt se*, producendo *Spiritum Sanctum*, seu, ut termino necessario dilectionis mutua: ad modum quo dicitur, quod Arbor floret floribus, eos producendo. Nam sunt aliquæ actiones, quæ denominantur, à termino producto, ut actio creativa talis dicitur à creatura producta per illam: sicque dilectio, qua se amant Pater, & Filius, dici potest esse *Spiritu Sancto*, quatenus est terminus per illam productus.

**ART. XXII. An nomen Donum sit proprium
Spiritus Sancti?**

157 **S**piritus Sanctus certum est, quod est amor nationalis, quia procedit per amorem Patris, & Filii, quod convenit ei ex propria notione. Sicque quartatur, quomodo conveniat ei ex propria notione dici *Donum*. *Donum* enim Philosophorum, & Jurisconsultorum consensu id dicitur, quod non metu, non retributione, sed omnino gratis & liberaliter datur. Quod importat duos respectus: unum ad donantem, ita ut aliquomodo sit donatoris id quod donatur; & aliud ad recipientem ipsum donum, nam respectu sui ipsius nemo est donator.

158 In creatis donum potest esse, & quoad proprietatem, & quoad usum; atque adeo certum est, quod Deus quoad proprietatem, & dominium non potest se donare creature: quia Deus supremum dominium ab se abrogare non potest, sicuti nec omnipotentiam; & hoc modo nec Personæ Sanctissimæ Trinitatis possunt subire rationem *Doni*. Ceterum, quoad usum se Deus donat in æterna beatitudine Beatis, Angelis, & Sanctis conspiciendum, & frumentum; attamen, esto sic se communicet Pater, dici *Donum* neutiquam potest: quia *Donum* includit auctoritatem donantis: cumque inter Divinas Personas nulla sit auctoritas, nisi originis: cum Pater sit carens origine: fit inde quod, et si posset communicari, *Donum* dici non potest. Hæc communia apud Theologos.

159 Hinc cum Filius originem habeat ex Patre, & Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio; utsique *Donum* dici potest. Et quidem de Filio I^saias ait cap. 9. *Filius datus est nobis: & Joannes cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ex quo canit Ecclesia: *Nobis datus, nobis natus.* Ex quibus constat, esse quidem donum Dei. De Spiritu Sancto idem constat ex pluribus Scripturæ locis; sed præcipue ex Epist. ad Romanos cap. 5. *Charitas Dei infusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* missis locis Joannis cap. 4. Act. cap. 2. 2. ad Corinth.

cap.

cap. 1. & 5. Unde canit Ecclesia in festo Pentecostes : *Donum Dei altissimi* : & idem docent Sancti Patres apud Ruiz de Montoya , Petavium ; & alios.

160 Attamen in hac re est advertendum , quod Spiritus Sanctus non dicitur *Donum* , per hoc quod sit in nobis per immensitatem communem Patri , & Filio. *Tum* quia sic est omnino necessaria ejus intima inexistentia in omnibus rebus: quæ necessitas tollit rationem doni , de cuius ratione est liberaliter dari. *Tum* quia prædicta existentia est communis omnibus rebus ; & ratio doni non convenit Spiritui Sancto , nisi respectu creaturæ intellectualis : unde per hanc inexistentiam non potest illi competere ratio doni. Estque itidem certum , quod Spiritus Sanctus non dicitur *Donum* , per hoc quod nobis detur per unionem hypostaticam : quia ex fide constat , quod sola Persona Filii unita est hypostaticè , & per propriam personalitatem naturæ creatæ , hoc est , naturæ humanae ; nec etiam per speciale illapsum , aut operationem peculiarem ipsi Personæ , & non communem Patri , & Filio: unde emergit difficultas , qua ratione conveniat Spiritui Sancto ratio *Doni* ex vi sua proprietatis.

161 In quo missis aliorum ratiociniis , placet S. Thomæ discursus. Erenim Spiritus Sanctus cum ex vi processionis procedat à Patre , & Filio per mutuum amorein , & dilectionem , ac perinde ut amor notionalis : amorque sit principium donationis , quia donationes liberales , & gratuitas solus amor efficit : inde est , quod Spiritus Sanctus est *Donum* , quippe procedit per amorem , est amor notionalis , ac amor vindicat sibi rationem maximi doni : unde per hoc ab æterno ex vi propriæ processionis convenit ei ratio doni ; quia convenit ei ratio amoris , quæ ratio est motivum , ut in tempore dona Dei communicentur creaturis. Quia etiam ratione dona gratia , licet effectivè procedant à tota Trinitate , quia communicantur ex mera Dei bonitate attributivè dicuntur in Scriptura opera Spiritus Sancti ; eodemque modo dicitur inhabitare in Justis per gratiam , & charitatem , per easque , atque alia Charismata Justos esse plenos Spiritu Sancto ; & Spiritum Sanctum esse in eis : per quæ facile intelliguntur frequentes de hac re in Sacra Scriptura phrases.

ART. XXIII. De Notione, & Circuminsessione, & Missione Divinarum Personarum.

162 **N**otio, ut præ se fert ista vox, est id, per quod unumquodque cognoscitur, ut ab aliis distinctum. Unde cum Divina Personæ realiter inter se distinguantur, licet sint idem Deus, necesse est eis inesse aliquid, per quod possint cognosci, ut inter se diversæ. Unde qui negarunt in Divinis notiones merito explosi sunt à reliquis Theologis ductis auctoritate S. Basiliæ epist. 43. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 6. Damasceni lib. 3. de Fide cap. 6. ac licet hæc vox *notio* sub hac expressione non inveniatur in Scriptura, & Patribus; invenitur apud eos æquivalentia significati, ad modum quo efferunt Theologi *Transubstantiationis* vocem reperiri in Scriptura, & PP.

163 Difficultas in hac re stat in designando notionum numero. Nam aliqui Theologi solum tres concessere, alii usque ad sex prorogarunt, asseruntque alias & posse excoigitari. Communiter tamen Theologi solum concedunt quinque, nempe innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, spirationem activam, & spirationem passivam. Ratio autem est, quia ea est notio primo & per se, qua primo & per se dignoscuntur Personæ Divinae inter se distinctæ; sed solum primo & per se cognoscuntur Divinae Personæ inter se distinctæ prædictis quinque notionibus: ergo solum prædictæ quinque sunt verè & propriè notiones. *Prob. Minor.* Nam prima Persona per innascibilitatem, quæ est carentia processionis ab alio, distinguitur per se à Personis, quæ ab alio procedunt. Itidem Paternitas distinguit Patrem à Filio, & Filiatione Filium à Patre primo & per se: quippe sunt correlativa: ergo sunt verè & propriè notiones. Cum autem Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio: sitque ab illis distinctus ratione processionis; processio activa distinguit Patrem, & Filium in ratione unius principii ab Spiritu Sancto; & Spiritum

tum Sanctum à Patre , & Filio spiratio passiva , & hoc pri-
mo , & per se : unde de primo ad ultimum fit , quod solum
prædictæ notiones enumeratæ , sunt verè & proprie notio-
nes.

164. *Sed dices :* esse Verbum distinguit Filium à Patre , si-
cūt Filiatio : ergo sicut Filiatio est vera , & propria notio: ita
ratio Verbi necessario habebit rationem notionis. *Resps.*
quod ratio Verbi in Divinis , & potest dici *essentialiter* , &
potest dici *personaliter*. Dicitur *essentialiter* , quando dicitur
ratione essentiæ Divinæ , ut quando dicitur beatos cognosce-
re in Verbo creaturas : quando autem accipitur *personaliter* ,
solum est proprium Filii. Cum autem notio in Divinis sit pri-
mo , & per se ratio distinguendi Personas ; cum id non ha-
beat ratio Verbi nude sumpta , cum accepta *essentialiter* con-
veniat tribus Personis : ideo ratio Verbi non est notio Filii ,
quamquam *personaliter* accepta , sit idem cum filiatione. Ca-
teria quæ obiciuntur , ut distinguantia Divinas Personas in-
ter se , quia non illas distinguunt primo , & per se; sed ex con-
sequenti ; ideo à ratione notionis excluduntur.

ART. XXIV. *De Circuminfessione Divi- narum Personarum.*

165. **C**ircuminfessio mutua Divinarum Personarum
Theologorum sententia nihil aliud est , quam
inexistentia unius Personæ in alia : ad modum quo , si duo
corpora æqualia forma , & figura invicem penetrarentur.
Nam ea ratione corpus A. esset in corpore B. & corpus B. in-
corpore A. Igitur inter Divinas Personas esse mutuam inexis-
tentiam concors est Ecclesiæ & PP. sententia : quia Ecclesia
in hymno ad Laudes Feriæ 2. canit : *In Patre totus Filius , &*
totus in Verbo Pater , & PP. clarissime , præsertim relati à
Ruiz , Petavio , & aliis , edicti ab ipso Christo , qui Joannis
cap. 10. dixit : Ego in Patre , & Pater in me est . Idemque ha-
betur cap. 14. Et de Spiritu Sancto id docet Apostolus 1. ad
Corinthios cap. 2. His Verbis : Quæ sunt Dei , nemo novit , ni-
si Spiritus Dei , qui in ipso est .

Diss.

166 Difficultatis ratio stat in designando principio circummissionis inter Divinas Personas. Aliqui eam censuere esse ipsarum relationes; sed licet relationes sint sicut natura, & cognitione, suntque inseparabiles earum termini; non interfert mutuam inter se inexistentiam, quippe in creatis relatio Patris, & relatio Filii omnia praedicta habent, & Pater non existit in Filio; nec è converso Filius in Patre: ergo relationes Personarum in Divinis non possunt esse ratio circummissionis illarum. Alii tenuere circummissionem stare in inseparabilitate Divinarum Personarum: quia ubi est una Persona, est etiam altera. At hoc solum probat coexistentiam Divinarum Personarum in ordine ad locum; non vero inexistentiam earum inter se. Alii tandem docent circummissionis rationem stare in identitate naturæ Divinæ in ipsis Personis. Attamen cum hæc identitas non obsit reali distinctioni Divinarum Personarum inter se; non videtur evincere inter se mutuam inexistentiam. Nam personalites sunt inter se opposita, & ratione oppositionis videtur, quod una non possit existere in alia.

167 Vera ergo ratio circummissionis est ipsa ratio immensitatis, quæ adest omnibus, & singulis Personis Divinis. Etenim quod est immensum, intime existit in omni realiter ab ipso distincto; sed qualibet Persona Divina est immensa secundum se totam: ergo secundum se totam intime existit in omni realiter distincto ab ipsa; sed Personæ Divinæ sunt inter se realiter distinctæ: ergo qualibet Persona Divina secundum se totam intime existit in alia: ac proinde Pater secundum se totum, hoc est secundum essentiam & personalitatem, est intime inexistens in Filio; & è converso Filius in Patre, & uterque in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre & Filio. Quod autem qualibet Divina Persona secundum se totam sit immensa, est certum: quia Pater, qua talis, non potest esse immensus, nisi ejus personalitas sit immensa propter identitatem, quam habet cum immensitate Divinæ naturæ. Nam immensitas reddit immensum quidquid illi identificatur: cum autem Personalitas Patris habeat identitatem cum Divina immensitate, necesse est quod ipsa Personalitas Patris sit immensa, ut Pater secundum se totum sit im-

men-

mensus idem dicendum est de Persona Filii, & Spiritus Sancti: ex quo legitime infertur, quod quilibet Persona Divina intime inexsistit in alia, ac proinde esse in Personis Divinis circuminſectionem.

168 *Sed Dices I.* nihil est in eo, à quo exit; sed Filius exivit à Patre juxta illud Joannis cap. 16. *Exi vi à Patre;* *& veni in Mundum:* ergo Filius non est in Patre *Resp.* quod id quod exit ab alio per modum effectus à causa, & localiter, non est in eo, à quo exit; attamen quod procedit ab alio per actionem inimamentem, & pure ratione originis, manet in eo, à quo procedit: ac si est immensum, non potest non invicem inexistere, producens & productum. Unde cum Filius exierit à Patre per actionem intellectus, quæ est immaterialis, non potest non existere in Patre, & cum uterque sit immensus, non potest non invicem inexistere una Persona in alia.

169 *Dices II.* Personæ Divinæ non sunt aliæ in aliis ratione naturæ; quia sic habent identitatem, non inexistentiam, nec ratione personalitatum, aut relationum, quia hæc sunt inter se contraria; contraria autem simul existere non possunt: ergo una Persona non potest inexisteret in alia *Resp.* quod licet Personalitates Divinæ sint relative contraria in ratione constitutendi Personas; non tamen sunt contraria in ratione inexistendi: aliæ tres Divinae Personæ non possent simul inexisteret in creatura per imminutitatem: unde optime possunt in se ipsis invicem inexisteret.

170 *Dices tandem.* Si Pater inexisteret in Filio, & Filius in Patre; dici posset quod Deus inexisteret in Deo; sed hoc est falsum: cum inexistentia unius in alio dicat diversitatem; & Deus, ut talis, solum dicat simplicissimam unitatem: ergo Pater non inexsistit in Filio, nec Filius in Patre. *Maj. prob.* quia Pater est Deus, & existit in Filio; & è contra Filius est Deus, & inexsistit in Patre: ergo Deus inexisteret in Deo.

171 *Resp.* quod hæc vox Deus & sumi potest essentialiter, & potest sumi personaliter, aut aliis terminis, substantiæ, & adjectiviæ. Si sumatur essentialiter non potest dici, quod Deus inexsistit in Deo, sicut non potest dici Deus est ge-

nitus, licet Filius sit genitus; attamen sumpta *personaliter*, & *adjectivè*, sicut dicitur *Deus de Deo*, & *lumen de lumine*: ita potest dici, quod Deus inexsistit; quia hoc nihil aliud est, quam unam Personam inexistere in alia.

ART. XXV. *De Missione Divinarum Personarum.*

172 **R** Estat nunc agere *de Missione Divinarum Personarum*; nam de earum *æqualitate*, & *similitudine* non est necessarium inire sermonem. Missio Personæ Filii à Patre constat ex sacris litteris, sed præcipue Joannis cap. 3. Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum. Idemque docet cap. seqq. à 4. usque ad 10. & ad 12. ad 17. Suffragaturque Apostolus ad Romanos 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato damnavit peccatum in carne.* Et ad Galatas 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* De Missione Spiritus Sancti constat ex Joanne cap. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia:* & cap. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Et Apostolus ad Galatas cap. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Quibus edocti PP. & Theologi missionem Divinarum Personarum inconcusse docent.

173 Stat autem difficultas in statuenda missionis ratione. Importat enim missio ordinem mittentis ad missum, velut superioris ad inferiorem, Domini ad Servum; sicuti fuit Joannes missus à Deo, & sicut Christus misit Apostolos: & hoc modo non potest esse missio inter Divinas Personas, quia inter eas nulla est superioritas. Potest tamen stare missio *æqualis* ad *æqualem*, & Amici ab Amico; imo & obsecratione inferior ad superiorē; sicuti cum Apostoli miserunt ad Samaritanos Petrum Apostolum superiorē, & Joannem Apostolum Act. cap. 8. Et cum nemo mittat aliquem, nisi ad aliquem effectum, importatur in missione *relatio* mittentis,

& missi , & ejus ad quem mittitur , ac effectus ad quem sit missio . Et ex hoc emergunt diversæ Theologorum sententiaz de hac re ; licet omnes convenienter inter Personas Divinas Personam Patris non mitti , præunte Augustino lib. 2. de Trinit. cap. 5. quod edocet aliis locis .

174 Hinc quidam docuere missionem Personarum esse formalem processionem unius Personæ ab alia ; ceterum cum processio Divinarum Personarum sit æterna , sequeretur esse ab æterno Personarum missionem , quod videtur à veritate alienum . Nam missio dicit respectum ad missum , & consequenter ad creaturam , quæ ab æterno non fuit : perindeque missio Divinarum Personarum non potest stare in earum processione . Propterea alii censuerunt missionem Divinarum Personarum stare in effectu secuto ex missione . Verum hæc sententia confundit missionem cum ejus effectu , & prior est missio , quam effectus ejus . Unde communiter Theologi docent missionem Divinarum Personarum includere processionem unius Persona ab alia , & particularem aliquem effectum , per quem Persona missa sit in eo , ad quem mittitur , aut saltem manifestetur in ea .

175 Attamen cum omnia opera ad extra sint communia Trinitati , ita ut nihil possit producere una Persona sine alia , juxta illud Joannis cap. 5. Non potest Filius à se facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit , hæc & Filius similiter facit , quod edocent PP. communiter , & Theologi . Videtur difficile , quod una Persona Divina possit per se & specialiter producere effectum , per quem mittatur , nisi attributivè : ad modum quo opera omnipotentia tribuuntur Patri : Sapientia , Filio : & opera amoris , & gratia , Spiritui Sancto .

176 Dicere , quod Personæ Divinæ sunt in Persona missa per cognitionem , & amorem , quia cognoscens est in cognito , & amans in amato ; sunt hæc purè metaphorica , & affectiva . Quia cognoscens non est verè & realiter in objecto cognito , nec objectum cognitum est verè & realiter ; sed solum intentionaliter in cognoscente : nec amans est verè & realiter in amato , sed tantum affectivè ; nec amatum est verè & realiter in amante , nisi tantum affectivè & objectivè , ut

per se patent hæc. Unde hi modi non sunt sufficiētes ad constituendam specialem inexistentiam veram, & realem Personarum missarum in Personis, ad quas mittuntur. Ulteriusque hi modi existendi purè intentionales, & metaphorice sunt communes tribus Divinis Personis juxta illud Joannis cap. 16. *Ad eum venimus, & mansio[n]em apud ipsum faciemus:* quapropter hi modi non sunt conducentes ad explicandam peculiarem missionem Personarum Filiī, & Spiritus Sancti.

177. *Dicendum ergo I.* Personam Filii, qua distinctam à Patre, & Spiritu Sancto, missam à Patre in Mundum per unionem hypostaticam ad naturam humanam. Nam licet unio hypostatica facta sit communī Trinitatis consilio; solus tamen Filius assumpsit naturam humanam: tuncque missio importet processionem, & Filius procedat solus à Patre: ideo in sacris litteris frequenter dicitur à Patre missus. Unde ea ratione, qua Persona propria venit in Mundum per unionem hypostaticam ad naturam humanam, eadem Persona propria missus est à Patre in Mundum per unionem hypostaticam ad naturam humanam.

178. Loquendo autem de Christo, qua homine, cum quatenus homo sit servus & creatura Dei: certum omnino, quod fuit missus à Deo ad hominum redimationem; ac proinde non solum à Patre, verum etiam ab Spiritu Sancto, sicuti misse Propheta juxta illud Isaiae. Quod de se ipso verificari docuit Christus Luca cap. 4. *Spiritus Domini super me: propter quod uixit me, euangelizare pauperibus misit me:* ubi Christus expresse docuit se missum à Spiritu Sancto: quod intelligi non potest, nisi de ipso ut homine.

179. Demissione Spiritus Sancti non videtur posse verificari in propria Persona, nec secundum substantiam, nec secundum operationem. Non secundum substantiam, & propriam Personam: nam Spiritus Sanctus nulli creature unitus est hypostatico, ut est certum in Ecclesia Catholica. Non secundum operationem ad extra, quia nihil creatum producitur est ad extra infra speciali Spiritus Sancti, quo opus productum non sic productum à Patre, & Filio; unde ejus missio non videtur posse stare, nisi in operibus gratiæ, quæ attributive tribuuntur Spiritui Sancto, & ratione illorum dicti missum.

Sed

180 *Sed Dices*, quod licet Persona Spiritus Sancti per se ipsam formaliter non sit unita hypostatice creaturæ, nec habeat peculiararem influxum effectivum in creaturam præ Patre, & Filio; sufficit quod effectu creato manifestetur peculiariter, ut dicatur missus.

181 *Sed Contra stat*: quia ex hac solutione sequitur, quod missio Spiritus Sancti, supposita ejus processione, stat in ejus manifestatione per effectum creatum; at hoc est falsum: ergo missio Spiritus Sancti non potest stare in ejus manifestatione. *Prob. Min. subsumpta.* Nam Christus per miracula se manifestabat, ut constat ex Evangelio, & de miraculo conversionis aquæ in vinum dicit Joannes cap. 2. quod *tunc manifestavit gloriam suam*; & tamen non nisi ridicule dici potest, quod illa manifestatio fuit missio Christi; ergo manifestatio Spiritus Sancti non potest dici ejus missio.

182 *Ulterius.* Quia quod Spiritus Sanctus manifestetur donis gratiæ, non sufficit ad missionem, nisi sit speciali modo in creatura intellectuali immediate, & per se: & per se, & immediate non est speciali modo in creatura intellectuali, quo non sint in illa Pater, & Filius: ergo manifestatio Spiritus Sancti, nisi sit speciali modo in creatura, non sufficit ad ejus missionem. *Prob. Min.* Nam Spiritus Sanctus non est speciali modo in creatura per immensitatem, ut patet: nec est speciali modo per causalitatem, ut probatum est: nec per gratiam, & charitatem, quia hoc est communione tribus Divinis Personis: nec per amicitiæ unionem; nam cum ex gratia, & charitate resulteret amicitia ad Deum, hæc amicitia est communis tribus Divinis Personis: ergo nullo ex his modis est Spiritus Sanctus propriæ, & peculiariter in creatura intellectuali; alius non est excogitatus: ergo nullo peculiariter modo existit Spiritus Sanctus in creatura, ut ratione illius possit dici missus ad creaturam propriæ, & per se.

183 *Confirm.* Nam etiæ Archangelus Gabriel dixerit ad B. Virginem: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Spiritus Sanctus in Christi conceptione non habuit aliud influxum, quam communem tribus Personis, nec fuit in B. Virgine alio modo, quam Pateri;

quanquam attributivè opus Conceptionis tribuatur Spiritui Sancto , quia opus amoris: ergo cum Spiritus Sanctus non habeat peculiarem habitudinem ad effectum creatum , per quem mittitur , nec peculiarem inexistentiam in Persona ad quam mittitur ; propriè , & in propria Persona non potest dici missus ; sed solum in donis gratiæ , quæ attributive dicuntur de Spiritu Sancto .

184. *Sed objicies: verba Sacra Scriptura intelligenda sunt in proprio sensu , quoties nullum sequitur inconveniens ; sed Scriptura innuit missionem Spiritus Sancti per donum charitatis , & missionem ipsius Personæ Spiritus Sancti , ut distinctam à prima , ut constat ex Apostolo ad Romanos 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis ; ubi docet Charitatem diffusam , Spiritum Sanctum datum : ergo in propria Persona missus est Spiritus Sanctus & non tantum in donis.*

185. *Resp. verba Sacra Scriptura accipienda cum omnimoda proprietate , quoties non sequitur Theologicum inconveniens : Cum autem probatum maneat Spiritum Sanctum non posse inexistere in creatura per modum specialiter ipsi proprium , & peculiarem , nisi intersit error Theologicus : inde evenit quod ejus missio non possit accipi per propriam Personam , sed solum per dona gratiæ , quæ Spiritui Sancto tribuntur , per appropriationem , eo quod ex eodem amore , quo procedit à Patre & Filio , procedunt in creatura dona gratiæ .*

186. *Conveniunt tamen Theologi missionem Divinarum Personarum ad solam creaturam intellectualem fieri ; quia missio est effectus providentiae supernaturalis , & solum creatura intellectualis hujus providentiae est capax . Conveniunt etiam mitti Spiritum Sanctum per dona gratiæ , & charitatis , per quam inhabitat in nobis ; ceterum aliqui docent per solam gratiam & charitatem mitti . Alii vero docent non sola gratia , & charitate ; sed & quocumque dono supernaturali , quod proximè , vel remotè dicat ordinem ad beatitudinem : cum Paulus ad Corinth. cap. 12. dicat : Nemo potest dicere Iesu , nisi in Spiritu Sancto . Alii vero docent quod , licet missio perfecta non possit esse nisi per gratiam , & charitatem .*

ritatem ; tamen imperfecta per quodlibet donum supernaturale fieri posse : in quo quilibet potest in suo sensu abundare.

187 Dividitur autem missio in *visibilem*, quæ effectu sensibili manifestatur , ut missio Spiritus Sancti in die Pentecostes , mediis linguis igneis : & in missionem *invisibilem*, quæ fit per effectum pure spiritualem ut pote non perceptibilem sensibus , ut per gratiam , & charitatem , aliud ve- num , juxta Sententias jam relatas : in quo non oportet amplius immorari.

ART. XXVI. *De modo loquendi in Mysterio SS. Trinitatis, & de ejus cognoscibilitate.*

188 **R**Estat autem pro coronide tractare de modo loquendi in hoc Mysterio , & de ejus cognoscibilitate. Etenim cum Deus sit unus essentia , natura & substantia , sitque in Personis trinus , oportet in loquendo rectam formam verborum sequi , quod paucis perstringemus regulis . I. sit quod nomina substantiva , seu quæ pertinent ad essentiam , sive per se , sive ratione attributorum pluraliter in Divinis dici non possunt , ut tres Dii , tres Deitates , tres Omnipotentiæ , nec tres Omnipotentes ; quia in Deo una est Divinitas , una Omnipotentia ; sive docet Ecclesia in Symbolo nuncupato Sancti Athanasii. Ex quo sequitur , quod ea quæ pertinent ad essentiam & attributa Dei , seu ejus esse ab-solutum , dici debeant de qualibet Persona , ut Pater est Deus Omnipotens &c. Filius est Deus , est Omnipotens &c. & similiter de Spiritu Sancto.

189 II. Ea quæ dicuntur de Divinis Personis , quatenus nomen Personæ commune est eis , pluraliter dicuntur , ut tres Personæ , tres substantiæ , tres hypostases. Ex quo sequitur quod ea , quæ dicuntur de Personis in particulari , qua inter se distinctis , quod dicitur de una , de alia dici non potest quia sunt propria , & peculiaria personarum ; quatenus inter

se distinguuntur: unde innascibilitas, quæ est notio Patris, de Filio, & Spiritu Sancto dici non potest; sicuti nec genitus de Patre, & Spiritu Sancto; & idem de proprietatibus Spiritus Sancti.

190 *III.* Nomen substantivum potest accipi *adjectivè*, & sic acceptum potest multiplicari, quia ex prædicato, vel verbo determinatur ad significandam Personam, ut cum dicitur *Deus homo factus est*: in qua propositione per verbum, & prædicatum determinatur Deus ad supponendum pro Persona Filii. Et substantiva *adjectivè* accepta plurali numero possunt dici, & sic dicitur in Divinis: sunt tres habentes Deitatem, tres habentes Omnipotentiam &c. Attamen, cum vox possit convenire essentiaz, & relationibus, seu personalitatibus, tollenda est æquivocatio per *absolutum*, & *relativum*: sique dici possunt in Divinis *tres existentiaz relativæ*, similiterque *tres perfectiones relativæ*, & alia hujusmodi.

191 *IV.* Ea quæ dicuntur de Personis in particulari, de essentia dici non possunt; quia hæc est eadem, & communis tribus Personis Divinis; proindeque dici non potest: *natura Divina generat*, vel *generatur*, *spirat* vel *spiratur*, ut docuit Concilium Lateranense. Quantum ad voces distinctivas, quæ enuntiant diversitatem substantiaz, essentiaz, aut attributorum, admitti non possunt in Divinis: & sic non potest dici, *Pater est aliud à Filio*, quia *aliud* refertur ad distinctionem essentiaz, & substantiaz. Admitti tamen debent quæ solum significant distinctionem personarum, ut *Pater est alius à Filio*, *distinctus*, aut *versus*, & similiter de Filio, & Spiritu Sancto. Ex quo facile est enodare quæstiunculas quasdam in hac materia emergentes.

192 De altitudine, & profunditate hujus admirabilis mysterii, convenient Theologi naturali lumine non posse certo cognosci à creatura. Contrarium tribuitur B. Raymundo Lullio ab aliquibus longam texentibus historiam de condemnatione ejus librorum, de Inquisitore Armerico, & Bulla Gregorii XI. Nos ab his abstinemus; qui autem cupit hoc exactè noscere, adeat Bollandos: tribuitur etiam aliis,

quo-

quorum mentem examinare eis linquimus, quibus Deus haec
otia fecit.

193 Dicendum ergo I. quod Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, prout in se est, nulla creatura naturali lumine certo cognoscere potest. Diximus, *prout in se est*; quia dicit positivum trium Personarum realiter distinctarum in una, & eadem reali indivisiibili essentia, cum qua quilibet identificatur, servata reali distinctione inter se; & dicit negativum, nempe quod in Deo non sit alia Persona praeter tres. *Prob. I.* ex illo Christi ad Petrum, cum illum Filium naturalem Patris confessus esset Matth. cap. 16. *Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in Cælis est:* id est, sola Patris revelatione æternæ generationis mysterium cognovisti: quæ autem solum Divina revelatione cognosci possunt, naturaliter à creatura cognosci non possunt, ut patet: ergo Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod æternæ generationis mysterium includit, naturaliter à creatura cognosci non potest.

194 II. ex illo Pauli ad Corinth. 1. cap. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum:* sed quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum, est visio, & cognitio intuitiva Dei, ut unius & trini: ergo hæc subterfugunt aciem ejuslibet creaturæ. Idem docent communī consensu PP. præser-tim Hilarius lib. 1. de Trinit. Ambrosius lib. 1. de Fide. Au-gustinus lib. 15. de Trinit. Cyrillus Alexandrinus de Verbi Incarnat. aliquæ plures, ut omittam citatos à plurisque Scholasticorum in dignoscendis genuinis operibus PP. nulla crisi excutis.

195 III. *Prob.* Quia nulla creatura vidit Deum, nec videre potest, ex illo Joannis cap. 1. *Deum nemo vidit unquam;* & ex illo Pauli ad Timotheum 1. cap. 1. *Regi sæculorum immor-tali, & invisibili:* ergo nulla creatura potest cognoscere Deum Trinum in se ipso: alias ex nullo effectu creato potest ut talem cognoscere; quia nullum habet respectum, aut connexionem cum Deo ut Trino, ut docent communius Theo-logi: ergo nulla creatura potest certo cognoscere Deum ut Trinum.

Sed

196 *Sed dices I.* Sibyllæ plura de Trinitate enuntiarunt, sed non Divina revelatione, ut pote Gentiles: ergo solo naturali lumine. *Resp.* quod de Sibyllis, earum numero, patria, & vaticiniis tractarunt plures, præcipue Panvinus, Oblopæus, & Dupin in Bibliotheca tom. 1. Versus autem, qui earum nomine circumferuntur, suppositios esse, longèque diversos ab eis, quos ipsæ protulerunt, sanior Criticorum pars tenet; dato tamen verè vaticinitas de Sanctissima Trinitate; potest dici afflata Dei spiritu id egisse. Nam Balaam, etiam Gentilis, & Idololatra vaticinatus est de Christo, & Caiphas similiter, & si obexcatus odio, & invidia. Unde non obest Sibyllis, quod fuerint Gentiles, ut Deo revelante potuerint cognoscere Mysterium Trinitatis, & non naturæ lumine. Si vero Dæmonis æstu exagitare, de Trinitatis Mysterio locutæ sunt, id protulere ex notitia subdubia, quam habuere ex Veteri Testamento, & præcipue ex fide & confessione Veterum Patriarcharum, quibus hoc mysterium revealatum est. Pluribus enim Patribus Veteris Testamenti revealatum fuisse docent communiter Theologi, etsi non Judaico populo. *Ex his dicendum*, quod, etsi antiqui Philosophi aliqualem habuerint notitiam hujus mysterii, hauserunt ex Prophetis. Nam plures eorum amore sapientiæ perciti, Ægyptum & Judæam adiere, ubi excepere notitiam imperfectam de Mysterio Trinitatis; perfecta autem notitia omnino eos lauit, quidquid alii dicant.

197 *Dices II.* Qui naturaliter cognoscit unum connexum cum alio, naturaliter cognoscit terminum connexionis; sed creaturæ sunt connexæ cum Deo ut Trino: ergo qui cognoscit naturaliter creaturam, naturaliter cognoscere potest Deum ut Trinum. *Maj. est certa, Min. firmatur* opinione gravium Theologorum.

198 *Resp.* quod, quanquam is, qui cognoscit unum extreum connexum cum alio ut formaliter connexionum, necessario cognoscat terminum connexionis; attamen si cognoscat extreum specificativè connexum cum termino, si non cognoscat illud, ut reduplicative connexionum; nequit terminum ex vi cognitionis attingere. Cum autem creaturæ potiori sententia non habeant per se connexionem cum Deo,

ut

ut trino , esto habeant talam connexionem , non sit nec per se nota , nec per se certa : sit inde , quod ex cognitione creaturarum non posse certo cognosci Deus , ut trinus.

- 199 *Dices III.* Lumine naturæ cognoscitur Deus ut Persona , quia cognoscitur ut subsistens in natura intellectuali ; sed non cognoscitur ut una Persona , quia hæc cognitio est falsa : ergo cognoscitur sub ratione plurium Personarum. *Confirm.* Quia si quis rogaretur , an Deus esset unica Persona , lumine naturali responderet esse unicam : quæ responsio in re esset falsa : ergo aut cognitio luminis naturalis esset falsa , aut lumine naturali potest cognosci Deum non esse unicam Personam.

200 *Resp.* quod *Persona* & accipi potest sub expressione jam nobis nota ex Mysterio Sanctissimæ Trinitatis , & Incarnationis , qua noscimus Personam aliquid dicere positivum , vel negativum ultra naturam in individuo constitutam ; & sub expressione luminis naturalis , quæ solum dicit individuum , ut quid singulare. Deum ergo lumine naturali cognoscitur esse unicum , & singulare individuum , repugnareque plures Deos ; & sub hac acceptione Deum esse Personam , hoc est , esse individuum singulare , quæ cognitio vera est ; attamen accepta *Persona* , prout nobis nota notione Theologica , naturaliter cognosci non potest , quod Deus sit unica , vel plures Personæ.

201 *Ad confirm.* *Resp.* quod id qui rogaretur , an Deus esset unica , vel plures Personæ : prudentia ductus responderet ex vi naturalis luminis solum apparere unam Personam , attamen non posse hoc certo affirmare ; quia cum Deus sit infinitus , superetque naturalis luminis captum , sitque incomprehensibilis , fortasse essent plures Personæ ; sed hoc lumine naturæ non posse cognoscere.

202 *Dices IV.* Lumine naturæ cognoscitur Deum esse summum bonum ; sed bonum est communicabile : ergo lumine naturæ cognoscitur Deum esse summe communicabilem. *Tunc sic* sed summa communicabilitas non stat , nisi in Mysterio Trinitatis : ergo lumine naturæ cognosci potest. *Confirm.* Quia habere Filium dicit perfectionem ; sed hæc non est neganda Deo : ergo naturaliter cognosci potest , quod Deus habet Filium.

203. *Resp.* quod ex eo , quod Deus sit summum bonum, solum infertur quod sit sui communicativus ad extra infinitè *syncathegorematice*; sed non infertur, quod sit summè communicativus ad intra , & *cathegorematice* per communicacionem ejusdem naturæ , retenta reali distinctione *communicantis* , & *communicati* , stante identitate boni communicati. *Ad confirm.* *Resp.* quod licet habere Filium sit perfectio in his, qui generatione multiplicantur ; attamen in his , qui generatione non existunt , ut in Angelis , habere Filium non dicit perfectionem ; imo eum habere est contra ejus naturam. Cum ergo lumine naturali appareat Deum esse immultiplicabilem, ex vi illius appetit Deum Filium habere non posse , licet aliunde hæc propositio falsa sit.

204. *Dices V.* Angelus naturaliter cognoscit parentiam unionis hypostaticæ ; sed parentia unionis hypostaticæ non potest cognosci , nisi cognitis terminis ejus , qui sunt Divinæ Personæ : ergo Angelus naturaliter cognoscit Divinas Personas. *Prob. maj.* Quia Angelus cognoscit naturaliter id, quod est naturale ; sed parentia unionis hypostaticæ est quid naturale , cum non sit quid supernaturale : ergo cognoscit naturaliter parentiam unionis hypostaticæ.

205. *Confirm.* Angelus potest evidenter cognoscere cognitionem probabilem de Mysterio Trinitatis ; sed cognitio probabilis habet connexionem cum Trinitate : ergo potest habere cognitionem certam de Trinitate.

206. *Resp. ad Arg.* quod Angelus non potest naturaliter cognoscere parentiam unionis hypostaticæ sub hac formalí expressione. Nam , licet hæc parentia sit quid naturale ; non omnia naturalia possunt cognosci evidenter : alias cognosceret secreta cordium , quod est falsum ; esto cordis secretum sit quid naturale. Angelus enim , dato quod cognoscat omne naturale positivum , solum cognoscit parentias naturales privativas , hoc est , parentias eorum , qua naturali exigentia debentur subjecto , ut parentia dñi in manu ; non vero cognoscit parentias negativas eorum , ad qua nullum respectum dicit subjectum : alias cognosceret omnia , quibus parenter , quod dici nequit. Cum ergo nullum creatura dicat respectum ad unionem hypostaticam , illius parentia cum sit solum negativa , sub hac expressione ab Angelo cognosci non potest.

Ad

207 *Ad Confirm.* *Resp.* *permissa Majori*, quod cognitio probabilis non habet connexionem cum objecto, ut existenti in re: alias cognitio probabilis de existentia præcepti connecteretur essentialiter cum ipsa præcepti existentia, quod dici non potest: quod ex pluribus aliis exemplis confirmari posset. Solum ergo cognitio probabilis habet connexionem cum esse objecti objective, & intentionaliter sumpti, sicuti cognitio possibilium entis rationis, & aliorum, quæ solum habent esse in ratione objecti, & non in re. Unde Angelus ex cognitione probabili Mysterii Trinitatis non posset cognoscere ipsum Mysterium existere in re.

208 *Quæritur tandem*: an lumine naturali possit haberi cognitio probabilis de Mysterio Trinitatis. *Nobis dicendum videtur*, quod naturalis luminis ductu intellectus creatus non potest formare judicium probabile de Mysterio Trinitatis. *Prob. assertum*: Quia, cum res non appareat certa, formatur judicium ex motivis verissimilibus juxta regulas prudentiæ; sed juxta regulas prudentiæ non apparent motiva, quæ verissimiliter suadeant existentiam Trinitatis: ergo naturalis luminis ductu non potest fieri judicium probabile de existentia Trinitatis. *Prob. Min.* Nam in creatis nullum est motivum, quod prudenter suadeat, quod ea quæ sunt eadem uni tertio, non sint eadem inter se; sed hoc est necessarium, ut juxta regulas prudentiæ appareat motivum verissimile, quod suadeat existentiam Trinitatis: ergo in creatis nullum est motivum verisimile, quod suadeat existentiam Trinitatis.

209 *Sed dices*: Mysterium hoc non appetet evidenter falsum; quia quod est in se verum, non potest evidenter falsum apparere; sed hoc Mysterium est in se verum: ergo hoc Mysterium non potest re vera appetere evidenter falsum: *Tunc sic*: quod non appetet evidenter falsum, potest de eo fieri probabile judicium; sed Mysterium Trinitatis non appetet evidenter falsum: ergo potest fieri judicium probabile de illo.

210 *Confirm.* Quia id quod evidenter non appetet impossibile, de ejus possibilitate potest judicium probabile fieri; sed Mysterium Trinitatis non appetet evidenter impossibile: ergo potest de eo fieri probabile judicium. *Maj. vide-*

tur certa. Nam cum Theologi disputant de alicujus possibiliitate formant judicium probabile de ea, ex hoc quod non appareat evidenter falsa. *Minor autem probatur.* Quia quotiescumque rationabiliter solvuntur argumenta, quæ probant rei impossibilitatem, non appareat evidenter rei impossibilitas; sed argumenta, quæ probant impossibilitatem Mysterii Trinitatis rationaliter solvuntur: ergo non appareat evidenter ejus impossibilitas.

211 *Resp.* Quod intellectus creatus per varia media potest devenire ad cognitionem alicujus objecti: ut per medium demonstrativum ad cognitionem evidentem, & per medium fidei ad cognitionem certam, sed obscuram; & per medium probabile ad cognitionem probabilem. Ex quo sequitur, quod id quod in re est verum, ex vi unius medii possit apparet evidenter falsum: ad modum, quo illi qui corpora conspiciunt per vitrum viride, omnia apparent viridis coloris, licet talis coloris re vera non sint; & quod Mysterium Trinitatis, licet verissimum sit, ex vi luminis naturalis possit apparet evidenter falsum: sicut, qui videret tres pueros in fornacem Babyloniam missos, judicaret evidenter pueros in cinerem reducendos, quod tamen falsum re vera fuit: ita accidit in praesenti. Nam licet Mysterium Trinitatis verissimum sit, ex vi luminis naturalis apparet impossibile, ita ut judicium verisimile non posset fieri de eo.

212 *Ad confirm.* Respondeatur, quod Mysterium Trinitatis respectu naturalis luminis apparet impossibile: ac licet Theologi ducti fidei magisterio, elidant argumenta, quibus intenditut probari impossibilitas hujus Mysterii; solo tamen naturali lumine ducti, irrito conatu id tentarent. Ex quo præ oculis habendum est Theologis de hoc Mysterio, nec cogitandum, nec loquendum, nisi captivando intellectum in obsecrarium fidei; quia per eam ambulamus, ut ipsum Deum unum, & trinum in æterna beatitudine consequamur, cui sit laus, honor, & gloria in secula.

Amen.

Finis primi voluminis.

SYLLABUS
DISPUTATIONUM
& Articulorum qui in primi
voluminis parte con-
tinentur.

DISPUTATIONES
DE DEO TRINO, ET RERUM OMNIUM
CREATORE.
PROLOGUS.

- ART. I. *An Theologia sit Speculativa, aut Practica, vel utraque simul?* pag. 2.
Art. II. *An Theologia sit Scientia supernaturalis?* pag. 4.
Art. III. *An Theologia sit scientia subalternata scientiae Beatorum?* pag. 5.
Art. IV. *Qui sunt Loci Theologici, ex quibus Theologia propria deductis conclusiones.* ibid.

DISP. I. De Essentia Dei, & ejus attributis.

- Art. I. *Unde constat Deum existere ceterorum entium causam?* pag. 9.
De Unitate Dei. pag. 14.
Art. II. *An possit dari ignorantia invincibilis Dei in homine compote usus rationis?* pag. 19.

DISP.

DISP. II. De his, quæ positive de Deo dicuntur, & suo modo de creaturis.

Art. I. Qualis sit Dei unitas? pag. 22.

Art. II. De Aeternitate Dei. pag. 24.

Art. III. An aliqua creatura possit existere ab aeterno à parte ante? pag. 26.

Art. IV. An futura sint realiter praesentia, & realiter existant in aeternitate Dei? pag. 28.

Art. V. An Deus sit immutabilis? pag. 34.

Art. VI. De infinitate, & immensitate Dei, ejusque perfectione, pag. 37.

Art. VII. An sit possibile corpus, qualitas, vel modus infinitus? pag. 38.

Art. VIII. An Deus sit immensus? pag. 39.

Art. IX. An Deus sit positivè extra mundum? pag. 42.

Art. X. De Divina perfectione, pag. 46.

DISP. III. De Essentia Divina. Art. I. pag. 49.

Art. II. De essentia Divina metaphysicè accepta, pag. 53.

Art. III. An inter essentiam & attributa sit aliqua distinctio? pag. 62.

DISP. IV. De Invisibilitate, & Visione Dei.

Art. I. An Deus videri possit immediate in se oculis corporis pag. 70.

Art. II. An Deus videri possit ab intellectu creatus? pag. 74.

Art. III. An sit possibilis creatura cui sit con naturale Deum in se ipso videre? pag. 75.

Art.

- Art. IV. An possit dari species impressa qua Deus, prout in se est, cognoscatur? pag. 79.
- Art. V. An possit videri essentia Divina, prout in se est, non visis attributis, & personalitatibus; vel videri una Persona sine aliis Divinis Personis, pag. 83.
- Art. VI. An possit Deus videri in se, nulla visa, seu cognita creatura? pag. 85.
- Art. VII. An de facto videntes Deum videant, vel cognoscant in ipso creaturas? pag. 86.
- Art. VIII. An Deus aequaliter videatur a Beatis? pag. 90.
- Art. IX. An aliquis hominum in vita mortali viderit Deum clare, & intuitive? pag. 92.
- Art. X. An Deus videri possit visioni comprehensiva, seu An Deus a creatura sit comprehensibilis? pag. 94.

DISP. V. De Scientia Dei. Art. I. pag. 98.

- Art. II. An in Deo, juxta nostrum modum concipiendi, sit intellectus per modum potentiae, & actus prius? pag. 100.
- Art. III. An in Deo possit esse cognitione pure apprehensiva, seu aliis terminis simplex apprehensionis? pag. 102.
- Art. IV. De objectis Divine Scientiae & modo ea cognoscendi, pag. 106.
- Art. V. An Deus cognoscat creaturas in se ipso? pag. 108.
- Art. VI. An Deus se cognoscat in creaturis? pag. 117.
- Art. VII. De Objecto formalis Scientiae Divine, pag. 121.
- Art. VIII. An Scientia Dei sit causa rerum? pag. 122.
- Art. IX. De Scientia Futurorum contingentium, pag. 128.
- Art. X. Per quid constituantur formaliter Futurum contingentia, pag. 129.
- Art. XI. An propositiones de Futuro contingentie ante Divinum decretum habeant determinatam veritatem, aut falsitatem? pag. 132.
- Art. XII. An Deus cognoscat Futura contingentia absolute, pag. 133.
- Art. XIII. In quo cognoscat Deus futura contingentia, seu libera? pag. 136.

Art.

Art. XIV. *De Scientia Futurorum contingentium conditionatorum*, pag. 138.

Art. XV. *In quo cognoscat Deus Futura contingentia conditio nata*, pag. 145.

Art. XVI. *De Scientia media*, pag. 148.

DISP. VI. *De Divina Voluntate.*

Art. I. pag. 152.

Art. II. *An ex nostro modo concipiendi detur in Deo voluntas per modum potentiae, & actus primi, ut distincti ab actu, & exercitio voluntatis?* pag. 153.

Art. III. *An sit in Deo appetitus innatus?* pag. 155.

Art. IV. *An in Deo sit voluntas libera, seu liberum arbitrium?* pag. 157.

Art. V. *An posit esse in Deo pura omissio exercitii liberi erga creaturem?* pag. 163.

Art. VI. *An Deus possit exerceri liberè in tempore erga id, quod non voluit ab aeterno?* pag. 168.

Art. VII. *An actus liberi Dei possint deficere, aut de facto deficiant?* pag. 171.

Art. VIII. *An Deus sit moraliter necessitatus ad potiora, seu meliora?* pag. 176.

Art. IX. *De amore Dei erga se ipsum,* pag. 181.

Art. X. *An Deus se & sua prædicta intrinseca amet amore stricto, ut distincto à gaudio?* pag. 186.

Art. XI. *An saltē inter Divinas Personas sit amor amicitie verè talis?* pag. 193.

Art. XII. *De amore Dei erga creaturem,* pag. 195.

Art. XIII. *An Deus possit amare creaturem propter eam bonitatem?* pag. 203.

Art. XIV. *An Deus amet creaturem de facto propter bonitatem intrinsecam eam?* pag. 208.

Art. XV. *An sit Desiderium in Deo?* pag. 212.

Art. XVI. *An in Deo sit odium propriè tale?* pag. 216.

Art.

- Art. XVII. *An Deus absolutè loquendo sit necessitatus, quoad exercitium, ad odium culpæ & peccatoris?* pag. 221.
 Art. XVIII. *An sit in Deo ira vere, & propriè?* pag. 224.
 Art. XIX. *De diversitate actuum Divinae voluntatis,* pag. 225.
 Art. XX. *An sit in Deo vera voluntas inefficax: seu aliis terminis: An voluntas Dei semper impleatur?* pag. 226.
 Art. XXI. *An inter actus Divinae voluntatis sit ordo?* pag. 228.
 Art. XXII. *An Deus sit Sanctus,* pag. 230.
 Art. XXIII. *De virtutibus Dei,* pag. 235.
 Art. XXIV. *An sit in Deo justitia rigorose, & strictè sumpta; seu vera & propria justitia commutativa?* pag. 236.
 Art. XXV. *An in Deo sit justitia distributiva?* pag. 246.
 Art. XXVI. *An sit in Deo justitia vindicativa strictè, & proprie?* pag. 247.
 Art. XXVII. *An Misericordia sit in Deo, & aliae virtutes?* pag. 248.

DISP. VII. De Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

- Art. I. *Explicatur Mysterium, & erroris contra illud,*
 pag. 251.
 Art. II. *Christum non esse purè hominem?* pag. 255.
 Art. III. *De Divinitate Iesu Christi,* pag. 259.
 Art. IV. *Solvuntur argumenta ex Scriptura,* pag. 266.
 Art. V. *De Divinitate Spiritus Sancti,* pag. 268.
 Art. VI. *Evincitur omnino Mysterium Sanctissima Trinitatis, ex Matth. cap. 28.* pag. 275.
 Art. VII. *Sophismata Hæretorum,* pag. 280.

DISP. VIII. De Divinis Processionibus.

- Art. I. *An in Trinitatis Mysterio sint processiones?* pag. 290.
 Art. II. *An processiones Divinae sint per intellectum, & voluntatem?* pag. 291.

Aaa.

Art.

- Art. III. Quænam sunt principia Divinarum processionum?
pag. 292.
- Art. IV. Cur processio Verbi sit generatio, & non processio
Spiritus Sancti? pag. 296.
- Art. V. De Divinis Personis in communi, pag. 300.
- Art. VI. Qualiter Divinae Personalitates, & relationes diffe-
rant ab effentia, & natura Divina? pag. 302.
- Art. VII. An Personalitates, & relationes sint de conceptu
essentiae Divinae; aut è contra effentia Divina de conceptu
personalitatum, & relationum? pag. 307.
- Art. VIII. An Divine Personalitates dicant tres existentias?
pag. 310.
- Art. IX. An Divinae Personalitates, & relationes, prout dis-
tinctæ à natura Divina, dicant bonitatem, & perfectionem?
pag. 312.
- Art. X. An in Deo præter subsistentias relativas detur subsis-
tentia absoluta? pag. 316.
- Art. XI. Per quid constituantur Divine Personæ? pag.
319.
- Art. XII. Quæ predicata possunt in Divinis pluraliter diciri?
pag. 323.
- Art. XIII. De Divinis Personis in particulari, pag. 324.
- Art. XIV. De secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis,
pag. 326.
- Art. XV. An Verbum procedat ex cognitione possibilium, &
futurorum? pag. 329.
- Art. XVI. An sit proprium Filii esse imaginem Patris?
pag. 331.
- Art. XVII. De Tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis, quæ est
Spiritus Sanctus, pag. 332.
- Art. XVIII. An si Spiritus Sanctus non procederet à Fi-
lio, sed à solo Patre, distingueretur realiter ab illo?
pag. 337.
- Art. XIX. An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filiō,
tanquam ab unico principio? pag. 341.
- Art. XX. Ex quorum amore procedat Spiritus Sanctus?
pag. 343.

Art.

- Art. XXI. *An Pater; & Filius diligent se Spiritu Sancto?*
pag. 345.
- Art. XXII. *An nomen Donum sit proprium Spiritus Sancti?*
pag. 346.
- Art. XXIII. *De Notione, & Circuminessione, & Missione
Divinarum Personarum*, pag. 348.
- Art. XXIV. *De Circuminessione Divinarum Personarum*,
pag. 349.
- Art. XXV. *De Missione Divinarum Personarum*, pag. 352.
- Art. XXVI. *De modo loquendi in Mysterio SS. Trinitatis;
& de ejus cognoscibilitate.* pag. 357.

F I N I S.



EINIS







